ANNALES
ORDINIS CARTUSIENSIS

IMPRIMI POTEST.

FR. ANSELMUS-MARIA Prior Cartusiæ.
Kalend. April. M. DCCC. LXXXVIII.

IMPRIMATUR.

† DESIDERATUS-JOSEPH, Episc. Atrebat.,
Atrebat., Nonis April. M. DCCC. LXXXVIII.

ANNALES
ORDINIS CARTUSIENSIS

AB ANNO 1084 AD ANNUM 1429

AUCTORE

D. CAROLO LE COUTEULX

CARTUSIANO

NUNC PRIMUM A MONACHIS EJUSDEM ORDINIS
IN LUCEM EDITI

VOLUMEN TERTIUM

MONSTROLII
TYPIS CARTUSIÆ S. MARIÆ DE PRATIS
M DCCC LXXXVIII

ANNALES

SECULUM SECUNDUM

1184 — 1284.

ANNALES

ORDINIS CARTUSIENSIS

SECULUM SECUNDUM

JESU CHRISTI ANNUS 1184.

Lucii PP. III Ann. 3.	Ord. Cartus. Ann. 101.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 5.

QUIS FUERIT ORDINIS STATUS SUB INITIUM SECULI II.

I. MILLESIMUS centesimus octogesimus quartus annus illucescit, Indictione secunda, quo secundum incipit Ordinis Cartusiensis Seculum, cujus hucusque candor illibatus apparens fulgoris sui radios ubique diffundebat. Id testantur Scriptores coævi. Petrus Blesensis qui et ipse tunc in Ecclesia velut flos et honor Cleri Anglicani florebat, cum vocat « sanctum et gloriosæ opinionis Ordinem, cujus in omnem terram per Dei gratiam exivit fama, quique in fines orbis terræ suæ odorem suavitatis effudit. » Et Petrus Cantor (quem « veluti lilium inter spinas, et quasi vas auri solidum ornatum omni lapide pretioso » laudat Jacobus de Vitriaco), hic, inquam, hoc tempore totam Galliam sua doctrina et pietate illustrans, « sanctum Ordinem Cartusiensium jam volantium super pennas ventorum, » toti Clero Christiano proponit imitandum.

Petrus Bles. Epist. 86.

Pet. Cantor in Verbo Abbrev. c. 28.

Jacobus de Vitr. hist. Occid. c. 18.

ANNUS 1184

Ipse quoque Jacobus de Vitriaco, qui scholas Parisienses eadem fere tempestate frequentabat, Religionem Cartusiensem « ob rigorem districtionis et districtionem rigoris », diu post appellavit « fornacem Spiritus Sancti aurum purgantem, et scoriam ex argento separantem. » Sed ante hos omnes Joannes Sarisburiensis, de quo multa alibi retulimus, Cartusienses, quos optime tum in Anglia tum in Gallia noverat, « quasi avaritiæ triumphatores præcipuos ubique tunc claruisse » scripserat, « ac hypocritarum nomen et notam cautissime ac fidelissime declinasse. »

Joannes Sar. de Nugis Cur. lib. 7. c. 21 et 23.

LUCIUS III EUM PROTEGIT ET FOVET.

II. Sed nunc de hac veritate ipsum consulamus Dei oraculum, Summum dico Pontificem Lucium qui Cartusienses videns « charitatis fervere operibus, ut ipse ait, et seculi vanitatibus spretis, divinis penitus mancipari obsequiis, » non solum eos sub Apostolicæ protectione suscipit, sed eorum defensionem committit Archiepiscopo Viennensi et ejus Suffraganeis. Bullam ad eos hoc anno scriptam habes additam ad calcem Antiquorum Statutorum, cum altera in gratiam Matris Cartusiæ paulo post data, qua privilegia ab Alexandro decessore concessa confirmat, aliaque largitur beneficia spiritualia quæ ibidem recensentur.

Extant nu. 5 et 7.

RAYNALDUS BELLICEN. EPISCOPUS MORITUR.

III. Contigit hoc eodem anno obitus Raynaldi sive Reginaldi, Bellicensis episcopi, qui vir fuit ætate ac morum gravitate venerandus, ac doctrina et pietate insignis. Ex Majoris Cartusiæ Monacho in S. Antelmi successorem ab ejusdem Ecclesiæ Clero petitus, ab Alexandro Summo Pontifice concessus, et ab Archiepiscopo Bisontinensi consecratus est. Secundo suæ consecrationis anno, Lateranensi interfuit Concilio. A Lucio Papa judex nominatus est cum Archiepiscopo Lugdunensi, qui de controversia inter Portarum cartusiam et Inimontenses monachos in Bugesio pronunciaret. In *Brevi Indiculo illustrium Cartusiensium* apud Sammarthanos ita inscribitur : « Renaldus ex Cartusiano Bellicensis episcopus, effusæ sanctæque bonitatis, obiit anno Domini 1184 », die vero trigesima Novembris juxta Guichenonium. Fuit etiam benefactor monasterii Calesiensis, cui ad preces Joannis

Gratianopolitani episcopi et monachorum Cartusiæ Majoris, quasdam decimas concessit, ut ex literis super hoc confectis apparet : ANNUS 1184

« Ego Joannes Gratianopolitanæ Ecclesiæ dictus Episcopus, omnibus præsentem Chartam sigillo nostro munitam inspicientibus notum facio, quod Domnus Raynaldus Bellicensis episcopus, pro redemptione animæ suæ ac successorum suorum, dedit Deo et Fratribus Calesiensibus, sine omni retentione, in perpetuum possidendum decimas omnium quantumcumque laborare poterunt, etc. Hoc autem factum est precibus nostris, et Fratrum Cartusiensium. Qui autem hoc fregerit, a Deo se damnandum sciat. » Nec annus nec dies in his literis apponuntur. Porro hanc donationem postea quidam ex Raynaldi successoribus confirmaverunt.

B. ARTALDUS EI SUCCEDIT.

IV. Raynaldo vita defuncto successit beatus Artaldus ex Arveriæ eremo assumptus, ubi jam ab annis saltem quadraginta Priorem agebat, ad quem anno 1165 præclaram ab Alexandro Papa epistolam scriptam vidimus. Hic quanto magis refugiebat onus et honorem, tanto magis eum Deus lumine divinitus emisso prodebat. Nihilominus post aliquot annos munere pontificali pie defunctus, ad pristinam solitudinem remeavit, ubi per plures adhuc annos in mira humilitate et pietate vixit. Hunc postea S. Hugo Lincolniensis, ex Anglia ad Majorem Cartusiam veniens et per Arverias transiens, salutavit, ut suo dicemus loco.

S. HUGONIS GENEROSUM FACINUS.

V. Idem S. Hugo Withamiæ Prior, absolutis suæ novæ cartusiæ ædificiis, sacris codicibus sollicite acquirendis plurimum intendebat operam. Accidit ut rex Henricus piis ejus favens laboribus, Bibliothecam a Wintoniensibus monachis petitam Hugoni traderet nescienti quorum esset. Quod postea B. Vir casu audiens, pristinis possessoribus generose restituit. Res quidem levis quibusdam videri posset, sed quam nihilominus subjicere libet, cum possit pio lectori exemplum præbere agendæ rationis ab omni cupiditate alienæ. Sic igitur fuse hoc recenset Vitæ illius autor : Vita S. Hug. ms. lib. 2 cap. 13.

« Libet succincte quiddam ex gestis Viri, spiritu pleni

ANNUS
1184

geminæ dilectionis (Dei videlicet et proximi) referre, quod ejusdem, quæ vehementer enituit, sincerissimæ charitatis insigne documentum fuit. Igitur jam pro consuetudine Ordinis integro numero Fratrum, ædificiis regularibus decenter consummatis, ædificandis indesinenter in sancto proposito sibi commissarum ovium animabus boni hujus Pastoris invigilavit solertia. In cujus negotii non mediocre adjutorium, sacris codicibus conficiendis, comparandis, et quibus posset modis acquirendis, haud segnem operam impendebat. His enim pro deliciis et pro divitiis tempore tranquillo, his bellico sub procinctu pro telis vel armis, his in fame pro alimonia, in langore pro medela, religiosis quibusque, maxime vero solitariam gerentibus vitam, utendum esse memorabat.

Pecunias ei Rex erogat pro membranis comparandis.

Hinc contigit ut cum Rege familiarius quodam tempore agens, de penuria librorum intersereret mentionem, a quo admonitus ut conscribendis insisteret per conductitios scriptores libris, membranas sibi deesse respondit. Tunc ille : Et quantum, ait, pecuniæ tibi vis conferri ad hunc supplendum defectum ? Una, inquit, marca argenti diu sufficiet. Rex ad hæc subridens : O, ait, quam immoderate gravas nos ! Jussit incontinenti decem marcas Fratri, qui cum eo erat, numerari. Promisit etiam unam Bibliothecam, utriusque Testamenti corpus integre continentem, se transmissurum ei. Rediit Prior Domum.

Bibliothecam a Wintoniensibus monachis obtentam Hugoni tribuit.

Rex autem promissi non immemor, inquirit sollicite Bibliothecam optime confectam quam eis conferre potuisset. Suggeritur demum studiosius quærenti, monachos sancti Winthini* egregiam recenti et decenti opere confecisse Bibliothecam, in qua ad mensam edentium Fratrum legi debuisset. Quo ille comperto, oppido gavisus est. Accersito itaque quantocyus Priore illius ecclesiæ, sub multæ recompensationis pollicitatione donari sibi munus optatum petiit, et citius impetravit. Itaque Prior Withamiensium cum Fratribus, propter Bibliothecam regio munere susceptam et inspectam, non mediocriter et ipsi lætati sunt; in eo potissimum gavisi, quod styli elegantiam totiusque operis venustatem, operosior emendatio commendaret.

* *Al.* Swithini.

« Contigit post hoc quemdam ex monachis ecclesiæ Wintoniensis, ædificationis gratiam, venisse Wittamiam. Quem Prior, more suo, summa cum affabilitate optato reficiens sanctæ discretionis suo colloquio, didicit irrepente ab eo, cum quanta supplicatione dominus Rex Bibliothecam ipsam dignatus fuerit a Priore suo postulare. Et nos quidem in eo, ait, gratulamur impensius, quod vestræ illam contulit sanctitati. Quæ si vobis per omnia placet, bene res processit; sin alias, et a vestra consuetudine dissidet aliqua sui parte, nos ista pro libitu vestro longe meliorem citius conficiemus, pro vestra in omnibus dispositione ordinandam. Hanc enim nostro usui nostræque consuetudini, non sine magni sudoris impensa fecimus consonare. Ad hoc Prior admirans, nescierat enim a quonam Ordine Rex obtinuisset illam, Fratri continuo ita affatus est : Itaque dominus Rex ecclesiam vestram fraudavit adeo necessario labore vestro ? Sed et Fratrum vestrorum supplicamus per vos devote universitati, quatenus nostræ dignentur humilitati indulgere, quod occasione nostra, nobis id ignorantibus, defectum sustinuerunt codicis sui. His monachus auditis vehementer expavit, orans gemebundis vocibus ne talia cogitaret vel loqueretur; nullatenus affirmans expedire ecclesiæ suæ, ut sibi utiliter conciliata tali xenio Regis gratia, quavis occasione destituisset. Hinc Prior exultans : Est ne, inquit, hoc verum, quod de ejus favore plus solito præsumitis ? Nec nobis triste est tali hunc munere negotiis vestris propitium esse effectum. Tunc cum Fratribus suis omnibus ex hoc gaudium provenisse assereret, Hugo subjunxit : Ut hoc gaudium, inquit, perpetuetur in longum, cunctos necesse est lateat facta vobis restitutio pretiosi revera laboris vestri. Si vero Bibliothecam hanc recipere minime clanculo acquiescitis, ego illam restituo, qui huc ipsam destinavit. Si vero eam modo reportaveritis, hoc illi per nos nullatenus innotescet. Quid multa ? Receperunt monachi codicem suum, quasi recenti dono acquisitum : multum de codice, sed multo plus de transmittentis ac restituentis dulcedine et charitatis ipsius plenitudine exhilarati. Quo facto,

ANNUS 1184
Illam Hugo eidem restituit.

ANNUS 1184

ut præmissum est, evidentius innotuit quanto geminæ charitatis ardore mens Viri Dei flagraverit; qui gratia sui commodi, viris noluit religiosis opus ad honorem Dei elaboratum deperire, ne in momento eidem derogaretur divino honori, vel honorem exhibentium detraheretur utilitati. Proximis ergo et beneficio juvit et exemplo, quatenus et per lectionem proficerent codicis, et virtutem æmularentur impensæ sibi fraternæ dilectionis; ex utroque vero transirent in amorem sui conditoris. In hunc finem sane omnis actio ejus, sermo et cogitatio dirigi consuevit, ut præstaret proximo, et tam ipse quam proximus exinde placerent Deo. Sed neque fraudari noverat intentio ejus pia et recta a spe sua. Convaluit siquidem ex illo præsertim tempore inter utriusque loci accolas, Winthonienses scilicet cœnobitas et Wittamienses eremitas Cartusienses, eximiæ dilectionis prærogativa, præstante Dei gratia, in æternum duratura. »

Inde Cartusien. et Wintonien. amicitia.

AYMO CARTUSIÆ CONVERSUS EPISCOPI GRATIANOPOLITANI ET DUCIS BURGUNDIÆ ARBITER.

VI. Hoc anno Joannes Gratianopolitanus episcopus Cartusiensis quondam monachus, et Hugo dux Burgundiæ uxore ducta Beatrice, et ipse Delphinus recens effectus, cum vetera inter utriusque antecessores orta dissidia utcumque tunc sopita exsuscitarentur, totius decisionem controversiæ Lamberti Maurianensis episcopi, Guillelmi Gratianopolitani decani, et Aymonis Pagani Majoris Cartusiæ Conversi olim in seculo potentissimi, fidei et judicio commiserunt penitusque steterunt. Arbitratus literæ inter cætera sic loquuntur :

Christ. Justel in probat. Historiæ Arverniæ.

« Cum Hugo Divionensis dux filiam comitis Dalphini viduam Taillifer filii comitis S. Ægidii in uxorem duxisset et comitatum Albonensem teneret, non multo post inter eum et Dom. Joannem Gratianopolitanum episcopum querelæ quædam et contentiones emerserunt.... Tandem anno 1184, per manum Dom. Lamberti Maurianensis episcopi et Aymonis Pagani Cartusiensis Conversi, et Willelmi Gratianopolitani, Episcopus et Dux taliter convenerunt...... Et ad majorem hujus rei firmitatem, Chartam utriusque jussu conscriptam Dux et Ducissa sigillis propriis roborarunt. His interfuerunt Willelmus Gratianopolitanus decanus, Deside-

rius de Corvo, Berlio Prior, Iterius capellanus Episcopi, Arbertus de Turre. » ANNUS 1184

Et ne posthac hæc Conventio ullam pateretur depravationem, curavit Episcopus eam ab Urbano III paulo post ejus electionem confirmari, obtenta sequenti bulla :

« Urbanus, etc. ven. Fratri Joanni Gratianopolitano episcopo Sal. et Apost. Benedictionem. Ven. in Christo Frater tuis justis postulationibus inclinati, compositionem quæ inter te et nobilem virum H. Divionensem ducem, super quibusdam contentionibus quas habebatis invicem, intercessit, sicut de assensu partium facta est et recepta, ratam esse decernimus, cujus tenor talis est. Cum Hugo Divionensis dux ... et cætera ut supra. Datum Veronæ II Calendas Martii. »

Porro qualis fuerit noster Aymo Pagani, paucis sed gravibus verbis declarat autor Vitæ S. Antelmi, eum vocans « virum in seculo quondam potentem ac magnificum, genere nobilem, sed humilitatis ac fidei firmitate multo nobiliorem. » An diu postea vixerit ignoramus. Ejus obitus in veteri Cartusiæ Calendario habetur ad 13 Calendas Aprilis.

Vide sup. ad an. 1178. n. VII.

SIMON PRIOR MONTIS DEI MORITUR.

VII. Circa hunc annum, vel paulo ante, creditur obiisse Simon Montis Dei Prior, quem sæpe sæpius in his Annalibus, ab annis viginti quinque, vidimus multa præclare agentem pro Matris Ecclesiæ juribus; a Summo Pontifice, ab ejus Legatis, ab Episcopis, a Regibus propterea pluris æstimatum et dilectum. Vir fuit omnium calculo sanctissimus, sic enim eum appellat S. Thomas scribens ad Wigornensem Episcopum ; et ab Alexandro III ad Henricum regem Angliæ scribente commendatur tanquam « vir religiosus et Deum timens, plusque Domini quam hominis faciem reverens. » Antequam Institutum Cartusiense sectaretur, in Cellensi monasterio sub B. Benedicti labaro militaverat. Attractis vero post se quibusdam aliis ejusdem cœnobii Monachis, ex eorum emigratione ad nos non modico dolore tactus venerabilis Petrus tunc eorum Abbas, egregiam illam singulari affabilitate temperatam, quam habes anno 1154, epistolam dedit ad Gervasium Montis Dei Priorem, cui in alia epistola

Ab omnibus ut sanctus habitus.

ANNUS 1184

Ex Ms. Montis Dei.

commendat « Fratrem Simonem, lumen, inquit, oculorum meorum, partem viscerum meorum. » Paulo post emissam apud nos professionem, præfatus Gervasius, cognita ejus industria, Procuratorem eum instituit; quod indicant instrumenta piarum aliquot donationum. Tantum pietatis et modestiæ ab ipsius officii primordiis B. Simon exhibebat, ut jam quasi Angelus e cœlo delapsus crederetur. Circa temporalia quoque versatus, omnia probe et prudenter administrabat, multis constructis necessariis ædificiis. Assumptus in Priorem, sollicitus magis circa spiritualia fuisse quam circa temporalia reperitur; pauca enim de illo in Cartulariis Domus occurrunt. Tanta sub eo vigebat in claustro observantia regularis, ut eo solo nomine, Montis Dei ubique fama diffunderetur.

A sanctis sui temporis viris amatur.

S. Bernardus Clarevallensis, Petrus Cellensis, Guillelmus Theodoricensis abbates, cum tantum Procuratorem ageret, in ejus amorem et venerationem jam ferebantur. B. Bernardus cardinalis, Petrus cardinalis sancti Chrysogoni, Basilius Cartusiæ Prior quantopere illum æstimarent, testantur quæ de illo sparsim in eorum scriptis leguntur. Imprimis Joannes Sarisburiensis, postea Carnotensis præsul, eum ita observabat ut de eo laudabiliter ubique tractaret, vocatque eum sæpius in epistolis et Tractatibus « virum sanctissimum et laudatissimum ». Quæ certe laus a tali homine profecta non parvi æstimanda est. Magnus enim vir, et vere magnus pietate et literarum scientia habebatur Magister Joannes, qui inter familiares S. Thomæ martyris coaptatus, ei a secretis factus est. Adstitit primæ legationi quam Simon noster obiit pro S. Thoma, ejusque in *Historia* honorifice meminit. Amabat enim eum singulariter, ejus etiam intuitu multoties ad Montem Dei advolabat et corpore et animo ; quod si utrumque non daretur, iteratis amicos suos epistolis sollicitabat ut de amicis suis Montis Dei sibi scriberent. Petrus tunc abbas S. Remigii scribens ad præfatum Joannem et Richardum fratrem ejus postea Canonicum regularem, hæc ait : « Bene est amicis vestris et nostris : Cellensi Abbati

Pet. Cellen. Epist. 82 seu 14. lib. V.

sanctorum Crispini et Crispiniani, Abbati sancti Nicasii, Prioribus de Monte Dei et de Valle S. Petri, » scilicet Simoni et Engelberto.

ANNUS 1184

VIII. Probabile est primam notitiam quam S. Thomas et magister Joannes habuere de Monte Dei, natam fuisse ex occasione transitionis S. Thomæ per oppidum Mosomense, quando ab Anglia in Franciam profugus tandem eo appulit anno 1164, hospitatusque est in monasterio B. Mariæ Ordinis S. Benedicti ; ubi humanissime per aliquot dies ab Abbate loci fuit habitus. Indeque discedens, ad Montem Dei fertur itineris opportunitate divertisse. Quod quidem probari potest ex eo quod Simon ante legationem suam beato Martyri notus esset (ut ex epistolis Joannis Sarisburiensis colligi potest) et ejus familiaribus, maxime præfato Joanni, Richardo fratri ejus, Girardo et Radulpho.

UNDE NOTUS S. THOMÆ CANTUAR.

Ad Gerardum idem Joannes scribens paulo ante S. Thomæ martyrium, sic de Simone loquitur : « Sit itaque, si placet, miserationis vestræ sollicitare sanctum Priorem et amicos Christi de Monte Dei et Valle S. Petri, et Abbates S. Nicasii et sancti Crispini, et alios sanctos familiares vestros, quatenus nobis apud Altissimum suffragentur, ut eorum meritis salubriter liberemur, qui periclitamur ex nostris. » Radulphus etiam Anglicus, postquam Remensis decanus factus est, multa ad Simonis petitionem pro Montis Dei juribus egit, eum ab iniquorum petulantia vindicans, ut ex Domus chartophylaciis apparet; ipseque vel ejus in Decanatu decessor Fulco cum toto Clero Remensi ipsum apud Alexandrum Papam laudat ut « virum sanctissimum » plenumque autoritate fidei, cujus verba, inquiunt, apud nos et reliquos qui hominem noverunt, multorum præponderant juramentis.

Denique quanti eum fecerit Summus Ecclesiæ Antistes Alexander III, non solum manifestum fit ex legatione ejus ad Henricum regem, sed ex consilio ipsum ad Cardinalatum promovendi, ut suis locis diximus. De morte ipsius, quamvis nihil certum distincte habeamus, eam tamen in conspectu Domini fuisse pretiosam nefas est ambigere. Ex vitæ enim

A Summo Pontifice honoratus.

ANNUS 1184

sanctitate, mortis etiam sanctitas declaratur. Ejus obitus declaratur in Necrologio Montis Dei ad diem 17 Novembris. Garnefeldius nomen ejus recenset in *Catalogo Sanctorum Ordinis Cartusiensis;* sed in eo graviter labitur, quod eum dicat præfuisse Domui Parisiensi, quæ diutissime post extructa est.

ENGELBERTUS QUONDAM EPISCOPUS CABILLONENSIS SIMONI SUCCEDIT.

IX. Mortuo Simoni invitus cogitur succedere Engelbertus, quondam Prior Vallis S. Petri, et inde episcopus Cabillonensis ac tandem iterum Montis Dei Monachus; vir in spirituali vita et sanctitate, ex Sanctorum testimonio probatissimus. Unde non solum suos, sed exteros ad spiritualis vitæ obeundas semitas, exemplo et verbo animans, non mediocre subsidium utrique commissæ sibi Domus statui procuravit.

Ex ms. Montis Dei.

Ejus etiam vitæ bono odore illectus Registensis Comes multa Monti Dei contulit. Haud diu post institutionem suam ad Vallis Dei Cartusiam accessit, ubi et quamdam donationem eidem Domui factam approbavit cum Radulpho Vallis S. Petri Priore; et in literis datis anno 1185 dicitur Prior Montis Dei, quondam episcopus Cabillonensis, sicut et in literis nobilis Bartholomæi de Verrieres anno sequenti scriptis. Hic nobilis sed vecors juvenis, moleste ferens donationem a patre suo Monachis Montis Dei quondam factam, multas

Quemdam Nobilem ad meliorem frugem convertit.

cœpit eis inferre injurias, qui tandem Engelberti admonitionibus devictus atque compunctus cessit et satisfecit, ut ex eisdem literis videre est, quas in rei et episcopatus Engelberti argumentum libet subjicere :

« Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Bartholomæus miles de Verrieres et uxor ejus et ipsorum filius Bartholomæus, pascua prædictæ villæ pro remedio animarum suarum et prædecessorum suorum ecclesiæ B. Mariæ Montis Dei prompta devotione, libera et absoluta atque in perpetuum possidenda obtulerunt et dederunt. Quod donum Bartholomæus junior, instinctu diaboli postea annullare volens, plurimas sæpe molestias et inquietudines prædicti loci Fratribus intulit et a suis præcepit fieri. Quæ controversia, Deo volente et cor præfati viri compungente, mediante do-

mino Engelberto quondam Cabillonensi episcopo, nunc autem Priore Montis Dei, ad hunc finem perducta est. Compunctus enim et pœnitens prædictus Bartholomæus de molestiis prædictis Fratribus injuste illatis, eleemosynam a patre suo et a matre sua et a seipso factam, coram prædicto Priore et ejus loci Fratribus recognovit ; et jurisjurandi sacramento, et fide propria in manus Prioris Montis Dei data, donum stare inviolabile, et matrem suam atque suos fecit approbare et laudare, et ubique et contra omnes, cum necesse fuerit, legitime garandire. Et ut in perpetuum donum istud firmum et ratum habeatur, domini Henrici comitis Grandisprati sigillo fecit communiri. Testes hujus rei sunt Engelbertus Prior Montis Dei totusque ejusdem loci monachorum Conventus. Willelmus presbyter de Setonia et Richardus parochianus ejus, Odilo de Verrieres, et cæteri quamplurimi. Actum et recognitum anno 1186. Amen. »

ANNUS 1184

Eodem anno, scilicet 1186, ascendit Engelbertus ad Majorem Cartusiam, et ibidem celebratis Ordinis Comitiis, Majorevi cartusiam petiit, ubi cum Rodulpho et Joanne Prioribus Vallis sancti Petri et Luviniaci litem composuit quæ erat inter ejusdem Domus monachos et Guiffredum de Rubeomonte. Deinde etiam Luviniaci Domum ex Capituli generalis mandato visitavit, adfuitque ibidem transactioni initæ a Manasse episcopo Lingonensi inter Conventum et virum nobilem Renerium de Calvomonte. Præfuit deinde dictæ Montis Dei Domui ac profuit per plures annos, ubi et obiit in senectute bona, ut dicemus anno sequentis seculi secundo.

Quasdam Ordinis Domos visitat.

JESU CHRISTI

ANNUS 1185.

Lucii PP. III.	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 4.	Ann. 102.	Ann. 6.

LUCIUS PAPA CONCEDIT LICENTIAM VOCANDI ALIUM EPISCOP. PRO ORDINIBUS.

I. MILLESIMUS centesimus octogesimus quintus annus salutis agitur, Indictione tertia, quo Lucius Papa adhuc agens Veronæ, pergit pluribus gratiis Ordinem nostrum decorare. Ac primum ad tollendam monachis omnem solitudinis etiam ad momentum relinquendæ occasionem, concessit ut impedito proprio episcopo liceret nobis alium quemlibet vocare, qui sponte ad Domos nostras accedere vellet sacros Ordines impertiendi gratia. Extat hujus beneficii bulla ad Statutorum Antiquorum calcem, circa quam advertendum est Religiosos posse a quocumque catholico Episcopo ordinari; neque hoc fuisse a Tridentino Concilio revocatum, licet definiat « quod unusquisque a proprio Episcopo ordinetur. » Tale enim decretum de Regularibus non intelligitur, qui a quocumque Episcopo catholico, ut diximus, possunt ordinari, sicut declaravit Pius V. Non possunt tamen ipsi Præsules eos ordinare sine literis et licentia propriorum Prælatorum. Nec etiam hoc privilegium antiqui Patres impetravere declinandæ suorum Antistitum jurisdictionis causa, sed solum ut eo vel absente vel impedito, nostræ solitudini ac « quieti attentius provideretur, » ut ipse Lucius in præfata bulla profitetur, quæ data est Veronæ, sexto Idus Januarii.

Inter privileg. n. 6.

Conc. Trid. de Reformat. sess. 23. c. 8.

Bohic. in Annal. mss. Ord. Cartus.

Vide Em. Rodr. to. 3. q. reg. quæstio 24. art. 1.

Omnes prælatos hortatur ut nos protegant.

Altera die, mandatum quod anno præterito Archiepiscopo Viennensi et ejus Suffraganeis de protegendis Cartusiensibus

contra exagitatores fecerat, ad omnes Ecclesiæ Prælatos extendit, data bulla quæ hactenus in Durbonensi Cartulario latuerat, estque hujus sententiæ : ANNUS 1185

« Lucius, venerab. Fratribus Archiepiscopis et Episcopis ad quos literæ istæ pervenerint Sal. et Apost. Benedict. Cum dilectos filios nostros Fratres Ord. Cartus. merito suæ Religionis caros habeamus plurimum et acceptos, mandatum quod pro eis facimus, tanto volumus efficacius adimplere, quanto gravius Creatorem nostrum offendunt qui eos ex occasione aliqua persequuntur. Quapropter universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatinus si quis contra indulta eisdem Fratribus privilegia venire præsumpserit, et ammonitus resipiscere forte contempserit, eum nullius contradictione vel appellatione obstante per censuram ecclesiasticam compescatis; ita quod iidem Fratres per justitiam vestram debita gaudeant pace, et vos de zelo justitiæ et opere pietatis apud Deum et homines commendabiles possitis apparere. Datum Veronæ, V Idus Januarii. »

Ex Cartul. dom. Durbon.

II. Præter hanc generalem bullam tutelarem, singulares quoque literas ad quosdam Nobiles variis molestiis quasdam Domos afficientes dedit, quibus lenitatis spiritum suggerere studet. Harum literarum exemplum e Domo Seizensi habuimus, quibus hujusmodi homines ad bonam frugem sic revocat :

NOBILES MONET NE NOS MOLESTENT.

« Lucius, etc. Dilectis filiis nobilibus viris..... Salutem et Apostol. Bened. Cum vos ab infestatione servorum Dei ipsa magis debeat reverentia divini timoris avertere, non otiosum tamen putavimus, ut hoc intelligere et servare possitis, per literas vos Apostolicas commonere; ut nostra saltem increpatione commoniti, desinatis imposterum, sicut expedit vobis, Dei servitoribus adversari. Pervenit autem ad audientiam nostram, quod vos, unde satis dolemus, proprii periculi consideratione postposita, dilectos filios nostros Religiosos de Valle S. Joannis multipliciter infestatis : Eum sine dubio in eorum gravaminibus offendentes, qui facultatem vobis lar-

Ex Archiv. Cartus. Seiz.

ANNUS 1185

gitus est in terris, qua per suffragia servorum ejus, eorum societatem habere possitis in cœlis. Cavendum est ergo vobis ne convertatis ad perniciem quod datum est ad salutem ; et unde majorem a Deo potestis consequi gratiam, inde, quod absit, ejus incurratis offensam. Unde nobilitatem vestram per Apostolica scripta monemus attentius..... quatenus a prædictorum Fratrum vexationibus abstinentes, nullas eis injurias, nullas eorum rebus molestias inferatis. Sed ita de cætero pro superni reverentia Conditoris et nostræ interventionis obtentu, eisdem Fratribus mites et placabiles sitis, quod propter hoc in vobis nec supremum judicium debeat invenire quod puniat, nec audiat interim Ecclesia Dei quod debitæ justitiæ severitate percellat. Datum Veronæ, XII Cal. Martii. »

QUO FRUCTU.

III. Quosdam vero hujusmodi admonitionibus commotos ad saniorem mentem revocatos fuisse ex Matris Cartusiæ tabulario discimus. Cum enim Henricus de Fulciniaco Aymonis Domus Repausatorii fundatoris filius, patris non statim insistens vestigiis, bona ab eo in dotem tradita retrahere vellet multasque aliæ novæ cartusiæ inferret molestias, ad Archiepiscopum Viennensem, quem anno superiori cum ejus Suffraganeis Lucius nostri Ordinis defensorem constituerat, monachi recurrunt nec sine fructu. Agentibus namque præfato Archiepiscopo et Genevensi Præsule, non solum ablata restituit Henricus, sed et quidquid infra Domus terminos possidebat, Majori Cartusiæ totique Ordini in Repausatorii gratiam concessit, confecto tali diplomate :

Ex archiv. cart. Repaus.

« J. Reverentissimo Priori Cartusiæ et sanctissimo ejusdem loci Capitulo et toti religiosissimo Ordini, Henricus de Fulciniaco salutem et cœlestis gratiæ incrementum. Ego Henricus de Fulciniaco dignum duxi notificare tam præsentibus quam futuris delictum meum, ut coram Omnipotente citius merear excusari. Peccatis namque meis exigentibus et malignorum suggestione, præsumpsi inquietare Priorem et Fratres de Repausatorio super quibusdam terris et possessionibus, quas Aymo pater meus fel. memoriæ et frater meus Rodulphus prædictæ Domui dederant. Postea pœnitentia ductus, et cor-

rectione Religiosorum revocatus, et formidine gehennalis poenæ territus, consilio proborum et sapientum virorum..... totum in melius emendavi. Dedi namque sanctissimo Conventui Cartusiensis Ordinis et specialiter Fratribus de Repausatorio, quæcumque infra terminos eorum continentur, nulla proprietate dominii retenta. . . . . Hanc donationem feci laudante fratre meo Willelmo, et consentientibus Baronibus meis et approbantibus ; et ut istud firmius teneatur jussi corroborari et præmuniri sigillo Domini Lucii Papæ, et Viennensis Archiepiscopi, et Gebennensis Episcopi, et Prioris Cartusiæ, et Prioris Alveriæ et vestro et meo. Hæc donatio facta est apud Valerias, quamdam grangiam ipsius Repausatorii, mense Octobre feria II, Luna XXIII, anno ab Incarnatione Domini MCLXXXV, Epacta XVII, decemnovennalis Cycli anno VIII, concurrente primo octogesimæ Indictionis anno III, Lucio Papa III S. R. E. præsidente, Frederico Rom. Imp. feliciter regnante. De hoc testes fuerunt isti : Ego Henricus qui hanc donationem feci et confirmavi, et Willelmus Alamanus, Giraldus senescalcus meus, Pontius Bennus, Guido de Tran., Vivianus de Hospitali, Mainerius sacerdos, Pontius de Sancto Georgio, Willelmus Pincerna . . . . . Durandus ejusdem Domus Repausatorii Prior, et Fratres ejusdem Domus quorum ista sunt nomina : Willel. Monachus et Procurator, Stephanus Sacrista, Benedictus, Willelmus et alius Willelmus ; Simeon, Joannes, Stephanus Conversi, et alii quamplures tam Laici quam Conversi.

ANNUS 1185

IV. Genevensis Præsul, de quo in præfata Charta, vocabatur Nantelinus sive Nantelmus ; hoc ipso anno, post Arducium Cartusiæ Repausatorii benefactorem Calendis Augusti demortuum, ad hanc sedem ex Priore Domus nostræ Vallonensis assumptus. Inita vero episcopatus possessione, statim a Friderico Imperatore confirmationem impetravit omnium privilegiorum suæ Ecclesiæ concessorum. Cumque Guillelmum Genevensem comitem contra ea pacem Ecclesiæ perturbantem cohibere non valeret, zelo Domus Dei incensus, spretis illius minis, fidenter eum apud Imperatorem accusa-

NANTELMUS EPISCOPUS GENEV. EX PRIORE VALLONIS.

Sammarth. in Ep. Genev.

ANNUS
1185

Angion. cartusiam tuetur.

tum banno Imperii submitti petiit et obtinuit. Nec suæ tantum, sed aliarum ecclesiarum curam et defensionem suscipiens, Angionis cartusiæ in sua diœcesi sitæ monachos, injuriam a quibusdam vicinis patientes, toti Clero Genevensi scriptis sequentibus literis commendat :

Ex archiv. Maj. Cartus.

« Nantelmus Dei gratia Gebennensis episcopus, dilectis suis Decanis, Prioribus, Capellanis, in Gebennensi episcopatu constitutis ad quos literæ istæ pervenerint, salutem. Cum injustis oppressionibus et injuriis undique videamus concuti et violenter atteri Dei Sponsam et ejusdem servitio deputatos, ejus paci providentes, saltem armis ecclesiasticis ipsam volumus in partibus nostris protegere et cum omni diligentia defensare. Ea propter vobis mandamus, et mandando firmiter et districte præcipimus, quatenus si forte venerabilibus Fratribus de Alione quis injuriari præsumpserit et querimonia ad vos venerit, ipsis dignam justitiam omni dilatione remota faciatis. Si quis vero (quod absit) eorum prædam rapuerit violenter, dum in parochiis vestris ipsa præda vel raptores præsentes fuerint, nulla divina ibidem celebretis, ipsosque malefactores, donec satisfecerint, excommunicatos publice denuncietis. Conqueruntur autem supradicti Fratres super quibusdam parochianis vicinorum sacerdotum, qui dimissa publica strata et communi apud Sanctum Eugendum, nullam Deo et tanto Ordini reverentiam exhibentes, per Fratrum cellulas viam facere præsumunt, quod autoritate Dei et nostra ne deinceps fiat prohibemus, et quicumque hoc fecerint excommunicationi subjici præcipimus. »

MANASSES COMES REGISTENSIS DOMUI MONTIS DEI RECONCILIATUR.

V. Engelbertus ex Cabilonensi episcopo factus Montis Dei Prior, eamdem iniit viam ad molestias compescendas suæ Domui ab exagitatoribus illatas, maxime a Manasse Registensi comite qui Willelmi Remensis archiepiscopi hortationibus devictus ab injuriis cessavit, datis etiam in signum veræ pacis sequentibus codicillis, quibus res omnes ad Montem Dei pertinentes sub tuitione sua recipit :

Ex archiv. Montis Dei.

« Engelberto Dei Gratia venerabili Priori cæterisque Fratribus Montis Dei præsentibus et futuris, Manasses Dei

patientia comes Registensis, cum uxore mea Mathilde ac filio meo Hugone, simul cum fratre meo Balduino ac nepotibus, salutem et pacem bonam. Volumus vos, dilectissimi, paterna sollicitudine ac dilectione amplecti, res vestras et possessiones sub tuitione nostra sine diminutione custodiri. Et non solum hoc, sed et si quid in eis defuerit, per nos cupimus adimplere. Inde est quod quidquid in terris, sylvis, pascuis, aquis, a piæ memoriæ Witerio patre nostro, et ab Odone venerabili abbate S. Remigii vestri monasterii fundatore, Ursione S. Dionysii, Richardo Mosomensi abbatibus..... vel aliis Dei fidelibus vobis collatum est, vel in antea Deo propitio conferetur vobis vestrisque successoribus, per præsentis scripti paginam confirmamus. . . . . Ut ergo mente et corpore omnipotenti Deo servire liberius valeatis, statuimus vos ab omni inquietudine cujuslibet rei vel placiti quietos ac liberos remanere, nec de his quæ in terris, sylvis, pascuis, aquis, agricultura, vobis collata sunt, ullam vos injuriam vel molestiam sustinere. Posterorum etiam memoriæ per literarum apices commendamus, quod discordia quam pluribus annis ego et frater meus Balduinus, etc.... adversus Priorem et Fratres de Monte Dei habebamus pro parte nemoris ipsorum qui nostrum esse credebamus, mediante D. Willelmo Remorum archiepiscopo, talem finem accepit: quia Prior et jam dicti Fratres, et ego et Balduinus frater meus. . . . in D. Simonem abbatem S. Remigii compromiserunt, ut quod inde statueret consilio prudentum et religiosorum virorum, ab utraque parte ratum haberetur et firmum. Abbas vero accedens ad Montem Dei, accitis secum viris religiosis et discretis abbatibus de Mousom et Eslan, et decano Mosomensi, et hominibus terræ quibus veritas magis innotuit, circuitum fecit per terminos dictorum Fratrum, ex testimonio juratorum, sicut eis nemus, prata, et terra, et aqua, a longe retroactis temporibus fuerant collata et assensu et voluntate patris mei concessa, et privilegiis Romanorum ac Remensium Pontificum confirmata, metas et limites consignavit. . . . . Insuper ego et Balduinus frater meus, ad perfectæ pacis et

ANNUS 1185

ANNUS
1185

concordiæ cumulum, donum de nemore et aqua, ... super sanctum altare, pro salute animæ patris mei et matris meæ, et fratrum nostrorum et sororum contradidimus. Locum etiam in quo prædicti Fratres divino mancipati sunt obsequio, sub nostra protectione servandum suscipimus. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Testes autem hujus rei sunt Engelbertus quondam Cabilonensis episcopus, nunc autem Prior Montis Dei; Richardus et Robertus et Radulphus sacerdotes, cæterique quam plurimi Monachi et Conversi prædicti loci. Prior simul cum presbytero de Dunchery; de Militibus, Balduinus frater Comitis Registensis, Mauritius de Beelrains, Radulphus de Dunchery, Robertus Barris præpositus Comitis. Actum anno MCLXXXV. »

Engelbertus Prior Montis Dei, quondam Episc. Cabilonensis.

PAX INTER ABBAT. BONÆVALL. ET MAJ. CARTUSIAM.

VI. Pari modo, hoc anno, controversia inter abbatiam Bonævallis et Magnam Cartusiam sedata est, ut ex subjecta Charta liquet:

« Notum sit omnibus præsentibus et futuris, quod cum quæstio versaretur inter Domos Bonævallis et Cartusiæ, ad hanc discordiam sopiendam et pacem reformandam, Domnus Hugo abbas Bonævallis, et Burno Prior ejusdem Domus venerunt Cartusiam. Fratribus ergo Cartusiensibus terminos suos liberos habere volentibus, e diverso autem Bonevallensibus rem, de qua quæstio agebatur, sui juris esse dicentibus, talis tandem compositio inter eos, Deo disponente, processit. Domus Bonævallis terminos possessionum Cartusiæ, sicut Cartusienses Fratres melius bona fide intelligunt, laudat atque cognoscit, scilicet. . . . . Si quis vero Fratrum Bonævallis sive Cartusiæ contra constitutionis hujus paginam veniens, hanc in aliquo concordiam violaverit, a Domo sua ejectus, nequaquam reconcilietur donec Domus, cujus læsa videtur utilitas, literas pro eo deprecatorias miserit. Si mercenarius vel alius aliquis offensæ hujus reus fuerit, siquidem mandato vel consensu Conversi hoc fecerit, Conversus eji-

Ex archiv. Maj. Cart.

ciatur. Si vero mercenarius propria præsumptione hoc fecerit, ipse tantum mercenarius expellatur. Proinde ad horum omnium perpetuam firmitatem, Chartam hanc per alphabetum divisam, quatuor sigillis, domini scilicet Viennensis Archiepiscopi, et domini Joannis Gratianopolitani episcopi, Bonævallis quoque atque Cartusiæ, utrique parti muniri complacuit. Et sic una pars in Domo Bonævallis, altera vero apud Cartusiam in testimonium conservaretur. Acta sunt hæc apud Cartusiam in præsentia Guigonis Augustensis episcopi, Hugonis Bonævallis abbatis, Willelmi Leoncelli abbatis, Jocelini Prioris Cartusiæ. Testes sunt ex parte Bonævallis : Burno Prior Bonævallis, Giroudus ejusdem Domus Monachus, Othmarus et Artoldus de Voissent Conversi. Ex parte vero Cartusiensium : Hugo Prior Excubiarum, Laurentius Prior Valonis, Petrus Prior de Pomers, Chatbertus Prior de Ardua. De Monachis autem ejusdem Domus, Guigo olim Prior Cartusiæ, Petrus Bermundi, Petrus Gratianopolitanus, Guitfredus Procurator, Willelmus de Augusta, Bovo, Stephanus, Garnerius, Willelmus Baldens ; et Amedeus et Rothbertus Novitii. De Conversis vero, Petrus de Astrariz, Rainaldus, Ungrinus, Petrus de S. Genesio, Giraldus de Podio Bosonis, Joannes Poncius, Aimo Pajans, Teothdericus etiam Conversus de Sylva, et Willelmus Genulz Conversus Excubiarum. Hanc Chartam uterque Conventus laudavit, tam Bonævallis quam Cartusiæ. Acta sunt hæc omnia et scripto commendata, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octuagesimo quinto, in mense Maio, decimo Calendas Junii. Sigillum Bonævallis. Sigillum R. Viennensis archiepiscopi. Sigillum J. Gratianopolitani episcopi. Sigillum Cartusiæ. »

ANNUS 1185

VII. Dum Nostri Præsulum fulti autoritate litium tricas et implicationes sic studiose vitant, ipsi Præsules sanctum eorum admirati candorem et sapientiam, de rebus suis eos adhibere in consilium non aspernantur. Hoc enim anno cum venerandum ac illustrissimum Lugdunensis Ecclesiæ Capitulum quædam Statuta condidisset, eorum promulgationi et

PRIORES CARTUSIENSES INTERSUNT PROMULGATIONI STATUTORUM ECCLESIÆ LUGDUNENSIS.

ANNUS 1185

confirmationi interesse voluit tres Stephanos cartusiarum Vallisclusæ, Portarum et Majorevi Priores. Id colligimus ex codice ejusdem Ecclesiæ plura Statuta ab Archiepiscopis et Canonicis aut ex eorum consensu edita, complectente. Hic codex sic inscribitur : « Incipiunt Statuta Ecclesiæ Lugdunensis et Ordinatio officiorum ejusdem. » Primumque Statutum videtur scriptum a Gaucerano, qui præfuit ab anno circiter 1112 ad 1116. Ad eum enim videntur referenda hæc verba quæ in fronte leguntur : « Nos G. primæ Lugdunensis Ecclesiæ Minister humilis. » Deinde post plura alia decreta promiscue codici inserta, de tribus præfatis Prioribus hæc habentur : « Hoc scriptum fecerunt Petrus de Maisiaco thesaurarius, et Petrus de Insula, et quidam alii de duodecim, et etiam de Canonicis ex præcepto totius Capituli. Quod scriptum postea approbaverunt in Capitulo Lugdunensi, pulsata campana et evocatis omnibus qui commode poterant evocari, præsidente Joanne archiepiscopo, Stephano de Rochitalia decano, et multis aliis tam Canonicis quam presbyteris et clericis, et præsentibus Stephano Priore de Valleclusa, et Stephano Priore Portarum, et Stephano Priore Majorevi, anno Domini MCLXXXV. » Prior Portarum ibi designatus, ipse erat S. Stephanus postea Diensis episcopus.

Statuta mss. Eccles. Lugd.

NOVA LUCII PAPÆ ERGA NOS BENEFICIA.

VIII. Eodem denique tempore Lucius Papa, paulo ante mortem, pleraque ab Alexandro III tradita privilegia non confirmavit modo sed aliis ea cumulavit, scripta prolixissima bulla cujus exemplum habetur in laudato Cartulario, in quo post descriptas Alexandri literas, has novas gratias addit : « Liceat quoque vobis Cartusiensibus, Clericos vel Laicos liberos et absolutos e seculo fugientes ad conversationem vestram recipere, et eos absque ullius contradictione in vestro Collegio retinere. Prohibemus insuper ut nulli Fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem, absque licentia Prioris sui fas sit de Claustro vestro discedere, discedentem vero absque communium literarum cautione nullus audeat retinere. » Quam inhibitionem primum obtinuisse Patres videntur, occasione defectionis monachi illius nomine

Ex cartul. dom. Durbon.

Alexandri de quo plura ante biennium diximus. Post hoc decessit Lucius mense Novembri, Veronæ sepultus ; cui statim suffectus fuit miro omnium Cardinalium consensu Urbanus III, antea Lambertus Cribellus archiepiscopus Mediolanensis.

ANNUS 1185

IX. Non Summi tantum Pontificis benevolentiam, sed et Regum beneficientiam Ordo noster sensit. Ildefonsus Arragonum rex, Scalæ Dei fundator, præter exemptiones ante tres annos toti Ordini concessas, primus omnium Principum beneficum se exhibuit Capitulo generali quadringenti annui reditus solidos largiendo, ut ex literis post novem tantum annos expeditis patebit. Henricus Angliæ rex quinquaginta argenti marcas annui pariter census contulit matri Cartusiæ, in cujus Tabulario autographum tantæ largitatis adhuc servatur in hunc modum :

ILDEFONSUS REX ARAGON. CAPITULI GEN. PRIMUS BENEF. Ex archiv. Maj. Cart.

Henricus rex Angl. reditus dat Maj. Cart.

« H. Dei gratia rex Angliæ, et dux Normanniæ et Aquitaniæ et comes Andegavi, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Justitiariis, Vicecomitibus, et omnibus Baillivis, et fidelibus suis, salutem. Sciatis me pro salute mea et antecessorum et successorum, dedisse in perpetuum eleemosynam, et præsenti Charta mea confirmasse, Deo et Priori et Fratribus de Chartosa quinquaginta marcas argenti habendas annuatim de Scaccario meo Angliæ, et recipiendas singulis annis ad idem Scaccarium meum duobus terminis : videlicet XXV marcas in termino Paschæ, et in termino festi S. Michaelis XXV marcas. Quare volo, et firmiter præcipio, quod idem Prior et Fratres de Chartosa illas quinquaginta marcas habeant in libera et perpetua eleemosyna, et singulis eas recipiant prænotatis terminis ad prædictum Scaccarium meum ; ita quod nullus eos inde disturbare præsumat. Et si quis de hæredibus meis vel aliquis alius, hanc eleemosynam meam infringere præsumpserit, maledictionem Omnipotentis Dei et meam incurrat. Testibus Waltero Rothomagensi archiepiscopo, H. Bajocensi, et J. Ebroicensi episcopis, H. Conventriæ electo, Roberto archidiacono de Notingeham, Willelmo de Humetis constabulario, Richardo de Humetis filio suo,

Ex eod. Cartular.

ANNUS 1185

Willelmo filio Rud. senescallo Normanniæ, Secr. de Quenci, Hugone de Creissi, Rogerio de Stutevilla, Alveredo de Sancto Martino apud Cæsaris Burgum. »

Fr. Godw. in Episc. Angl.

Walterus, in his literis testis nominatus, e Sede Lincolniensi ad Rothomagensem anno superiori traductus fuerat, Hugo vero qui dicitur electus Conventrensis in Episcopum anno sequenti consecratus est; unde colligimus præfatum regis Henrici diploma circa præsentem annum datum fuisse.

S. HUGONEM VISITAT ET AB EO MONITA SALUTIS RECIPIT.

X. Diximus ante tres annos eumdem Regem post confectum suum testamentum Gallias petiisse, ubi eum moratum fuisse legimus ad annum superiorem, quo reversus in Angliam S. Hugonem sæpius invisebat vel ab eo invisebatur, monita salutis ab eo libenter accepturus. « Nec enim, inquit illius Vitæ autor, erant multi, sed nec ut a multis credebatur, vel unus in omni ejus potestate, in quo magis requiesceret spiritus ejus quam in Priore Witamiæ. In omnibus terris ejus nulla inveniebatur persona cujuscumque gradus aut ordinis, cui libentius auscultaret, cui pronius obtemperaret, quam homini huic in omnibus quæ vel ratio salutis ab eo inquiri vel audiri exegisset. Tanta denique familiaritate seipsum illi committebat, tam singularis amoris privilegio cunctis fere omnibus illum præferebat, ut crederent et assererent pertinaciter nonnulli hunc filium Regis naturalem esse. »

Vita ms. S. Hugon. lib. II. cap. 7.

Invocato illius nomine a naufragio liberatur.

Interea recrudescentibus inter Regem Franciæ et Comitem Flandriæ inimicitiis, rex Henricus utriusque partis conciliandæ gratia, in Gallias rursum hoc præsenti anno proficiscitur, paceque confirmata sequenti anno transfretavit. In una earum navigationum, coorta repenti, atroci fœdaque tempestate, per totam noctem de salute periclitatus, invocato Hugonis nomine vovensque Deo se ad episcopatum illum promoturum, periculum evasit. Rem narrat autor Vitæ illius, his verbis :

Ubi supra lib. II. c. 8.

« Contigit vice quadam Regem cum classe non modica, medium pelagus quod inter Neustriam Britanniamque limitatur sulcantem, nimia tempestate suborta, repente pene naufragari. A prima denique vigilia noctis, mare intumescens furentibus ventorum nimiis motibus, aut obsistere aut allidere

nisum, naves mediis nunc astris nunc immergere abysso laborabat. Hoc elementorum ludo, nescio an aliquid in hoc mundo humana pertulerit conditio luctuosius? Sub hac, morte ipsa amariore, mortis imagine non modicum tempus expensum docebat singulos navigantium, omne mortalis vitæ spatium vix exiguum reputari posse momentum, si sagax inspector rerum illius contempletur occasum. Nil rex, nihil consul, nil potens, nil fortis, nil dives, nil juvenis aut senex, totum illud causabatur quod eatenus vixisset, quod serenum aliquando vidisset et tranquillum. Jam enim sub oculis præsens mortis imago cogebat nonnullos habere in votis ipsius pridem aculeum pertulisse. Quibus mens sanior erat, confessioni peccatorum insistebant; ex desperatione præsentis vitæ, sollicitudines futuræ capientes. Precibus plerique gemebundis, votisque ad Deum et ad Sanctos et Sanctas succlamabant. Rex tandem et ipse in hæc verba prorupit: O, inquit, si vigilaret nunc Cartusiensis Hugo meus, si secretis intenderet modo precibus, si vel solemnibus cum suis Fratribus interesset modo divinorum officiorum excubiis, non ita in longum mei oblivisceretur Deus ! Tunc altius ingemiscens inquit : Deus cui in veritate servit Prior Withamiensis, illius interventu ac meritis nobis, in tanta pro peccatis nostris angustia juste deprehensis clementer miserere. Ferunt quidam etiam vovisse eum, quod ad Pontificale eum niteretur gradum quantocyus promovere, si meruisset incolumis ad portum pervenire. Nec mora : pelagi fragor, ventorum turbo, subsedit et evanuit; cadunt fluctus, redit aura levior, funditus complanatur æquor, naves universæ optato potiuntur litore; referuntur ab universis gratiarum actiones divinæ clementiæ, votaque servati referunt in litore nautæ. »

ANNUS 1185

Vovet eum ad Episcopatum promovere.

Virgil.

Rex Angliam vix ingressus voto se liberare cogitavit; quod et paulo post executus est, ut anno sequenti dicemus.

XI. Hoc anno fundatur Apponiaci cartusia in territorio et diœcesi Nivernensi in pago de Remilly, quatuor aut quinque leucis a Decetia versus orientem, una vel duabus versus septentrionem a Luzi, Nivernensis agri oppidis distans. Ejus

CARTUSIA APPONIACI FUNDATUR.

ANNUS
1185

progressus, sicut et ejus initia adeo parva et exigua semper extiterunt, ut etiamnum nulla res eam commendet præter ejus antiquitatem et pretiosam paupertatem, quæ vix suis copiolis quatuor aut quinque potest sustentare. Fundatorem habuit Theobaldum episcopum Nivernensem, qui anno 1179 adfuit generali Concilio Lateranensi tertio; unde reversus modis omnibus statuit variis religiosarum Domorum velut gemmis suam diœcesim illustrare, præsertim hujus constructione cartusiæ in loco Apponiaci, ubi pro se et pro grege sibi credito, Deo juge laudis sacrificium litaretur. Ad id maxime concitatus est quorumdam piorum sacerdotum precibus, qui eodem in loco ab aliquot annis vitam agentes solitariam, nostrum Institutum amplecti avebant, quod et fecerunt post adventum primorum Patrum. Egit itaque Theobaldus cum suo venerabili Capitulo ut Ordini Cartusiensi præfatus adscriberetur locus, datis sequentibus literis :

Ex Histor. ms. Molini.

Locus prius a sacerdotibus habitatus.

Ex monumentis Domus.

Ab Episcopo Nivernensi nostris conceditur.

« Ego Theobaldus, Dei patientia, Nivernensis episcopus, et ego Joannes decanus et totum Capitulum Ecclesiæ Nivernensis, notum facimus universis omnibus tam præsentibus quam futuris, quod nos dedimus et concessimus Fratribus Ordinis Cartusiensis locum de Apponay integre cum pertinentiis suis, sylvis scilicet, terris, pratis et aquis, et omnibus quæ in futurum secundum Ordinem Cartusiensem loco illi poterunt juste acquirere..... In hujusmodi vero concessionis testimonium et firmamentum, præsenti paginæ sigilla nostra fecimus apponi. Actum Niverni publice, anno Incarnati Verbi millesimo centesimo octuagesimo quinto, in Capitulo S. Cyrici ; Domino Lucio Papa in Cathedra Romanæ Ecclesiæ præsidente, regnante Philippo rege Francorum. »

Vivebat adhuc anno 1188 pius fundator, de quo nihil apud Scriptores præter hujus fundationem cartusiæ, et quod Cathedralem suam lapide sectili cooperuerit. Guido Coquillæus et Sammarthani ei cognomen indunt « de Patientia », ex crassa certe allucinatione, legendo forsan in documentis « Theobaldus de Patientia episcopus, » pro Dei patientia, ut in suprascriptis literis scriptum vidimus.

Coquil. in catal. Episc. Nivern.

Sammart. in Episcop. Nivern.

Robertus comes Nivernensis inter primos benefactores recensetur ad an. 1208, et post eum Hugo dominus Ulmi et Castri Canini, anno 1219 quosdam reditus concessit contra Albigenses profecturus. Postea cartusiam Vallis S. Georgii fundavit, nisi sit illius pater. Mathildis comitissa Nivernensis fundatrix Domus Bellilarici, an. 1246 quadraginta « Bichetos » siliginis et totidem avenæ annui reditus concessit. Alter Robertus Nivernensis comes, Comitis Flandriæ filius, an. 1289. Yoland Odonis Comitis Nivernensis filia et hæres, uxor præfati Roberti, dedit moriens viginti solidos annui reditus.

ANNUS 1185

Benefactores Domus Apponiaci.

Sammarth. lib. 35, 36 et 38. Hist. Genealog. Franc.

Guiotus Cosson dedit stagnum unum anno 1420, habuit filium monachum professum hujus Domus nomine Joannem, qui vivebat eodem anno.

Joannes de Burgundia comes Nivernensis, dicitur alter hujus Domus fundator in Charta anni 1492 in qua denunciatur mortuus ; sed quid largitus fuerit ut hunc a Nostris mereretur titulum, non reperi.

Aliorum benefactorum nomina, et ipsorum beneficiorum memoriam absorbuere crebra incendia quibus hæc cartusia sæpius deflagravit, consumptis etiam plerisque documentis.

JESU CHRISTI

ANNUS 1186.

Urbani PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Car.
Ann. 1.	Ann. 103.	Ann. 7.

URBANUS PROHIBET NE ELECTIONES FIANT CONTRA ORDINIS STATUTA.

I. ANNO Redemptoris millesimo centesimo octogesimo sexto, Indictione quarta, decimo quarto Calendas Maii, Urbanus Papa Veronæ agens, ad universum Ordinem Cartusiensem literas dedit, quibus prohibet ne quis præponatur in Priorem vel Procuratorem nisi secundum Ordinis formam sit electus. Habes illas inter Ordinis Privilegia editas. Alias etiam dedit ad omnes Ecclesiæ Prælatos, quos hortatur ut per ecclesiasticas censuras, omnes qui nobis injurias faciunt, compescant. Originale inter destructæ Domus Angionensis documenta repertum est, sed ejusdem tenoris ac Lucii III bulla quam superiori anno exscribi curavimus.

S. HUGO ELIGITUR LINCOLNIENSIS EPISCOPUS.

II. Hoc anno Henricus rex Angliæ solvendi voti gratia, quod anno proxime elapso eum nuncupasse diximus, ita egit apud Lincolnienses Canonicos, ut ipso Rege ac metropolitano Præsule præsentibus, Hugo noster tunc Withamiensis Prior in Episcopum delectus sit. Hujus electionis seriem sic describit Radulphus de Diceto autor coævus ipsique Hugoni optime notus :

« Ad vocationem Regis et Archiepiscopi, Ricardus decanus Lincolniæ suique Capituli pars præcipua convenerunt apud Egenesham, octavo Calendas Junii. Post tractatus autem super consilio Lincolniensis Ecclesiæ diutius habitos, tandem Hugo genere Burgundio, natione Gratianopolitanus, Prior Ordinis

Cartusiensis in Anglia, pluribus Episcoporum præsentibus, Lincolniensium electus est antistes. Nuntiis itaque directis in Burgundiam cœnobio Cartusiensi, Prior et Conventus ejusdem loci gratum electioni factæ præbuerunt assensum. Sic Hugo prædictus, votis plurium concurrentibus, die festo S. Matthæi, Lincolniensis est consecratus episcopus apud Westmonasterium in capella S. Catherinæ. » Hæc ille. De eadem electione tanquam omnibus gratissima et Dei nutu facta mentionem faciunt omnes Angliæ Scriptores, qui de anno conveniunt. Matthæus vero Paris diem etiam consecrationis signat, festum scilicet S. Matthæi, ut Radulphus de Diceto. Gervasius Dorobernensis monachus, qui eodem vivebat tempore et quæ viderat scribebat, de eadem electione hæc pauca habet in suo Chronico ad præsentem annum : « Coadunato Clero Angliæ mense Majo apud Egenesham, in præsentia Regis et Archiepiscopi, istæ factæ sunt electiones : Prior de Chertosa, secundum hominum opinionem vir admodum justus, electus est ad Ecclesiam Lincolniensem, etc. » Est vero diœcesis Lincolniensis amplissima, ut ait noster Dorlandus, continens octo archidiaconatus, Comitatus decem, urbes prægrandes, plebem innumeram. Hæc eadem confirmari possunt ex Neubrigensi, qui describens translationem Galterii episcopi Lincolniensis S. Hugonis antecessoris ad metropolim Rothomagensem, dicit notum esse quod quantum Rothomagensis Ecclesia Lincolniensi præeminet majoritate dignitatis, tantum etiam illi cedit in commodis temporalibus.

ANNUS 1186

Dorl. l. 3. c. 6.

Neubrig. lib. 3. c. 8.

« Promoto in archiepiscopalem Rothomagensis Ecclesiæ sedem viro venerabili Waltero Lincolniensi episcopo, rex Anglorum Henricus secundus apud Egnesham, octo ferme continuatis diebus, tractatum habuit super variis Regni negotiis cum Episcopis et Magnatibus terræ. In eodem siquidem monasterio et eodem tempore, piæ memoriæ Balduinus Cantuariensis archiepiscopus et suffraganeorum ejus quidam, hospitii gratia sese contulerunt. Rex singulis diebus illuc adventabat, indeque ad palatium suum quod apud Wodestore

Walterus Ep. Lincoln. ad Rothomag. transfertur.

Vita S. Hugonis. l. 3. c. 2.

ANNUS 1186

Agitur de electione Episcopi.

habebat, post actitatum cum prædictis colloquium denuo redibat. Celebrabantur ibidem tunc temporis Episcoporum et Abbatum quorumdam electiones. Huc et Lincolniensis Ecclesiæ Canonici advenerant electuri, seu potius suscepturi Episcopum cœlitus electum. Fuerunt eo tempore præeminentiores ipsius Ecclesiæ personæ non paucæ, consiliis aut obsequiis palatinis adscriptæ vel addictæ. Erant in secularibus famosi, literarum sicut et divitiarum mundanarum copia præpollentes. Plerique ex his nullum qualibet amplum magnitudine sua episcopatum reputabant majorem ; nimirum cum ipsi amplioribus cumularentur reditibus, quam ingens quilibet episcopatus. Eorum tamen aliqui, sive ad bonum juxta Apostolum opus, sive juxta secularem ambitum ob honoris et potestatis decus, minime renuissent episcopari, si adfuisset qui coegisset. Verum Domino cor Regis in manu tenente et quo vellet illud inclinante, annuente sibi memorato Metropolitano aliisque nonnullis religiosis personis, maxique, de quo mentio superius facta est, Reginaldo Bathoniensi episcopo instante, ad tot Dominicarum ovium custodiam Rex ipse utiliorem provideri satagebat Pastorem.

Quam divites canonici Lincolnienses.

LINCOLNIENSIS DIŒCESIS DESCRIPTIO.

III. « Illa namque diœcesis bis quaternos continens Archidiaconatus, per novem et eo amplius distenditur Comitatus, urbes pergrandes, plebes vero complectitur innumeras. Neque facile invenitur alter eo vastior aut populosior Episcopatus. Vacaverat vero paulo ante sedes tam egregia annis circiter decem et octo ; duobus videlicet et semis post translationem Episcopi præfati, quindecim vero ante illius consecrationem. Tot annorum circulis ager ille Dominicus cultoris industria destitutus, haud mirum si vitiorum sentibus multisque abusionum graminibus squallebat opertus. Discrimen tanti mali sibi Rex sentiens imputari (quem videlicet vacationis tam inconsultæ autorem extitisse patebat), omnimode nititur per cultoris electissimi strenuitatem, omissæ diutius culturæ dispendia compensare. Celeriter itaque illis* in vota disparia frustra studentibus, nullius vero nisi propriam quisque suam ipsius promotionem ex animo, ut dicebatur, expectantibus ;

* *Id est, Canonici de quo supra.*

insistunt plurimi consulentes eis obnixius ut virum incomparandæ bonitatis, Priorem videlicet Wittamiæ, studeant in Pastorem obtinere. Commendatur a multis ejus sanctitas, ejus discretio ; affabilitas ejus et religio in immensum attollitur. Omnis quadratura virtutum, omnisque denique morum elegantia in solo homine isto prædicatur convenisse. Nullus eo dignior summo sacerdotio, consona multorum voce acclamatur. Ad hæc primum velut horrore quodam perfundi cerneres homines præfatos, homines nimirum quæ carnis sunt sapientes, homines etiam in causa Dei quæ hominum quam quæ Dei sunt potius quærentes. Denique cultum ipsius religionis, ritus et loquelam illius, sibi prorsus aut contraria aut ignota præferre, non sine derisionis cachinno proferebant. Verum hæc illorum derisio a sanum sapientibus, magno eorum commodo, salubriter derisa est. Ipsi quoque ad immensum non modo suæ imo et totius Ecclesiæ sanctæ decus, quem pueriliter prius despexerant, mutato repente consilio, unanimiter demum elegerunt. Ita quem ab æterno in hoc ipsum elegerat Dominus, tempore divinitus præfinito eligitur ab hominibus. Gratulantur qui noverant eum ; qui notitiæ expertes erant, mirantur. In commune vero ab omnibus Deus et Dominus voce altisona collaudatur.

ANNUS 1186

S. Hugo commendatur.

Eligitur a parte cleri.

« Clero igitur petente, Rege approbante, Proceribus cum Episcopis acclamantibus, a Metropolitano ejus mox confirmatur electio, ipso interim in sua eremo latente, et quid de se ab illis longe a se positis ageretur prorsus nesciente. A loco autem ipso ubi celebrata est ipsa electio, directi sunt ad eum quidam ex primis electoribus illis, jam in spe filiis et clericis suis, Domini Archiepiscopi mandatum cum literis quoque regiis deferentes.

Inscius confirmatur a Metropolitano.

Ibid. cap. 2.

IV. « Ut autem ad eum perveniunt, ei vocationis suæ ordinem ad gradum superiorem exponunt. Quo ille audito, literis etiam quas attulerant inspectis, quibus post alia denunciabatur illi quatenus sub celeritate Regi et Archepiscopo sese præsentaret de consecrationis suæ negotio tractaturus, tale incontinenti ad audita et inspecta responsum dedit : Non vide-

QUID NUNTIIS RESPONDERIT.

ANNUS
1186

tur, inquit, mirandum si Dominus Archiepiscopus aut Dominus Rex personam meam, quamvis tali honore indignam, licet tanto onere imparem ad gradum libenter videant provehi altiorem ; nam et domino Regi quis ambigat placiturum, si viros a se religionis obtentu de partibus ascitos remotis, prosperis in regno suo videat florere successibus ? Nihilominus et Domino Cantuariensi, qui Religionis habitu jam pene solus inter Episcopos terræ hujus præferri videtur, quis nesciat esse votivum, ut in susceptæ curæ pastoralis officio Coadjutores accipiat, et comministros regularis disciplinæ experientia institutos ? Verum hæc ista vota vestra vel studia nobis præjudicare non valent. Vestrum est Rectorem eligere, cujus de cætero moderamina vos oporteat necessario moresque tolerare. Denique non in regali Palatio, sed neque in pontificali Concilio (dummodo schismatis vel alterius non interveniat noxa discriminis), quin potius in suo cujusque Ecclesiæ Capitulo, Rectoris ecclesiastici est celebranda electio. Itaque ut meæ vobis parvitatis sententia intimetur, noveritis me quidquid de ejusmodi electione actum est, irritum habere et prorsus inane. Vosque, pro infecto habentes quæcumque super hoc pars quædam cœtus vestri noscitur attentasse, ad propriam cum Dei benedictione Ecclesiam remeate, ibique S. Spiritus consilio pariter et adjutorio invocato, iterum canonicam Pastoris vestri electionem solemniter celebrate. Quod ut digne efficiatis, non Regis, non Præsulis, non denique cujuscumque hominis, sed solius Dei omnipotentis voluntatem, gratiam et favorem præ oculis habeatis. Aliud a parvitate mea minime reportabitis. Abite igitur, et Angelus Domini bonus comitetur vobiscum. Eo itaque in hac sententia persistente, cum nulla posset ratione induci ut vel Regi seu Archipræsuli suam pro tali negotio præsentiam exhiberet, illi ad eos qui se miserant quantocyus redierunt, miro modo in omnibus quæ ab eo audierant et quæ circa eum viderant ædificati. Nec solum ipsi, sed et omnes qui audierunt, mirati sunt et vehementer jucundati, collaudantibus in eo cunctis ac magnificantibus sinceritatem animi, virtutem eximiæ dis-

Electionem de se factam irritam esse contendit.

cretionis, vivacitatem consilii, zelum ecclesiasticæ libertatis.

ANNUS 1186

RURSUM A CAPITULO LINCOLNIENSI CANONICE ELIGITUR. Cap. 3.

V. Talibus ad notitiam Lincolniensis Capituli perlatis, universitas illius Collegii jam quasi arrham futuræ strenuitatis, et quasdam virtutum primitias de suo Electo percepisse impensius gratulatur. Quique male se prius inductos et circumventos querebantur, ut hominem natura barbarum, moribus ut formidabant agrestem et asperum, sibi in Rectorem et Dominum elegissent; nunc vice versa, bonitatis et sapientiæ illius virtute comperta, accelerant denuo ac de novo illum eligere, ut super se Pastoralis curæ ministerium dignetur suscipere devotissime supplicare. Mittuntur itaque cum literis Capituli, Regis quoque et Archiepiscopi, nuncii plures prioribus. Omnibus itaque existimantibus consummatum jam esse negotium, nec ullum ei de cætero superesse procrastinandi subterfugium, Legati jam plene instructi, hilares et læti perveniunt ad eum. Præsciverat quidem ab olim Vir beatus ad Pontificatus officium se quandoque divinitus perducendum: unde quod vitare se non posse dolebat ne demum fieret, quantum in se fuit ne citius fieret differri cupiebat. Auditis post inspectas literas verbis nuntiorum, sic eos alloquitur: Mirum est, inquit, quod viri adeo sapientes adeoque civiles, me hominem incultum et idiotam tantopere sollicitatis, ut familiarem mihi et amicam ab adolescentia mea quietem solitudinis auferre curetis, publicisque Conventibus et negotiorum implicamentis mihi prorsus insuetis et inexpertis ingerere laboretis: verum quia, ut video, id vobis dissuaderi prolatis a me rationibus non potest, hoc sciatis indubitanter, quia vestri laboris meta in arbitrio meo constituta non est. Latere vos non potest quia homo sum sub potestate aliena constitutus, monachum me nostis Prioris mei nutibus subjectum, servandæ usque ad mortem obedientiæ addictum, præcepto illius qui in has terras misit me usquequaque substratum. A meo mihi Præposito Domus custodia credita est; nec admittit ratio, ut ea neglecta, alterius cujusque Domus vel Ecclesiæ suscipiam gubernacula. Dominus quidem Cantuariensis Primas et Princeps Ecclesiæ Anglicanæ

Recusat assentiri electioni sine sui superioris approbatione.

ANNUS 1186

sub Pontifice Summo est; attamen in hujusmodi re est et alius inter nos medius. A vestræ igitur petitionis hujuscemodi intentione desistendum est, aut itineris onerosi usque ad Cartusiam fatigatio subeunda. Nam citra Prioris mei jussionem, hujus oneris tantam sarcinam humeris meis nullus imponet. Vestræ igitur petitionis hujus arbiter ille inter nos medius est.

Mittuntur ad Cartusiam nuntii.

Cap. 4.

« Hoc illius accepto responso, cum verbum illius viderent non posse penitus mutari, redierunt illi tam de infecto negotio pro quo venerant mœsti, quam de futuri Pastoris virtutibus insignique constantia (unde jam non exigua ceperant documenta) hilares effecti. Verum ne multis immoremur, honorabiles sub festinatione diriguntur ad Cartusiam legati. Quo pervenientes, petitiones Lincolniensis Ecclesiæ, regias preces, monitionem Archipræsulis, scriptis verbisque allegant. Qui etiam, ut dignum fuit, honorifice suscepti, gratifice exauditi, reditum accelerant, mandatum Prioris et Fratrum ad Hugonem reportantes, quatenus de cætero Domino Cantuariensi exhibiturus obedientiam, in eo quoque ad præsens suppliciter obediat ei; ut hæsitatione omni seu dilatione postposita, suscipiat humiliter quod ei divinitus constat imponi jugum Domini. »

Prior Cartusiæ jubet ut acquiescat.

MONACHUS IN EPISCOPUM ELECTUS DEBET PETERE LICENTIAM A SUPERIORE.

Tit. 6 de Elect. in 6. cap. 51 Relig. et glossa. ibidem

VI. Hæc Acta. Recte vero et sapienter S. Hugo electioni consensum renuit, nisi prius licentia a Cartusiæ Priore obtineretur. Cum enim monachus censeatur mortuus, et non habet velle neque nolle, non potest consentire electioni de se factæ, nisi petita et obtenta a suo Prælato licentia. Quamobrem Bonifacius VIII postea declaravit, Religiosum ad prælationem aliquam electum non debere consentire nisi prius obtenta sui Superioris licentia. Verum non assensum solum electioni de Hugone factæ præbuit Jancelinus Cartusiæ Prior, sed licentiæ præceptum adjecit. « Mandatum, ut superius legimus, Prioris et Fratrum reportantes. » Apertiusque ait Surius « nuncios licentiam cum mandato reportasse. »

Sed quæri posset utrum Religiosi præcepto obedientiæ teneantur acceptare Episcopatum et curam animarum susci-

pere. Si a Summo Pontifice exeat ista jussio, extra quæstionem est debere Religiosum obedire; cum Pontifici maximo incumbat cura universalis boni communis. An vero a cæteris Prælatis suis cogi possit; affirmat divus Thomas dicens accipere Episcopatum non esse de se necessarium ad salutem, sed fieri necessarium ex Superioris præcepto. Hujus assertionis perspicuum habuimus in Actis sancti Antelmi exemplum, ubi vidimus Alexandrum Papam Priori et Fratribus Cartusiæ mandasse ut eum traderent petentibus, et si recusaret, præcepto compellerent. Quidam etiam Prior Cartusiensis, ut alibi retulimus, Episcopatum ad quem electus fuerat refugiens, timensque ne præcepto cogeretur ad consentiendum, mortem a Deo petiit et obtinere meruit. Sed Acta S. Hugonis prosequamur.

ANNUS 1186

S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 2. ad 3.

VII. « Dum vero hæc agerentur ab illis, Hugo minime indulgebat otiis. Omni namque instantia die noctuque compunctioni cordis ac puritati intendens assiduæ orationis, præparabat non cultum pretiosarum vestium ad jactantiam seu vasorum splendorem ad inanem gloriam, sed animam suam ad tentationem imminentem. Non aliter expectabat status sui mutationem, quam nubibus conglobatis susceptam nauta tempestatem, aut in longum feriatus miles olim formidatam agminum hostilium congressionem. Cum familiari provisore vero et nutritore suo Deo, de sumptibus sollicite tractabat necessariis ad diem festum quo erat ungendus oleo lætitiæ; de sumptibus, inquam, non quibus ventres reficeret destruendos escis æque destruendis, sed quibus ingentem sensuum internorum et affectuum multitudinem virtutibus roboraret non defecturis. Nihil sane dicebat miserabilius quam in die tantæ solemnitatis, exterius quidem madere sacramentalis olei pinguedine, intus vero tabescere squalore arentis conscientiæ. Quam ille hujus miseriæ immanitatem præcavere satagens, ita se agebat in comparandis præparandisque copiis in hoc ipsum necessariis, ac si nihil esset quidquid ab ineunte ætate studii et laboris circa id negotii impendisset. Versabantur præterea indesinenter ei ante oculos mentis, non imminentia

QUID INTERIM HUGO EGERIT.

Memorabile ejus dictum.

ANNUS 1186

divitiarum aut delitiarum plerisque optata lenocinia, non dignitatis aut potestatis excellentia, non demum obsequentium sedulitas officiosa ; sed amara vitæ contemplativæ dispendia, quietæ et serenæ meditationis orationisque detrimenta. Nemo (ut plerumque ipse nobis secretius non sine gemitu fatebatur) quotidianam cordis ejus exponere sufficeret agoniam qua medullitus angebatur, cum mox perdenda imaginabatur fructuosa cellulæ suæ otia, pro quibus succederent dispendiosa palatiorum negotia. Metuebat quoque ne inter hæc, cedente psalmodia litibus, lectione sacra superfluis rumoribus, cederet pariter vel intima contemplatio tetris phantasmatibus, vel interna puritas externis vanitatibus. Denique cum rediisse jam nuntios accepisset (quos certe tunc primum maluisset illud iter arripere), non cessabat Fratres in sacro proposito paternis exhortationibus commendare. Viderint jam qui Episcopatum tantopere desiderant, qui ad prælationum culmina tot deviis callium anfractibus aspirant, quonam virtutum genere, quibus morum divitiis, quibus meritorum stipendiis Virum istum antecedant. Iste et seipsum a vulneribus indemnem conservare, et aliena vulnera curare tam perfecte edoctus, pabulo quoque doctrinæ salutaris copiosius refectus, intimo cordis affectu evidentissimoque operis effectu loque-
Isa. 3. 7. batur : Non sum medicus et in domo mea non est panis, nolite constituere me Principem populi. Verum quo altius in omnibus proprium attendebat Vir beatus defectum, eo cumulatius divinæ plenitudinis percipere meruit supplemen-
2. Cor. 3. 5. tum ; illud Doctoris gentium ex sententia decantans : Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Quia vero non a se, sed a Deo sibi hanc sufficientiam esse sciebat, noluit de alieno commendato insolescere, neque in magnis aut mirabilibus super se ambulare ; sed sese attendens, in se vero dona Dei quæ percipiebat supra se, ultimum tota mentis affectione in ecclesiasticis studebat nuptiis locum tenere. Is autem qui eum segregavit ex utero matris suæ, et vocavit per gratiam suam ut per eum glorificaret nomen suum in multis gentibus,

invitatione amicabili cogebat eum superius ascendere, quo de sufficientia sibi cœlitus collata conservis suis daret cibum in tempore.

ANNUS 1186

VIII. « Trium itaque mensium elapso tempore a die electionis suæ primæ, Legatis supradictis regressis a Cartusia, vocatione jam tertia compellitur exire de domo sua, qui dudum egressus fuerat de terra et de cognatione sua. Egreditur ergo ad Pontificalis percipiendam consecrationis benedictionem, inde perventurus ad montem quem ei Dominus erat ostensurus; montem utique egregium, non Libanum sed Lincolniensem; ipsum etiam Lincolniensem et revera Libanum : Libanum, inquam, non Provinciæ Phœnicis, sed mysticæ candidationis, quem super nivem candidare veniebat vir indutus candidis. Realiter enim niveus habitu, aspectu et vultu, mysterialiter vero virtutum effectu candidus et nitidissimus, Lincolniam dealbavit exemplis, monitis et meritis, et dealbavit etiam niveis virorum illustrium catervis. In hoc quoque monte tanquam magnificus pacificusque Salomon, templum gloriosissimum ædificaturus; in hoc, sacrificium acceptissimum Domino excelso frequenter immolaturus, tanquam fidelis et obediens Abraham; in eo, tanquam manu fortis vultuque desiderabilis David, sepulchrum famosissimum cunctisque fideliter illud venerantibus saluberrimum accepturus. Pergens vero ad suscipiendum tantorum successuum culmina, humilitatis ima non deserebat. Complens enim opere, quod semper volvebat in corde, viri consilium sapientis, quanto ad majora conscendebat, tanto se in omnibus humiliabat. Solitam animi gravitatem cum exterioris abjectione cultus retinens, sedebat equum non phaleris adornatum, sed postella oneratum quibus diurno uteretur tempore seu nocturno pellium et sagorum involucro. Ita cum suis clericis, equos sedentibus aureis decoratos sagmatibus, electus Domini equitabat; illis varia certantibus arte suam ei sarcinulam auferre et ferendam suis sagmariis imponere. Verum cum ab eo neque seriis, ut hoc permitteret, neque joco extorqueri potuisset; illi animo seculari confundebantur

TANDEM ASSENTITUR.

Cap. 5.

Pergit ad Regem.

Ejus incessus humilis.

ANNUS 1186

rubore vehementi in humilitate spiritualis viri. Cavebat namque ante gradus sublimioris conscensum, observationis pristinæ usum omittere quantulumcumque vel mutare. Cum vero Wintoniensium appropinquaret civitati, ubi et regia ei Familia et civium occursura erat frequentia, quidam ex ipsis Clericis verecundiam non ferens cordis sui vani, amputatis clam loris quibus sellæ astringebatur sarcinula memorata, prædo efficitur improvisus, spolians nescientem onere quod ferebat. »

MONACHI FACTI EPISCOPI VESTEM MONASTICAM TENENTUR PORTARE.

Conc. Constant. act. 10. Reg. 37.

S. Thom. ubi sup.

IX. Ex hoc S. Hugonis facto intelligimus beatum Virum ecclesiasticam disciplinam apprime calluisse, qua decernitur « illos qui reverenter vitam monasticam sectati sunt et episcopalem meruerunt honorem, conservare schema et amictum monachicorum vestimentorum. Et ut quisquis Episcopus monasticarum vestium schema deposuerit, aut corrigatur aut a Patriarcha proprio deponatur. » Rationem pulchre tradunt S. Thomas, S. Antoninus et alii, quos consulas. Qui præterea omnes ex eadem doctrina concludunt Religiosum factum Episcopum remanere obligatum ad omnia Ordinis sui substantialia observanda, quæ non impediunt Pontificale officium : sicut sunt continentia, paupertas, et alia hujusmodi ; et per consequens ad portandum suæ Religionis habitum qui est obligationis signum. Ad ea vero quæ officio repugnant non teneri, ut sunt solitudo, silentium, vigiliæ graves, et alia ex quorum observatione impotens redderetur ad exequenda munia episcopalia. In aliis quidem posse uti dispensatione, si necessitas id requirat, sed eo tantum modo quo Prælati Religionum in talibus cum eis dispensarent. Reliqua S. Hugonis prosequamur.

S HUGO LONDONIIS CONSECRATUR EPISCOPUS.

X. « Perveniens tandem Londonias, in festo die S. Matthæi Apostoli et Evangelistæ, benedictione consecratus pontificali, ordini Apostolico ad evangelisandum pauperibus sociatur dignissime. Rex autem congratulans voti sui circa illius promotionem se compotem effectum, gaudio gestiebat infinito. Contulit ei quoque liberalitate munificentissima vasa quædam aurea, multa quoque argentea, varia etiam in usus

necessarios utensilia, adjiciens in sumptus celebrandæ solemnitatis universa copiose impendia. ANNUS 1186

« Incathedratus autem in Ecclesia sua, Cantuariensi Archidiacono solemne ex more donativum postulanti, ita dignoscitur respondisse : Quantum, inquit, pro mitra dedi, nec amplius pro cathedra dabo. Suggerente vero Procuratore domus suæ, quem sibi Rex providerat, oportere ex damulis in saltu suo inclusis aliquantas capi ad solemne convivium instaurandum, nec * fas esse plures quam jussisset ipse comprehendi : Trecentæ, inquit capiantur, nec (si videritis expedire) numero huic dubitetis adjicere. Quod ab eo juxta cordis sui magnificentiam simpliciter prolatum, Regi et Curialibus, quibus sermo innotuit, in jocundum versum est proverbium. Celebrantibus ergo cunctis apud Lincolniam in summa cordis lætitia diem festum pro adventu cœlitus sibi destinati Rectoris, prima nocte qua in episcopatu suo dormiens quievit, post matutinas et devotas orationes in somnis audivit vocem dicentem sibi : Egressus in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo. Christi quoque benignitas, haud longe a civitate ipsa, signo evidenti valdeque memorabili, ipsius visa est primitiis allusisse, quod a Menevensi archidiacono Girardo, inter alia quædam Viri Dei præconia literis exaratum, ipsius verbis videtur exprimendum. Scribit sic prædictus de hoc in hæc verba :

In suam ecclesiam inducitur.

Cap. 6.

Pulchrum illius dictum.

* *Al.* et.

Ejus munificentia.

Habac. 3. 13.

Gerardus Menevens. Archidiaconus S. Hugonis præco.

XI. « Ut autem ad Lincolniam revertamur, illud de ipso, quod in signum aliquod et prænosticalis eventus indicium absque dubio datum videtur, sub silentio quidem prætermittendum non putavi. Eo namque die vel circiter illum proximo, quo apud Lincolniam primo susceptus fuit Hugo episcopus et incathedratus, apud manerium ipsius, quasi per octo milliaria ab urbe Lincolniensi distans juxta Stowam, sylvis et stagnis delectabiliter obsitum, olor novus et nunquam antea visus ibi advolavit; qui infra paucos dies cygnos, quos ibi plures reperit, mole suæ magnitudinis omnes oppressit et interemit, uno tantum fæminei sexus ad societatis solatium, non fœcunditatis augmentum reservato. Erat enim tanto fere

MIRA DE CYGNO ANTEA NON VISO.

Alios cygnos occidit.

ANNUS
1186

Cygni mutua carne vescuntur inter se. Plinius, lib. 10 histor. nat. cap. 23.

Ejus ab aliis dissimilitudo.

cygno robustior, quanto cygnus ansere major est; cygno tamen in omnibus, præcipue in colore et candore simillimus : præter quantitatem in hoc etiam distans, quod tumorem in rostro atque nigredinem more cygnorum non præferebat ; quinimo eumdem rostri locum planum croceoque colore decenter una cum capite et colli parte superiore distinctum habebat. Avis autem hæc regia, et tam quantitate quam qualitate perspicua, in primo adventu Præsulis ad locum, quasi sponte et sine difficultate domestica facta, ad ipsum in ejus cameram propter admirationem est adducta; quæ statim a manu ejus panem sumens et comedens eique familiariter adhærens, omnem ut videbatur sylvestrem interim exuta naturam, nec ejus attactus nec astantium undique turbarum et intuentium accessus sive tumultus abhorrebat. Consueverat etiam cum ab episcopo pasceretur, caput cum colli longitudine tota in manicam ejus largam et peramplam inque sinum interiorem avis extendere, ibique aliquandiu cum sollicitudine quadam Domino suo congratulans atque præludens, tamquam aliquid queritando mussitare. Item, sicut asserebant ministri ejus et custodes manerii, circa Præsulis adventum ad locum illum, cum de more aliquandiu abfuisset, tribus diebus vel quatuor solebat se solito alacrius avis agitare, volando scilicet in amnis superficie et aquas alis verberando altaque voce clamando. Interdum etiam a stagno exiens, nunc ad aulam nunc ad portam etiam ulteriorem, tamquam advenienti Domino obviam pergens, magnis passibus deambulabat. Credibile satis quod imminente apparatu et instante servorum frequentia majore atque discursu (cum subtilis sint et aereæ naturæ volucres, a quarum etiam gestibus prognostica temporum multa noscuntur), etiam ista ex eadem forsitan natura avis hæc perpendere potuit. Mirum hoc scilicet quod nemini præterquam episcopo soli se familiarem vel ex toto tractabilem se exhibebat. Quin potius adstans Domino ab aliorum eumdem accessu, sicut aliquoties conspeximus, clamando, alis et rostris minando, voceque altisona juxta naturæ suæ modulos crocitando, defendere solebat, tanquam se propriam ejus demonstrans,

Ex seipso cicuratur Hugoni.

Ejus adventum variis alarum agitationibus prænuntiare solitus.

Ei soli tractabilem se præbet.

ANNUS 1186

eique soli in signum se fuisse transmissam manifeste declarans. Non enim mysterio carere potuit quod avis candida imminens mortis periculum cantu nuntians, viro innocenti, pio ac puro mortisque minas nil formidanti (quia Sancti mortem habent in desiderio et vitam in patientia) divino tanquam oraculo destinata transmissa est. Quemadmodum avis ista candore spectabili mortis discrimina docet non dolenda, et imminente mortis articulo, tamquam de necessitate virtutem faciens funebria fata canendo contempsit : sic viri virtutum meritis candidati ab ærumnis hujus sæculi læti discedunt, solumque Deum fontem vivum sitientes, a corpore mortis hujus liberari dissolvique cupiunt et esse cum Christo.

Ejus mortem augurari visus.

Hactenus verba Gerardi.

XII. « Hæc sane præfatus vir, in hac adhuc luce posito Viro Dei, veraci de his stylo exaravit. Et eo quidem tempore satis innotuerat isto Hugonem spiritu duci istisque affectibus agi, ut esset ei mors in desiderio et vita in patientia præ amore fontis vitæ. Hæc tota ipsius vita quadam operum lingua fatebatur. Hoc tandem jam imminente lethali articulo, et corporis lingua solito ipse manifestius, quasi cygneo quodam modulamine, testabatur. Hæc etiam subjecta ejus gestorum series ab ipso exordio usque ad terminum executionis creditæ sibi ecclesiasticæ sollicitudinis, si recte perpenditur, continua invenitur assertione præconizari. Verum antequam ulterius progrediatur oratio, operæ pretium videtur de præmissa plenius ave quædam referre, ex quibus liqueat evidentius non ob solatium vitæ præsentis seu in testimonium intimæ puritatis, sed etiam divinitus eam sibi fuisse transmissam in præsagium quoddam tandem imminentis ejus lethi temporalis. »

Cap. 7.

Auctor Vitæ narrationem suam sequitur.

Variis firmat experientiis Gerardi dicta de ave.

« Experti quidem novimus hominum prorsus neminem, sed neque canem vel aliud quodlibet animal, sub ipsius avis præsentia, Episcopo evigilanti sive dormienti, absque vehementi et intolerabili ejus impugnatione propius assistere vel juxta eum accedere potuisse. Erat nobis sæpius, quiescente Episcopo, illius non parum molesta infestatio. Cum enim rei cujuscumque ratio secus lectum dormientis transitum suaderet, illius excubias nullus poterat eludere quin mox in-

Non sinit illa quemquam ad Episcopum accedere.

ANNUS
1186

surgens pugnaci insultu obsisteret transeunti. Quæ si viribus opprimi se forte timeret, vocibus immensi clamoris protinus indulgebat ; ita cum tumultum pausantis reverentia fieri prohiberet, utilitas omittebatur destinati itineris. Nec obsequiis, ut ita loquar, nec blanditiis cujuscumque aliquatenus flectebatur quin zelo unius hominis cæteros hoc modo universaliter insequeretur. Quandoque, absente Episcopo, ad ripam stagni cui innatabat accedere, ibique ministrante loci ipsius æedituo annonam percipere solebat : ad eum itaque fame aliquoties stimulante, familiarius ultroque cibanda accedebat; cibata vero et satiata confestim abscedebat. Res mira ! quem plerumque anno integro vel prolixiori tempore quasi bene cognitum sæpius adierat, ad Domini tandem præsentis accessum, servientem alumnumque suum non minus cæteris quos ante nunquam viderat propellebat. Si quando Episcopus per biennium ferme suum (ut interdum contingebat) ad locum illum distulisset accessum, Domino tandem adventanti cum tanta congratulatione occurrebat, ut ex dilato ejus aspectu non illius oblitam, sed ipsius potius desiderio fatigatam se fuisse miris gestibus quibusdam et sonoris vocibus indicaret. Asserebant non tantum custodes loci illius sed et vicini quidam, quia frequenter nemine in partibus illis suspicante Episcopi adventum, ex avis hujus plausu gestuque insolito, illum citius affuturum præsciverunt : cujus jam rhedas et præambulos dum foribus cerneret imminere, mox gurgite derelicto quem incolebat, aulæ penetralia citato gressu subintrabat. Cum vero introgressa spectantium turmis cingeretur, notata demum voce introeuntis Patroni, mox et ipsa in clamorem altissimæ vocis insurgebat; occurrensque et quasi salutans venientem, usque in solarium cameræ ulterioris prosequebatur, per claustrum quod interjacet, per gradus etiam sublimes progredientem, alarum plausu ac modulatione vocis gaudium insinuans quo nimium gestiebat. Perveniens autem cum eo ad locum sessioni ejus paratum, inde nusquam nisi violenter ejecta recedebat. Pascebatur a manu ipsius pane copioso, in digiti unius longitudinem grossitudinemque inciso.

Nec servum nutritorem suum.

Post biennem absentiam sanctum agnoscit.

Ab eo avelli nisi per vim non potest.

Annis igitur ter quinis plus minus, hanc uniformiter consuetudinem retentabat. Cum vero ad locum ipsum, circa Pascha proximum ante suum ex hac luce transitum, adventu scilicet postremo Episcopi accessisset, non solum ei solitum non exhibuit occursum, sed neque ad eum minari aut a vivario cui innatabat educi acquievit. In ipsis autem aquis velut mœstum gerens aut morbidum aspectum, nihil quolibet gestu alacritatis præferebat; mirantibus ad hoc omnibus qui aderant. Tandem præcipiente Episcopo ut educeretur vel invita, triduo a plurimis frustra insudatur. Capitur vero ad postremum in carecto remotiori, ubi fugiens insequentes latitabat; producta vero ad Episcopum, capite pendulo ac velut ægris per omnia gestibus, mœstam prætendebat imaginem. Cujus rei novitas tunc quidem stupori fuit intuentibus. Verum a loco ipso celerius abscedente Episcopo, et post sexti mensis a tempore illo excursum viam universæ carnis ingresso, nec ab amica sibi volucre ulterius viso, satis rei eventum considerantibus patuit quid gestus hic lugubris prætenderit, quo adeo mœsta illud vale ultimum Domino suo fecit. Permansit autem ibidem postea multis temporibus. »

ANNUS 1186

Paulo ante ejus obitum ad eum accedere aut deduci recusat.

Capite pendulo gestuque mœsto mortem ejus præsagire videtur.

Hæc hactenus autor ille de cygno: quæ licet ad miracula quasi accedere videantur, multa tamen a natura proficisci facile potuisse ingenue fatemur. Ea tamen integra prout ab autore enarrata fuerunt exscribenda duximus, ut inde facilius pateat cur S. Hugo cum cygno ad pedes vulgo depingatur.

XIII. S. Hugoni ad episcopatum assumpto, Bovonem virum sanctissimum in administratione Domus Withamiensis successisse constat ex eadem Vita sancti Hugonis, ubi autor agens de consultatione inter Patres Majoris Cartusiæ habita, an Regi Anglorum Hugo idem novæ plantationi præfuturus concederetur, de Bovone sic loquitur: « Alii vero, quorum unus Bovo quem postea Priorem Withamiæ hoc sæpius referentem audivimus, a Deo exisse verbum Regis asserebant, nec tutum esse contradicere pluribus rationibus edocebant. » Quantæ vero religiositatis, imo sanctitatis fuerit Bovo, ex

BOVO VIR SANCTUS FIT PRIOR WITAMIENSIS.

Lib. 2. cap.

ANNUS 1186

ipsius subjiciendis verbis colligi potest, quibus liquido apparet eum spiritu prophetico præditum fuisse. « Vos, inquit Bovo (sic enim pergit autor Vitæ loco citato), nescitis quicquam, nec cogitatis quia superna dispositio fecit hæc omnia, ut Ordinis hujus sanctitas per unum sanctum usque in extremos mundi limites splendidius elucescat. Credite meæ parvitati, inter præcipua Ecclesiæ luminaria ipsum Hugonem in brevi audietis super candelabrum ecclesiasticum sublevari. Dudum mihi virtutibus Hugo episcopus potius visus est quam monachus extitisse. » Hæc nostra de Bovonis sanctitate opinio non modicum confirmatur, quod Guigo olim Prior Cartusiæ quem omnes Nostri ut sanctum extollunt, suum tractatum *De Quadripartito Exercitio Cellæ* eidem Bovoni tanquam patri suo spirituali dedicaverit, de quo sic in Prologo : « Reverentissimo Domino et Patri in Christi visceribus dilectissimo, B. Priori Pauperum Christi qui in Witheam commanantes Ordinem sunt Cartusiensem professi, Dei servorumque Dei servus indignus, spiritalis uteri vestri filius, in præsenti sanctitatem in merito, et in futuro felicitatem in præmio. Si vocare liceret in jus vel patrem suum filio vel dominum servo, nonnihil, Pater mi Reverende, mea fortassis parvitas haberet super quo nec injuste, ut sibi videtur, in vestram sub judice magnitudinem agere posset. Nam ecce dum attendit potens autoritas vestra quid in me sibi liceret, attendere quoque supersedit moderamen discretionis vestræ quid infirmitas mea valeret. » Ex quibus verbis colligere est quantus fuerit ille cujus spiritualem filium tantus vir se appellat, nec solum id ex humilitate ; sed reipsa Bovo aliquam in Guigonem autoritatem habuisse reperitur. Nam in cartulario Majoris Cartusiæ est quoddam instrumentum compositionis factæ inter Abbatem Bonævallis Ordinis Cisterciensis et Reverendum Patrem nostrum Jancelinum Cartusiæ Priorem, datum anno 1185. Testes autem inscribuntur, prius Bovo Cartusiæ monachus, deinde Guigo olim Prior Domus ejusdem.

GUIDO MAGIST. EREMI S. BRUNON. OBIIT.

XIV. Hoc anno, 22 Januarii, pie obierat Guido Magister

Eremi Calabriæ, quem ex Nortmannorum Principum sanguine ortum, imo et nepotem Rogerii comitis Siciliæ et Calabriæ quidam existimant, nulla tamen suæ opinionis allata autoritate. Ejus obitus ad præfatum diem repertus est in Necrologio a nostro Constantio, qui putat Guillelmum de Messana iterum post Guidonem præfuisse, seque et suos transtulisse ad Institutum Cisterciense, ut dicemus ad annum 1192.

ANNUS 1186

Chron. ms. ejusd. dom.

JESU CHRISTI

ANNUS 1187.

Urbani PP. III Ann. 2.	Ord. Cartus. Ann. 104.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 8.

S. HUGONIS SOLLICITUDO CIRCA COMMISSAM SIBI ECCLESIAM.

I. SEQUITUR annus Christi millesimus centesimus octogesimus septimus, Indictione quinta, quo S. Hugo, ut ardens lucerna positus anno superiori super totius Ecclesiæ sed maxime Lincolniensis candelabrum lucere cœpit, adscitis sibi ad exercenda Episcopi munia viris in quibus Dei requiescebat spiritus, ut habetur in ejus Actis in hunc modum :

Lib. 3. cap. 8.

« His in hunc modum prælibatis de signo, quod omnes mirantur Viro Domini per avem famosissimam exhibitum, ad alia quoque meritorum insignia fidelibus, vel ex parte prout possumus intimanda, opitulante gratia Domini nostri Jesu Christi accedamus. At in primo quantum studii, quantumque impenderit sollicitudinis, ut Ecclesiam sibi commissam viris adornaret illustribus, videtur commemoratione dignissimum. Perpendens itaque altius et considerans quod absque virorum proborum adjutorio, nec populo nec clero quem regebat convenienter prodesse, nec cuilibet justitiam ecclesiasticæ jurisdictionis expetenti sufficiebat competenter adesse ; viros sapientia et scientia præditos, et quod pluris est in timore Domini probatissimos, suo instantius satagebat lateri sociare. Horum siquidem et consiliis fretus et comitatus auxiliis, munus suscepti regiminis strenuissime adimplebat. His denique Lincolniensem Ecclesiam cunctis per orbem universum Ecclesiis gloriosius copiosiusque illustrabat. His

Viros doctos et sapientes sibi cooptat curarum socios.

ANNUS 1187

vero, cum vacare cœpissent, præbendas seu alia beneficia conferebat. Hos variis dignitatibus, singulisque ecclesiasticis functionibus præficiebat. Hujusmodi homines non solum in toto orbe Anglicano, imo et in extraneis nationibus scholisque transmarinis omni studio investigatos, Ecclesiæ suæ gremio inserebat. Ad venerabilem vero Metropolitanum suum sæpius nominatum accedens, his verbis eum alloquitur : Novit, inquit, Pater venerande, discretio vestra quantum expediat non solum animæ meæ, non solum commissæ indigno mihi Ecclesiæ, quin potius præcipue vobis, deinde pariter Religioni sanctæ, quatenus in officio mihi credito non prorsus me inutilem studeam exhibere. Gratias ago bonorum omnium autori Deo, quod in hoc ipsum ex munere suo velle quidem adjacet mihi ; cæterum implere quod velle merui, quam non sciam, quam non sufficiam ipse melius nostis ; nec solum quidem ad hoc mihi et scire et posse minus suppetit, verum etiam a quibus suppleri possit congruentius meos in hac parte defectus non satis agnovi. Advena quippe homo sum, indigenas terræ hujus quo minus novi, eo imperfectius quibus meritorum suffragiis, quibus studiorum præpolleant experimentis, compertum habeo. Vobis uberiorem istius rei notitiam multiplex comprobavit experientia ; vos inter eos nutriti, vos eis tempore longo prælati, eos, ut vulgo dicitur, intus et in cute novistis : non ergo meo tantum quin potius vestro discrimini prospicientes, qui tam inscium promovere non timuistis ad opus hoc arduum, tales mihi ex iis qui vestro diutius lateri adhærendo probabiles se in omnibus vestro adprime informati exemplo demonstrarunt, donate adjutores, quos in partem sollicitudinis initæ securus valeam adnectere, qui mecum onus curæ pastoralis valeant laudabiliter supportare.

Hos a Metropolitano suo requirit.

II. « His Archiepiscopus auditis non modice gratulatur ; ex una quippe Viri sancti petitione, multa in eo signa animi boni evidentius prospiciebat. Videbat primo quantæ illud humilitatis esset, ut vir tantus de se tam infima sentiret, ut solus ipse eo se honore censeret indignum, quo divino simul et hu-

EJUS HUMILITATEM ADMIRATUR ARCHIEPISCOPUS.

ANNUS 1187

mano probaretur judicio esse dignissimus. Mirabatur contra usum humanæ infelicitatis, hominem ex humili ad summa repente provectum, plus humilitate quam dignitate, plus mansuetudine quam dominatione crevisse. Videbat quantum zelaret subditorum salutem, ad cujus procurationem tantopere expetebat bonorum opitulationem. Intuebatur quantæ sibi puritatis conscius, quanta benevolentia in Primatem suum plenus, quanta et prudentia per cuncta esset præditus, qui eos sibi domesticos, et collaterales primosque fieri sibi optasset consiliarios, quos eisdem locis suis habuisset Metropolitanus. Duos igitur ex iis qui sibi adhæserunt ei delegavit, Magistrum scilicet Robertum Beldefordensem, et Rogerum Rolnestonensem, quorum uterque in toto Clero Angliæ distinctis gratiarum prærogativis insignissime visus est enituisse. Equidem de priore, scilicet Roberto, omnibus una erat sententia quod in numero Clericorum nullus eum zelo justitiæ ac ingenii vivacis acumine videbatur anteire. Certabat in ejus pectore cum puritate conscientiæ inundantis torrens doctrinæ, ut in gemino bono hoc æmulari potius crederetur diligentem quem diligebat Jesus, quam magistrorum quispiam* temporis istius; cujus revera diutius vita mundus iste immundus frui indignus fuit. Unde ab ejus cœno citius præripitur, et tamquam lignum fragrantissimum cum illibato virginei floris candore, morte beatus immatura in cœlestis amœnitatem Paradisi feliciter transplantatur. Posterioris, videlicet Rogeri, eo interim parcius laudes præsens loquitur stylus, quo eas immensius et clerus attollit et populus. Est enim, et extet utinam in ævum longissimum, Ecclesiæ Lincolniensis Decanus, vir incomparandæ moderationis, liberalitatis et prudentiæ singularis. Eleemosynarum saltem illius et devotionis præconium lectori eximius intimaremus, nisi Scripturæ præcipienti contraire timeremus : Ne laudaveris, inquit, hominem in vita sua.

Quales fuerint ab eo electi.

Robertus cæteris præferendus.

* *Al.* quempiam.

Rogeri Decani laus.

VITIA ET ABUSUS CORRIPIT HUGO.

III. « His et aliis lateri suo viris eximiis sollicite adhærentibus, Pontifex novus totius subito terræ faciem sibi subditæ visus est innovasse. Loquebatur cum fiducia verbum Dei,

operabatur cum instantia quæ legis Dei erant, dictum illud B. Jacobi adimplens : Sic loquimini et sic facite, quasi per legem libertatis incipientes judicari. Quia vero juxta Scripturam alterius loci : Ubi Spiritus Domini, ibi libertas, peccantes libere increpabat, nullis contra justitiam patrantibus deferebat. Unde contigit ut in ipsis promotionis suæ auspiciis, dum in sublimes quasdam Regni potestates ecclesiasticam districtius exequeretur coercitionem, ipse quoque non mediocriter visus est offendisse Regem. Est enim inter alias abusionum pestes, prima in regno Anglorum tyrannis videlicet Forestariorum provinciales depopulans. Huic violentia pro lege est, rapina in laude, æquitas execrabilis, innocentia rapina. Hujus immanitatem mali nulla conditio, nullus gradus, nec quisquam, ut breviter totum exprimamus, Rege inferior evasit indemnis, quem illius injuriosa jurisdictio non sæpe tentasset elidere. Hac cum pernicie primus Hugonis congressus fuit; hæc illi prima et prælii causa et materia fuit triumphi. Hæc eum ancipitem gladium Spiritus exercere primitus coegit. Cum enim more solito ut in cæteteros, ita et in suos homines, contra Ecclesiæ suæ libertatem Forestarii debacchari cœpissent, eo usque res tandem processit, ut summum Regis Forestarium nomine Gaufridum excommunicationis vinculo innodaret. Quo Rex comperto, vehementer exarsit in iram.

ANNUS 1187
Caput. 9.
Jac. 2. 12.
2. Corinth. 3. 17.

Quales Forestarii in Anglia.

Hos Hugo coercet et eorum Primarium excommunicat.

IV. « Contigit interea unam ex præbendis Ecclesiæ Lincolniensis, decessu Canonici qui eam possederat vacantem, novum expectare dispensatorem. Hoc Aulici audito, concite Regem exorant quatenus uni eorum ipsam ab Episcopo conferri literatorie deprecetur ; arbitrantur se obsequium etiam in hoc præstare Viro cui dedissent occasionem, motam adversus se indignationem regiam utcumque mitigandi. Nec cunctatur Rex petitioni eorum favere; quippe qui et in hac parte Pontificis animum libenter cupiebat propositumque explorare. Consistebat eo tempore Rex quidem apud Wodestoram*, Episcopus apud Dorcestriam, quæ ab invicem mansiones tredecim creduntur millibus disparari. Lectis vero ab

REGIS INDE IRATI, ET BENEFICIUM UNI EX SUIS AULICIS AB EO CONFERRI POSTULANTIS, PETITIONEM REJICIT.

* *Wodestriam*

ANNUS 1187

Episcopo petitoriis ei destinatis : Non, inquit, aulicis, sed ecclesiasticis ecclesiastica oportet conferri personis beneficia; quorum possessiones non palatio aut fisco sive scaccario, sed ut docet Scriptura, altario convenit deservire. Habet Dominus Rex unde exhibeat obsequentibus sibi et negotiis suis ; habet unde compenset in temporalibus, pro temporalibus sibi militantium laborem. Bonum est ei ut Summo Regi militaturos deputatis eorum necessitatibus permittat gaudere proventibus, nec deditis eo privari stipendiis acquiescat. Hæc dicens regios a se nuncios inanes et vacuos redire non expavit.

In eum Rex a suis commovetur.

Cap. 10 ejusdem libri.

« Talibus vero in Curia declaratis de Lincolnensi adhuc novo et quasi recenter Episcopo, non defuerunt qui Regem (ut jam videbatur satis commotus adversus eum) in vehementiorem niterentur furorem sermonibus incitare venenatis. Jam inquiunt, Domine, in manifesto est quam ingratus sit tantis homo iste beneficiis vestris ; jam patet quo loci operam vestram locaveritis et impensam, dum ejus tantopere promotioni invigilastis. Utinam tantummodo gratiam non referre contentus sit homo animi inhumani, non autem etiam injuriam impendere insistat pro tanto honore. Cæterum quid pro vobis speremus eum subsequenti tempore esse facturum, aut vestris in quantum delaturum confidamus, quem jam cernimus post tot adhucque recentia beneficia, in tantilla re vestram adeo irreverenter excellentiam contempsisse ; quem etiam proceres intimosque Balivos vestros tam protervis dolemus sententiis confudisse?

AB EO AD AULAM HUGO ADVOCATUR.

V. « Ad hæc Princeps ille quamvis plurimum conturbaretur, modestiæ tamen cancellos non excedens, misit protinus et Episcopum ad se accersivit ; quem foribus jam imminere prænoscens, cum universa Nobilium qui tunc aderant frequentia in saltum contiguum ascensis equis secedit : ubi in loco residens amœno, Consulibus cæterisque Magnatibus in modum coronæ consedentibus, præcepit ut nullus accedenti Episcopo assurgeret, nullus advenientem salutaret. Nec mora adest ille, assistit, salutat Regem et consedentes, sed nullus eum resalutat. Quos ut vidit incurios sui tacitosque sedere,

ANNUS 1187

accedit propius, manuque leniter scapulis imposita magni cujusdam Consulis qui proximus assederat lateri Regis, locum sibi juxta Regem ipse facit ; obstinato quoque silentio cunctis diutius insistentibus, ut liceret præsentibus illud Virgilianum reminisci : Consedere duces* intentique ora tenebant. Rex tandem erigens vultum dimissum, dari sibi a quoquam assistentium acum præcepit cum filo ; quo facto, suere cœpit manu propria læsum panniculo involutum lævæ suæ digitum. Agebat autem hoc, ne nil ageret aliquandiu, nihil interim loquens. Ita vero se gerebat, ut solent nimium irati, cum eis animi rancor vocis absorbet officium, meatu spirituum intercluso.

* Conticuere omnes.

« Hæc Episcopus intuens et sui causa omnem simultatis hujus pompam exhiberi cognoscens, apud se, velut a sublimiori quadam intimæ rationis specula, cogitationum carnalium molimina longe despexit. At demum conversus ad Regem, his verbis paucissimis totam cordis ejus erectionem tumidam elisit, ipsumque vim verborum non ferentem corpore etiam resupino solo tenus dejecit. Verba ipsa exprimemus, nil eis demendo, nihil adjiciendo. Ait ergo : Quam similis es modo cognatis tuis de Falesia. Hoc quasi telo, blando et leni sed mirum in modum penetrabili et peracuto, Rex præcordialiter trajectus conserit digitos, solvitur in cachinnum, ore supino in terram deponens cervicem, sub tali diutius schemate risibus fræna laxabat. Ex consedentibus qui verbum intellexerunt, miro tenebantur stupore. Mirantur enim supra modum sub tali articulo tale improperium tali Principi ab homine tali fuisse intortum ; subridere tamen et ipsi cœperunt, se cohibere non valentes, animisque attonitis expectantes quidnam ad audita Rex tandem esset responsurus. Plures nescientes sensum prolati sermonis amplius stupebant ob repentinam gestus regii permutationem. Quorum demum ignorantiam Rex ipse intelligens, propriæ, ut eos instruat, efficitur interpres injuriæ : præventus namque tam urbanæ invectionis novitate medullitus commovebatur, hominis confidentiam et ipse admirans, sic exorsus est loqui : Num, inquit, intelligitis

Lepido verbo iram ejus restinguit.

ANNUS 1187

cujusmodi nobis contumeliam barbarus iste intulerit ? Ego vobis dictum ipsius explanabo. Constat genitricem proavi nostri Guillelmi, triumphatoris hujus terræ, de stirpe mediocri traxisse originem, ac de oppido famoso Normanorum quod Falesia nuncupatur fuisse oriundam. Municipium hoc arte pelliparia celebrius excolitur. Quia vero suere me digitum meum derisorie conspexit, idcirco Falesiensibus me similem et eorum me cognatum esse improperavit. Attamen age, inquit ad Episcopum, vir bone, quidnam tibi visum fuit ut nobis inconsultis principalem forestarium nostrum anathemati subjiceres, nostram insuper petitiunculam flocci penderes, ut neque per te ipsum ad nos veniens hujus repulsæ expositurus rationem, neque verbum per ipsos nobis nuncios placabile remandares ?

Rationem reddit cur Forestarium excommunicaverit et beneficium non contulerit.

« Talia expostulanti mox ita respondit Episcopus : Novi, inquit, vos, ut Episcopus efficerer studiosius insudasse. Ut igitur vestram a discrimine animam expedirem, quo illam periclitari contingeret si quod mei noscitur esse officii circa Ecclesiæ mihi commissæ utilitatem exequi non curarem, necesse fuit quod oppressorem ipsius Ecclesiæ per censuram ecclesiasticam coercerem, et indebite præbendam sibi in eadem Ecclesia cupientem nullatenus exaudirem. Excellentiæ autem vestræ præsentiam pro utroque adire negotio, non modo superfluum esse imo et ineptum sentiebam, cum vestræ discretioni pronum sit quod rite geritur prudenter advertere, et voluntati nihilominus vestræ sedeat quod rectum esse cognoscitis favorabiliter approbare. Hujusmodi rationibus Rex quod contradici posset non inveniens, postposito temere concepto simultatis nubilo, amplectitur jam ore sereno Pontificem, ejusque orationibus obnixius sese commendans, illius per omnia relinquit dispensationi, qualiter hominem sententia innodatum absolutionis beneficio denodaret ; quem valde contritum animo et humiliatum, præstito juxta formam Ecclesiæ juramento, publice cum suis complicibus virgis cæsum absolvit, dataque benedictione, in omne reliquum vitæ suæ tempus speciali quadam benevolen-

Rex non tam oratione quam ratione placatur.

Ritus absolvendi ab excommunicatione.

tia familiarius eum sibi devotum sensit Episcopus, et suis negotiis provisorem. Sic in Rege, sic in satellite veridicam esse sententiam Vir justus experitur qua dicitur : Qui corripit hominem, gratiam postmodum inveniet apud eum, magis quam ille qui per linguæ blandimenta decipit. A præbendarum quoque violentis postulationibus, quibus velut importunis milvorum unguibus universas passim infestabant Ecclesias et diripiebant eas, hac interim repulsa Curiales vehementer repressit, et eorum a se ingluviem procul avertit. Ejus tamen venerationi et ipsi certatim inserviebant, adeo ut devotionis eorum et industriæ experientiam plurimum ipse sæpius commendaret familiaribus suis, asserens quibusdam eorum se libentius beneficia largiturum ampliora, si non Curiæ tenerentur nexibus irretiti.

ANNUS 1187

Prov. 28. 23.

VI. « Nec tantum Curiales, imo et quarumlibet Ecclesiarum Clericos Cathedralium, suæ Canonicos Ecclesiæ rarius efficiebat; residentiam præcipue in Ecclesia Lincolniensi ab illis expetens quibus illius Ecclesiæ Canonica stipendia conferebat. Nimirum sicut qui altario serviunt, altario jure participant, ita minime deservientibus, altaris commoda dicebat incongrua ratione provenire; cum et Ecclesias debitis servientium excubiis ex eo fraudari contingeret, et speciem videretur habere rapinæ; cum militaturis stipendia militiæ spiritualis deputata non militaturi præsumerent occupare. Nam et illam quoque Apostoli sententiam in hac potissimum causa intelligi et teneri debere sentiebat, ut qui in sacrario nequaquam laborarent, in eo etiam non manducent de his quæ in sacrario consecrantur. Si enim gloriatur Doctor gentium quod sine sumptu posuit Evangelium, quam ignominiosi, aiebat S. Hugo, reputandi sunt qui sine studio evangelisandi, sine ministrandi obsequio, sumptus evangelisantibus aut ministrantibus assignatos usurpare præsumunt. Meminimus autem quemdam, eo tempore summi fere nominis inter Theologos Canonicos quoque Parisienses, dixisse quadam vice Hugoni : Gloriosam, Domine Episcope, præ cunctis totius orbis Ecclesiis vestram exhibuistis Ecclesiam insignium multitudine

Cap. II ejusdem libri.

Ejus cautela in conferendis beneficiis.

I. Cor. 9. 13 et seqq.

Quemdam Doctorem beneficium postulantem increpat.

ANNUS 1187

Clericorum ; esset quoque mihi (nec enim id celandum vobis duxi) satis optabile, eorum numero quolibet vel perexili titulo sociari. Cui statim Episcopus : Et nos etiam, ait, eorum vos numero libenti animo jungeremus si inter eos residere velletis, sique ad scientiam mores vobis æquis passibus responderent. Præerat enim scholis Parisiensibus Regens actu, celebrior tamen scientia quam disciplina. Qui, responso tali accepto, erubuit sese nimis libere protulisse quod minus sincere volvebat in pectore ; expertus in se verissimum esse quod de sincerissima libertate hujus Viri non semel in patria sua se meminerat audivisse. Recedens autem ab eo castigatioribus se de cætero moribus fertur instituisse. Homines vero quieti spiritus et pudici arctius diligebat, nec alios suo gregi de certa conscientia aliquatenus sociabat, quantalibet industriæ ac literaturæ prærogativa eminerent. Noverat enim sapientiam quæ desursum est, primum quidem pudicam, deinde pacificam ore Apostolico definiri ; itemque illud viri sapientis memoriter recolebat, quia illaudabilis est scientia quam vita maculat impudica. Nihil autem pacis bono in hac vita dicebat præferendum, nihil seditionis et turbationis peste amplius fugiendum ; ideoque vitandam omnimode societatem alio spiritu ad schismata anhelantium, et discordias inter fratres seminantium admonebat.

Jacob. 3. 17.

ARCHIEPISCOPO SUO SUADET UT PACIFICE CUM SUO CLERO VIVAT.

Ubi sup. c. 12.

VII. « Piæ recordationis Balduinus Cantuariensis Archiepiscopus, quorumdam instinctu, ecclesiam seu capellam in honorem pretiosi protomartyris Stephani, et inclyti neomartyris Anglorum Thomæ, in territorio civitatis suæ construere festinabat ; cui cum monachi Cathedralis Ecclesiæ obsisterent, opus in sui asserentes præjudicium attentari, Lincolniensis Hugo, quod rei probavit eventus, super eodem ab illo consultus negotio, certissimo prædixit oraculo : Si inter vos, inquit, Domine Archiepiscope, et Capitulum vestrum hujus operis causa schisma, quod non expedit, contingat suboriri ; et disciplinæ vigor in conventu vestro emarcescet et ordinis censura imminuetur. Hinc quanta successura sint pericula animarum nullius æstimatio sufficeret permetiri. Vos præterea

ANNUS 1187

Regiæ vestram oportebit autoritatem substernere servituti, Curiæ insuper Romanæ, nec non et plurimorum in sublimitate consistentium variamque habentium potestatem subjacebitis fastui et timori, ipsiusque summi Pontificis hora omni et tempore motus necesse erit animosque vereri. Ipse namque tam consummato opere isto quam inchoato, demoliri præcipiet quidquid demum cognoverit præjudicialiter attentatum. Cum diceret Archiepiscopus sanctum Thomam hujus fabricæ in honorem sancti Levitæ Stephani instituendæ gessisse propositum, satis eleganter ad hoc respondit Episcopus : Sufficiat, inquiens, vos simili jam proposito Martyri adæquatum, si meam audire volueritis imperitiam, ulterius eo minime procedetis. Verum illo aliorum potius consiliis innitente, mentisque propositum in operis effectum perurgente, tandem expertus didicit quam verum sit quod Scriptura dicit : Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum ; nam malorum quæ justus prædixerat, ne unum quidem præteriit inexpletum. Structura vero illa jussu Domini Papæ funditus eliminata est et demolita, autore cum rubore et peccati multiplicis quæstu, operam perdente operisque impensam, etc.... Monebat indifferenter quoslibet et indesinenter Prælatos, unitatis et concordiæ vinculum cum suis inviolabiliter subditis retinere, suimet exemplum illis proponens ; aiebat namque, quia novi me cum filiis nostris bonum pacis et unitatis tenacius observare, non Regem, non quemlibet esse timendum mihi æstimo mortalem ; sed neque internam perdo securitatem, quæ sempiternæ imitatrix et imperatrix existit tranquillitatis. Nec vero, inquit, idcirco mihi a Dominis nostris (sic enim Canonicos suos nuncupabat) quies hæc defertur totius ignara dissidii, quia me lenem sentiunt et mansuetum ; sum enim revera pipere asperior atque mordacior, qui et eorum præsidens Capitulo ex re frequenter levissima nimis inflammor ad iram : illi vero scientes quod oportet eos qualem susceperunt me, talem et sustinere, faciunt de necessitate virtutem deferentes mihi. Gratias illis

Eccl. 37. 18.

Quantum suos dilexerit et ab eis dilectus fuerit.

ANNUS 1187

habeo copiosas. Nunquam, ne vel in uno quidem sermone, restiterunt mihi ex quo primum inter eos residere cœpi. Egredientibus autem universis finito Capitulo, nullus de nostra sibi æstimat dilectione diffidendum, nec æstimo me a quovis eorum non amari. Talis vero ac tantus ei dilectionis affectus viritim ad singulos Ecclesiæ suæ filios, ab exordio promotionis suæ usque ad extremum vitæ suæ perseveravit diem, ut Illius evidenter se probaret imitatorem esse, de quo

Joan. 13.1.

Evangelistæ Joannis venerabilis profitetur assertio : Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos ; quorum etiam tuitioni se objiciens, si quando ex eis quempiam gravandum quocumque incursu agnovisset, non modo facto, imo et sermone dicere consueverat : Qui tangit vos tangit pupillam oculi mei. »

BOVONIS PRIORIS WITHAMIENSIS STUDIA CIRCA GREGEM SUUM.

VIII. Hactenus de rebus a S. Hugone sub ipsius episcopatus exordio gestis, cujus zelum in regimine Withamiensis cartusiæ imitatus est Bovo illius successor. Ubi enim novam hanc plantationem ingressus est, vitis quam sanctus Hugo tam prospere plantaverat, studiosius fovendæ ac fructuosius rigandæ gratia, Guigonem hujus nominis secundum olim Majoris Cartusiæ Priorem, de quo supra, obnixe rogat ut aquas ex primo fonte in Angliam usque diffunderet, quod ipse ut Patri spiritali etiam in remotis posito obediret libens fecit, scripto quem diximus *De quadripertito cellæ exercitio* Tractatu quem ad Bovonem misit protestatus se illud opus solo obedientiæ intuitu perfecisse. « Obsecro vos, inquit in Prologo, ut pro eo quod omissis quibusdam quibus intendere mihi dulcius esset, et si forte non utilius vestram sum, etsi ut non debui certe ut potui, jussionem executus, hanc mihi pro labore meo mercedem reddatis, ut in orationibus vestris mei reminisci velitis, sitque remuneratio promptæ obedientiæ meæ instantia pro me ad Deum orationis vestræ devotæ, etc. » Novæ igitur plantationi his aquis rigatæ nova Deus incrementa dedit, quibus multiplicata nimis suaves, ut prius, fructus cœpit edere, quos ut colligerent multi viri non infimæ notæ habitum Cartusiensem de manu Bovonis suscepere ;

inter quos præcipui extitere venerandi viri Robertus Prior et Radinus sacrista Ecclesiæ Wintoniensis, ad quorum maxime instantiam autor Vitæ S. Hugonis eam conscribere aggressus est. Quam vero sancte uterque conversatus sit inter nos, dicemus anno 1206.

ANNUS 1187

Præclari viri nostrum Institutum profitentur.

Inter eos etiam qui sub Bovone nostrum professi sunt Institutum, a quibusdam Scriptorum nostrorum annumeratur Reverendissimus Dominus Sylvester Girardus, quem dicunt ex Cartusiensi monacho Menevensem episcopum effectum fuisse. Quod mihi persuadere vix possum, cum constet ex Scriptoribus Anglis eum ex archidiacono Menevensi ad episcopalem dignitatem evectum fuisse circa annum 1198. Verum paulo post episcopatu se abdicare coactus, ut habet Gervasius in actibus Pontificum Cantuariensium sub Huberto, ad hanc forte Domum se recepit. Sed utrum habitum Ordinis induerit nec asserere nec negare audeo. Quidquid sit, constat eum magna cum S. Hugone familiaritate conjunctum fuisse, cui quædam sua opera nuncupavit, et Vitam illius conscripsit. Adhuc Girardus clarebat septuagenarius anno 1210. Postea apud Meneviam mortuus et sepultus. Multa ac pene infinita volumina edidit, quorum catalogus habetur apud Pitseum. De eo etiam vide Balæum et Godwinum.

An Sylvester Girardus ex eo fuerit numero.

IX. Circa ejusdem Bovonis regiminis initia, in eadem Domo non sine sanctitatis opinione decessit religiosissimus frater Conversus nomine Gerardus, vir quondam in seculo et divitiis et generis splendore spectatissimus, qui spretis honoribus amplisque possessionibus, humilem Fratris laici statum apud matrem Cartusiam amplexus est. Unus fuit ex illis Conversis quibus, Basilii temporibus, contemplationis gratia affluebat, quique teste Vitæ S. Hugonis Lincolniensis autore, tam acute sensum capiebant Scripturarum licet illiterati, ut ipsos etiam clericos in hoc superare viderentur. In Angliam jubente Jancelino Cartusiæ Priore ad opus Withamiensis Domus recens erectæ accelerandum cum sancto Hugone missus, quam ferventer fundationis perfectionem apud Regem prosecutus sit, jam ante aliquot annos vidimus. Sed quanta erga Deum

GERARDUS MAJ. CARTUSIÆ CONVERSUS MORITUR IN ANGLIA.

Vita ms. S. Hug. lib. 1. cap. 10.

V. sup. ad an. 1181.

ANNUS 1187

charitate circa finem vitæ arserit, narrat Petrus Blesensis qui eum optime noverat, et magna consuetudine devinctum habuerat.

Ejus charitas erga Deum

Pet. Bles. in compend. sup. Job.

« Nudiustertius, inquit, vidi quemdam discipulum hujus sectæ (eorum videlicet qui cum Apostolo animam suam non faciunt pretiosorem quam seipsos), Gerardum nomine, Cartusiensis Ordinis Fratrem. Iste super omnia desiderabilia sua jam per septennium desideraverat mori, cupiens exire de carcere et de vinculis hujus carnis cum Propheta : Educ de carcere animam meam. Confidens itaque de meritis suis sed amplius de misericordia Redemptoris, cupiebat dissolvi et esse cum Christo. Certe non minus exosam habebat vitam præsentem, quam nos miseri mortem ; non minus abhorrebat vivere quam nos mori. Singulis noctibus in principio vigiliarum surgebat, imo anticipabat vigilias noctis. Ego et quidam alii qui eramus cum eo, dabamus requiem temporibus nostris et oculis nostris dormitationem ; ipse autem pernoctabat in oratione, semper tamen cum gemitu et fletu. Vix aliqua hora comedebat panem sine lacrymis, sed et poculum suum cum fletu miscebat. In omni opere suo suspirabat ad Christum, despiciens terram, suspiciens cœlum, utens mundo quasi non utens, et inter utenda et fruenda quodam intimo sapore discernens, transitorie transitoriis utebatur et æterna quodammodo quasi æterno amplectebatur affectu ; vere quasi æterno, quia quædam æternitatis imago est, constans, firma et inconvulsa mortis æqualitas. Et licet laicus esset et literas non novisset, habebat tamen scriptam in corde suo digito Dei scientiam vitæ et disciplinæ. Sane docuerat eum qui docet hominem scientiam ; et utinam litterati omnes sic essent docibiles Dei, et infudisset illis gratia quod non contulit disciplina. Deum testor non minus circumspecte et sane de articulis fidei Christianæ respondebat, quam si maximam vitæ suæ partem in scholis Parisiensibus expendisset. In schola scilicet illius eruditus fuerat qui docuit et inflammavit Apostolos, de quo legitur : Quia ignis ejus in Sion et caminus in Jerusalem. Erat itaque scholaris Apostolorum et illius qui dicit : De

Psal. 141.

Cupit dissolvi et esse cum Christo.

Isaiæ 31. 9.

excelso misit Dominus ignem in ossibus meis et erudivit me. Sic loquebatur quasi sermones Dei, habebat enim semper ad manum verba vitæ. Sapientia ergo mea et philosophia mea sit philosophia Fratris Gerardi, qui nihil habebat aliud in corde nisi Jesum Christum. » Hæc Blesensis, quæ collata cum his quæ de Guillelmo Nivernensi comite, quondam etiam Cartusiæ Converso, maxime circa facilem Scripturarum intelligentiam alibi diximus, mihi locum dant suspiciendi autorem Vitæ S. Hugonis, quædam præfato Comiti attribuisse quæ solum hunc Gerardum spectare videntur.

ANNUS 1187

Thren. 1.3.

X. Denique hoc anno Urbanus papa audiens captum Regem Jerosolymitarum, captam Crucem Dominicam cum sancta Civitate, præ dolore cordis defunctus est; cujus Sedis et doloris successor Gregorius VIII, duobus mensibus nondum post suam electionem expletis, pariter decessit, 17 calendas Januarii, relictis in Terræ Sanctæ subsidium dignis suæ pietatis monimentis.

URBANUS III MORITUR.

Gregorius VIII succedit et moritur.

JESU CHRISTI

ANNUS 1188.

Clementis PP. III Ann. 1.	Ord. Cartus. Ann. 105.	Jancelini Pr. Car. Ann. 9.

CLEMENS III ELIGITUR.

I. ANNUS sequitur Redemptoris millesimus centesimus octogesimus octavus, Indictione sexta, quo cum vacasset Sedes Apostolica post mortem Gregorii VIII viginti diebus, Paulinus cardinalis episcopus Prænestinus, subrogatus est octavo Idus Januarii, dictus Clemens tertius. Is paulo post, nempe II Idus Aprilis, literas in gratiam totius Ordinis scribi jussit quas habes ad Antiquorum Statutorum calcem, quibus concedit ut Fratres alterius Ordinis possimus retinere, si apud nos velint profiteri, nisi infra annum requirantur; et quod possimus vocare alium Episcopum pro Ordinibus et consecrationibus altarium si proprium habere nequeamus; etiam ut personæ Ordinis quæ vel ex subventione Terræ Orientalis quacumque occasione, vel ex aliis causis quibuslibet occasiones evagandi assumunt, per excommunicationis sententiam coerceantur.

Privilegia Ordini concedit.

Extant inter privil. nu. 9.

PRINCIPES HORTATUR AD TERRAM SANCTAM RECUPERANDAM.

Baron. ad hunc an. n. 3 et seqq.

Rog. Howed. in Annal.

Decimæ propterea imponuntur.

II. Eodem tempore, idem Pontifex literis urgebat chistianos Principes ut promissum in Terræ Sanctæ recuperationem subsidium accelerarent. Henricus igitur rex Angliæ, inquit Rogerius de Howeden, post Crucis susceptionem, consilio suorum ordinavit quod unusquisque decimam redituum et mobilium suorum in eleemosynam daret ad subventionem terræ Hierosolymitanæ. Philippus rex Francorum simili modo colligi fecit decimas redituum et mobilium per omnes terras suas. Unde et decimæ Saladinæ dictæ sunt ob bellum

adversus Saladinum indictum. Cum vero Rex Franciæ hanc redituum collectionem statuisset, assensu et consilio Gallicanorum Episcoporum Parisiis mense Martio congregatorum, monachos tamen Cartusienses, Cistercienses ac Fontis Ebraldi ab hac decimarum solutione exemit, voluitque id nominatim designari in decreto hujus indictionis, ubi hoc legimus sancitum : « His imprimis constitutum est de decimis, quod omnes illi Crucem non habentes, quicumque sint, decimam ad minus dabunt hoc anno de omnibus mobilibus suis et de omnibus reditibus, exceptis illis qui sunt Cisterciensis Ordinis, et Ordinis Cartusiensis, et Ordinis Fontis Ebrardi, et exceptis leprosis, quantum ad suum pertinet proprium. » Eadem habet Rigordus, et ejusdem exemptionis meminit Vincentius Belvacensis.

ANNUS 1188

Cartusienses ab eis eximuntur.

Rigord. in Vita Philip. August.
Belvac. sec. 12. c. 18.

Porro Rex Angliæ pro præfata contributione celerius exigenda, plures tum in Normannia tum in Anglia cogit suorum Episcoporum conventus, quorum multos recenset laudatus Rogerius ; sed inter eos nomen nostri Hugonis non comparet. Tunc enim non solum suæ Ecclesiæ necessitatibus vacabat, sed ipsemet rebus suis, non tam temporalibus quam spiritualibus prospiciens, hominem suum tum interiorem tum exteriorem componere studebat, ne aliis prædicans ipse reprobus efficeretur. Sed de his audiamus Acta ejus.

III. « Quoniam de sancti Viri moribus plus in præcedentibus libellis disserere curavimus, idcirco nunc parcius dicendum æstimamus. Quamvis autem ad vitandum lectoris fastidium summopere brevitati studeamus, nequaquam tamen duximus reticendum quod in victus parcimonia, post susceptum Pontificatus laborem, solito minorem visus est tenuisse districtionem. A carnis siquidem et sanguinis omnimoda perceptione et sanus et ægrotus abstinendo, piscibus crebro vescebatur ; vini quoque usum non respuens sed eo moderate utens, tam corporeæ fragilitati, juxta Apostoli consilium, prospiciebat, quam juxta ejus exemplum, ut omnibus omnia fieret : convivantibus enim et convescentibus honesta se dispensatione conformabat. Erat quoque in mensa hilaris et

QUID INTERIM S. HUGO AGEBAT.

Vit. S. Hug. ms. lib. 3. cap. 13.

A carnibus sanus et ægrotus abstinet.

Qualis in mensa fuerit.

ANNUS 1188

jucundus, sed non sine gravitate et modestia, illud semper attendens et quandoque hortantibus se ad lætandum ore etiam proferens quod in libro Hester legitur : Læti simus secundum faciem Sanctorum. Si quando histriones vel musici aliqua occasione interessent solemnibus conviviis, ubi ipse sive ad propriam sive ad mensam residebat alienam, tunc maxime gravitati studens, vix unquam a mensa oculos erigens, et ita se in omni gestu et sermone exhibens, ut manifestum esset intuentibus quod tunc se ad interiora arctius constringeret, cum sensus exteriores hujusmodi lenocinia blandius mulcerent. Sacras inter vescendum lectiones tanta audiebat diligentia, ut præter nonnullorum Passiones Martyrum, præter gesta quorumdam Sanctorum et celebriores de præcipuis solemnitatibus sermones Doctorum, totum fere ex integro vetus novumque Instrumentum vel Testamentum, exceptis quatuor Evangelistarum libris quos aliis, sicut dicetur inferius, temporibus legi instituit, tum ad nocturnum coram se officium, tum ad prandium faceret recitari. Ut autem supra memoravimus, hoc ministerium jugiter uniformi institutione et ipse servabat, et quibuscumque Deo rationabile Deo cupientibus præstare obsequium, observandum inculcabat : ut omni scilicet loco et tempore, quod rerum exigeret præsentium instantia, convenienter adimpleret. Ad quod etiam dignius exequendum, seipsum habilem et quantum potuit idoneum studuit exhibere. Sentiens autem docente experientia, magni esse laboris opus episcopalis Officii, nec sine viribus etiam corporeis id decenter posse impleri, ita jumento corporis alimenta præbebat ut necessariis usibus congrue subserviret. Quod eo securius eoque fidentius faciebat, quo minus ne contra suum recalcitraret sessorem castigatione diutissima jam satis edomitum, metuendum erat. Nam et per continuum frigidioris dietæ usum eo usque jam internas corporis vires attriverat, ut fatiscente naturali calore crebras infrigidati stomachi perferret molestias, iliacis insuper passionibus sæpius amarissime torqueretur.

QUAM FERVENS IN ECCLESIARUM DEDICATIONIBUS ET IN CONFERENDIS ORDINIBUS.

IV. « Nihilominus affuit ei et affluxit gratia singularis, robur

illi accumulans fortissimis quibusque admirandum. Videre quasi miraculum erat quemadmodum in dedicationibus ecclesiarum, in celebrationibus Ordinum cæterorumque ecclesiasticorum officiorum, seu quibuslibet Pontificalis ministerii exercitiis, in quibus plurimum videtur laboris, omnium sibi adhærentium vires excederet; quemadmodum non solum fessis, sed pene deficientibus cunctis, aliis ad resumendas vires secedentibus, aliis ad obsequendum succedentibus, ipse indefessus et alacris de opere ad opus, de labore percurrebat ad laborem. Ad ista surgebat nonnunquam ante lucem, et usque ad profundas sequentis noctis tenebras jejunans, nec a labore cessans, diem medium transigebat. Plerumque dum immodicus æstatis fervor immineret, quosdam ministrorum altaris cogebat panis et vini modicum prælibare, ne prægravati æstu, jejunio et labore, citra periculum post toties repetitos circuitus in ecclesiarum dedicationibus, astare demum et suum explere officium, ipso Missarum solemnia celebrante, nequivissent. Cumque prægustatis jussu suo panibus, horrori quibusdam et formidini esse sensisset sacrum inter agenda vel calicem vel dominicam contingere sindonem, arguebat eos quasi pusillæ fidei et discretionis infimæ, qui nec obedisse jubenti sine hæsitatione didicissent, nec rationem perciperent circumspectæ jussionis. Quotiescumque iter agenti occurrissent, ut assolent, qui per manus ejus impositionem confirmari expeterent, aut qui parvulos ei ad illud percipiendum sacramentum afferrent, mox loco opportuno ab equo descendens in pedes, quod sui erat officii sollicita devotione adimplebat, in quacumque diœcesi hoc accidisset. Nulla unquam fatigatione aut infirmitate, nulla itineris festinatione, nulla asperitate viæ aut aeris intemperie, ut equo insidens tantum exhiberet sacramentum potuit induci.... Ætate jam gravis cunctisque sæpius (quæ itinerantibus occurrere solent) constrictus incommodis, equo descendebat, parvulos et eorum bajulos ad se leniter et successive accersebat; ministros suos, videlicet laicos (si cuipiam aliquid forte intulissent molestiæ) terribiliter increpando severius coercebat. Hinc data benedictione optata circum-

ANNUS 1188

In Sacramento Confirmationis impertiendo.

ANNUS 1188

stantibus, infirmis quoque qui accessissent, oratione ad Dominum pro eis effusa in spem adipiscendæ sospitatis, cum exultatione respirantibus, repletus et ipse benedictionibus cunctorum cœptam repetebat viam. Quam plurimos autem hujusmodi per ipsius orationem seu benedictionem speratam consecutos fuisse incolumitatem, indubitanter sæpe accepimus. »

PARTHENIUM BERTAUDI ERIGITUR.

V. Erigitur hoc anno cartusia Monialium Bertaudi, sic dicta ex ejusdem nominis loco, in Delphinatu, diœcesi Vapincensi, in ardua solitudine et ferarum lustris, prope oppidum Montmaur ; a cartusia Durbonensi, cui postea unita est, duabus circiter leucis Vapincum versus, et a Pratibajone primo cartusiensi parthenio viginti quinque dissita. Fundatrices habuit Pratibajonenses Moniales, locum eis concedente Adelaide nobilis Arnaudi Flotte Domus Durbonensis benefactoris uxore. Cujus donationis diploma est sequentis tenoris :

« Notum sit tam præsentibus quam futuris, quod ego Adalaidis uxor Arnaudi Flotte, et filii mei Arnaudus et Raymundus et Reymbaldus et Audifredus, donamus et concedimus pro redemptione animarum nostrarum et omnium parentum nostrorum, Deo et Beatæ Mariæ, et Sanctimonialibus Sancti Andreæ de Pratibajone territorium Bertaudi, quod ita terminatur a capite montis qui dicitur Moyschieres, quemadmodum cacumen ejus dirigitur per collem qui dicitur, etc. Omnem, inquam, terram quam ego Adalaidis et filii mei intra terminos istos habemus cultam sive incultam, cum pascuis, et alpibus et arbustis, saltibus et nemoribus, venationibus et rivis, et fontibus et piscationibus, et rupibus, sine omni fraude et dolo, prænominatis Sanctimonialibus donamus in perpetuum et concedimus. Præterea per totam terram nostram eis pascua similiter donamus. Hoc autem fecerunt et jurejurando firmaverunt in castro de Rora Adalaidis et prædicti filii sui, et Guillelmus cognatus eorum, Nicaudus de Venetiis, et Artaldi Meifreydi, et Petrus Rostagni Thaunonii, Grimo villicus ejusdem castri, Ver. de Belve, Rostagnus Marcelli, Guillelmus Odo, et Beatrix uxor Arnaudi Flotte;

isti prædicti juraverunt in scripto. Testes fuerunt Petrus Grafinel, Girardus Bernardi, Durandus sacerdos de Briva, etc. Frater Bernardus sacerdos, et Frater ejusdem Domus qui hoc dominium accepit, etc. Hoc autem factum est anno 1188 mense Septembri, luna quarta, feria quinta, regnante Friderico Imperatore semper Augusto. »

ANNUS 1188

VI. Etsi in præfatis literis pia mulier distincte non exprimat locum se dare ut novum ibidem erigeretur Parthenium, id tamen necessario intelligendum est ; cum his temporibus non licuisset Sanctimonialibus Pratibajonis donum hujusmodi recipere, et loco frui ab earum monasterio viginti quinque leucis dissito. Cumque etiam Adalaidis pascua, ut loquitur, per totam terram suam concedat, satis indicat talem donationem esse pro Monialibus quæ locum ipsum habitarent. Certum est præterea Bertaudi cartusiam extitisse longe ante annum 1260, quo tantum anno nostri Scriptores ejus fundationem assignant. Nam in Compilatione Capituli generalis decretorum anno 1222 facta, ejusdem Parthenii fit mentio his verbis : « Moniales de Bertauth participium habeant orationum nostrarum. » Et in Majoris Cartusiæ Cartulario testamentum habetur Guigonis Berengarii anno 1224 in Septembri conditum, quo testamento legat Domui Pratibajonis suarum vaccarum medietatem, et Domui de Bertaud aliam medietatem. Habemus etiam cujusdam nomen Priorissæ quæ in hoc cœnobio mortua est anno 1232 ; et in Charta anni 1250 Diffinitores confirmant quamdam donationem factam Monialibus Bertaudi : « Donationem domus de Romanis quæ facta est Domui de Bertaud approbat Capitulum generale et confirmat, et vult et ordinat quod dicta Domus de Bertaud investiatur de domo corporaliter et pleno jure eam possideat, nec usque ad triennium aliquam gratiam faciat dicta Domus de Bertaud Prioribus de dicta domo, nec conducat eam eisdem usque ad dictum tempus, nec postea, si noluerit. »

ANNUS FUNDATIONIS DISCUTITUR.

Domus de Romanis eidem unitur.

Ex his verbis intulit quidam* domum de Romanis fuisse cartusiam unam, Patrum autoritate et decreto parthenoni Bertaudi adscriptam. At hujusmodi consecutio minus justa

* Alfaura in Orig. Cartus.

ANNUS
1188

est. Si enim fuisset Domus nostri Ordinis, nullus post factam ejus incorporationem cum Domo de Bertaud, Prioris jure aut titulo ab Ordine donatus fuisset. Unde probabilius est fuisse quemdam Prioratum simplicem, ut dicitur, alterius Ordinis, cujus Prior vel Priores post prædictam unitatem idem nomen ad vitam retinebant; cujus tamen « ne usque ad triennium, (ut loquitur Charta) aliquam gratiam facerent Moniales, nec conducerent eisdem Prioribus dictam domum (sive Prioratum) usque ad dictum tempus, » a Capitulo generali prohibetur, eo quod forsan aliunde dictis Prioribus factum esset satis.

Ejus continua paupertas.

Quidquid vero sit de illa domo, cujus majorem notitiam non habemus, constat nostras Moniales non magnum inde percepisse emolumentum, cum semper in summis rei domesticæ difficultatibus vixerint, ut ex Chartis capitularibus probari potest. Anno siquidem 1336, « Petitiones Priorissæ de Bertaudo, inquit Charta, non exaudiuntur; et quia cum sint nimia paupertate oppressæ, petunt augmentari numerum personarum, cum non hoc modo sed magis per diminutionem earum consueverit paupertatis miseria relevari, et ideo gravi suspicione non careant, Priorissa sit extra sedem suam per unum mensem, et quælibet Monialis petitionibus consentiens septem in Capitulo recipiat disciplinas. » Eas enim Capitulum generale suspicabatur aliquod pro receptione Monialium fecisse pactum, quod totis viribus, tanquam simoniacum et nostris Statutis contrarium, a nostris Monialibus Patres avertere semper nisi sunt.

Inde Priorissa suspecta de pacto in receptione Monialium.

TOTA DOMUS DEFLAGRAT.

VII. Anno 1376 ad extremas fere angustias devenerunt ex incendio generali, quod passæ sunt in Quadragesima ejusdem anni. Quapropter per Chartam Capituli generalis injungitur « Visitatoribus, ut secundum suæ discretionis arbitrium faciant fieri eleemosynæ aliquod suffragium a Domibus Ordinis quas visitare tenentur, Domui de Bertaud quæ tota est combusta, casu adveniente in ista Quadragesima transacta. » Rebus posthac in pejus semper dehiscentibus, etiam actum est de Domo proprio Episcopo remittenda, ut dicemus anno 1432.

VIII. Ex primis Monialibus quæ nostrum Ordinem in hoc parthenio professæ sunt, annumeratur domicella Girarda de Elteno, quæ piis Hugonis Excubiensis cartusiæ Prioris colloquiis ad mundi contemptum inflammata, virginitatis voto emisso, ejus consilio et ope, a nostris velamen accepit. Ejus mater nobilis matrona, Willelma nomine, ne collati suæ filiæ beneficii immemor appareret, quamdam terram intra Excubiarum cartusiæ terminos sitam, monachis ejusdem Domus consentiente Rostanno filio suo concessit : « Ne per oblivionem, ut habet donationis Charta, ab hominum memoria deleatur. Domina Willelma de Elteno et filius ejus Rostannus dant campum in parrochia Cizerini Excubiarum sub nemore de Bretun, Domui Excubiensi pro Gerarda filia sua quam sacro velamine velari fecerunt. Ut autem hoc donum firmum et inconcussum teneatur, a prædicta Domina Arbertus de Turre pro Excubiensibus fidejussores accepit Petrum de Elteno, Girardum Doloisi et Othmarum Bordet. Hujus rei testes sunt Antelmus archipresbyter de Turre, Girardus capellanus Cizerini, F. Guigo de Sylva et alii. Ego Robertus Viennensis archiepiscopus prædictis sigillum apposui, etc. » Girardæ obitus in Calendario Domus Bertaudi reperitur ad 12 Calend. Octobris.

ANNUS 1188

QUÆ PRIMA MONIALIS.

Ex codice v. cl. Chorerii.

Inter amicos et benefactores harum Monialium in earum Necrologio recensentur : Dragonetus episcopus Vapincensis habens Anniversarium VI Idus Julii ; Guillelmus Stephani ejusdem Ecclesiæ præsul ; Bertrandus Desperrons episcopus quondam de Senez, obiit 12 Calend. Julii. Magnificus vir dominus Masieta miles, Dominus de Rupe Arnaudorum, Raymundus de Montemauro, Bonrosus et Joannes Gibellini ; qui omnes hanc Domum, in gratiam vel filiarum vel consanguinearum suarum in ea professarum, sua benevolentia foverunt.

Ejus amici et benefactores.

IX. Hoc pariter anno Wiardus nostri Ordinis Conversus in Luvigniaci Domo florebat, ubi jam ad aliquot annos sub ejusdem cartusiæ Superiorum obedientia, maxima cum laude vixerat. Verum ad vitam asperiorem et a rebus temporali-

WIARDUS CONVERSUS LUVIGNIACI FLORET

ANNUS 1188

bus, quibus ex suo statu incumbere necessario habebat, semotiorem interius a Deo se trahi sentiens, cum bona eorumdem Superiorum venia, raro exemplo, in nemus quoddam ab eodem Luvigniaco duabus circiter leucis dissitum secessit, ibique per aliquod tempus stupendæ austeritatis exercitiis deditus in spelunca latuit. Haud paulo post a vicinis populis detectus, et a Duce Burgundiæ venationi incumbente, casu (si vera est traditio) repertus, sæpius ab eo invisi cœpit. Cumque aliquando idem Princeps in prælium satis periculosum descensurus erat, promisit Wiardo, si salvus et incolumis partaque victoria reverteretur, monasterium ei eodem in loco se ædificaturum. Rogavit ut ejus uxori sterili a Deo prolem impetraret. Ducis votum mox victoria secuta est, nec diu post ejus conjux concepit ac peperit filium. Ille sponsionis suæ non immemor cœnobium construxit, quod ex loco *Vallis Caulium* appellatum, ita sensim excrevit habitatorum numero, ut brevi varia in loca suis emissis propaginibus, unum in Ecclesia constituerit Ordinem. Suis discipulis ipsemet Wiardus dictavit leges Cartusiensium Statutis simillimas, quas postea Summus Pontifex Honorius III confirmavit. Eorum habitus nostro similis est, nisi quod caputium a cuculla separatum est. Veterum Cartusiensium more, cappis nigris uti solent. In eodem cœnobio decessit venerabilis ille Conversus, cujus obitus in cartusiæ Luvigniaci Calendario signatur ad diem 17 Octobris, incerto anno.

Fundat Ordinem Vallis Caulium.

Hujus Ordinis fundationem, non Converso sed Monacho Cartusiensi tribuit Henricus Kalkar in suo Tractatu *De origine et progressu Ordinis Cartusiensis,* ubi agens de illecebris quibus diabolus nostros conatur ad defectionem pellicere, hæc de Valliscaulensium monachorum origine habet : « Provectos usque ad mortem multis modis diabolus persequitur. De quo hoc unum est exemplum, unde tamen provenit bonum. Cum enim quemdam provectum Patrem Cartusiensem præcipitasset in fugam, inveniunt eum quidam Nobiles de Francia, dicti de Montcornet, quasi desolatum in sylva. Qui interrogatus respondit se de claustro fugisse propter nimium

Henr. Calkar. de Orig. Ord. Cartus.

rigorem vitæ; adjecitque quod si tempore abstinentiæ panis et aquæ caules habuisset, bene contentus mansisset. Miserti illius pauperis duxerunt eum ad sua, assignantes ei locum pro herbis et fructibus valde fertilem, cui ex hoc adhuc Vallis Caulium est nomen. Unde et Fratres ipsi postea *Caulistæ* sunt vocati. Ibidem itaque facto Claustro, et loco a Sancta Sede Apostolica promotione dictorum Nobilium approbato, adunati sunt socii multum devoti, qui viventes quasi Cartusienses, multum bene per quadraginta annos vel circiter se habuerunt. Qualiter autem adhuc pro nunc vivant, scitur in castro* de Hornen ex opposito Ruremundæ sito, quia Domini de Hornen*, de sanguine dictorum Nobilium de Montcornet, domum ejusdem Ordinis fundaverunt prope Sanctam Elisabetham. »

ANNUS 1188

* *Al.* claustro.
**Al.* Hoerne.

Hæc Calkar, qui videtur ea accepisse a quodam monacho ejusdem monasterii Hornensis. Unde facile potuit dissonantias quasdam committere, nostræ traditioni non congruentes quidem, sed quæ illam nihilominus non evertunt. Ut ut sit certissimum est præfatum Ordinem originem suam debere cuidam Cartusiensi Domus Luviniaci professo, ut ex sequentibus apparebit.

X. Quod vero præsenti anno hæc evenerint discimus a Wignerio Societatis Jesu theologo, qui in *Lingonensi Chronico* de Vallis Caulium fundatione hæc pauca habet : « Anno 1188, in Vallis Caulium solitudine, novi cœnobii novique Ordinis jacta fundamenta per virum religiosissimum, de quo alibi. » Hæc ille; qui dicens alibi eadem se tractaturum, innuit *Sanctam diœcesis Lingonensis Historiam,* quam tunc moliebatur, sed quam perficere morte præventus non potuit. Sammarthani annum tantum signant 1197. Verum id citius evenisse probatur ex inscriptione antiquioribus characteribus exarata, muro Vallis Caulium ecclesiæ affixa, quæ (ut nobis ante aliquot annos scripsit V. P. A. Harson ejusdem cœnobii monachus) sic habet :

QUO TEMPORE HIC ORDO FUNDATUR.

Sammarth. tom. 4. Gall. Christ.

« Anno Domini M. C. nonagesimo tertio, quarto Nonas Novembris intravit Frater Viardus in chorum Vallis Caulium. »

ANNUS 1188

Quæ videntur potius esse intelligenda de templi constructione quam de Ordinis fundatione. Supra vero hanc inscriptionem, duo hæc leguntur carmina.

Hic duo sunt Fratres, caput Ordinis et Protopatres,
Guido ac Humbertus ; sit Christus utrisque misertus.

Hi videntur dici caput ac Protopatres Ordinis eo quod forsan sacerdotio initiati essent, ac propterea novo monasterio præfecti a Viardo, qui semper a Vallicaulensibus pro Fundatore ac Patriarcha suo agnitus est, ut probari potest ex Decretis capitularibus ejusdem Ordinis, quorum pleraque habemus ab Ordinis institutione ad annum circiter 1270. Inter quæ sequens legitur :

Ex Decretis mss. Cap. gener. Ord. Val. Caul.

« Decernimus ut omnes ecclesiæ nostræ ac successorum nostrorum, in memoriam Reginæ cœli et terræ Beatæ Mariæ et S. Joannis Baptistæ fundentur ac dedicentur, quia *primus pater et Constitutor Ordinis nostri, de ecclesia Luniacensi* quæ in honore est Beatæ Mariæ et S. Joannis Baptistæ, ad locum Vallis Caulium, unde nos exorti sumus, primitus venit. »

CAPITULO GENERALI VALLIS CAULENSIUM OLIM PRÆSIDEBAT PRIOR LUVINIACI.

XI. Præterea Comitiis ejusdem generalibus olim præsidebat ex antiquo privilegio, Prior Domus nostræ Luviniaci pro tempore existens ; et quæ corrigenda mutandaque pro Religionis observantia videbantur, ipse cum aliis Superioribus simul congregatis dijudicabat et ordinabat. Imo ipsum Conventum Luviniacensem aliquid juris habuisse in Vallicaulensem non est levis conjectura, quam sumimus ex eorumdem Comitiorum decretis, inter quæ sequentem legimus declarationem : « Novitius in Valle Caulium non debet ire, nisi congregantur Monachi Luviniaci et Monachi Vallis Caulium, nec Domum ipsam intrare potest. »

Vallicaulenses Cartusiensibus olim similes.

Sub instituti Ordinis initium, in cellis more Cartusiensium a se distinctis habitabant ; cucullam cum vittis etiamnum gerunt, cilicio utebantur, esus carnis tam infirmis quam sanis interdicebatur, plerosque alios nostros usus observabant, præter arctam solitudinem et austeras abstinentias.

Simul enim comedebant et laborabant, sextaque feria sola omni tempore jejunio deputabatur, ita ut Cartusienses mitigati merito dici potuissent. Unde et aliquando Nostris pristinæ austeritati factis imparibus licebat ad eos transire. Hæc omnia eruimus ex eorum Manuscriptis, Statutis et Decretis, quorum quædam hic subjicere operæ pretium duximus ad prædictorum probationem.

ANNUS 1188

I. « Omni tempore tam sanis quam infirmis esus carnium, aut sagininus, a prima Institutionum observantia interdictus est.

II. « Feria sexta omni tempore jejunamus, præterquam in Nativitate Domini; et in Festis duodecim Lectionum in æstate, pane et aqua et uno pulmento contenti. Et in Quadragesima idem pulmentum subtrahitur eadem feria.

III. « Quando Prior et Subprior minuti fuerint in Conventu, ille cui Prior jusserit ducat Fratres ad laborem ; et quando redierint et intra terminos intraverint, nullo modo cum Fratribus loquatur. Item silentium in labore teneatur, nisi de licentia tenentis laborem frangatur.

IV. « Nulli Monacho Cisterciensi, vel Cartusiensi, vel cujuslibet Ordinis tribuatur habitus noster, nisi absoluto (id est, ut videtur, licentiam a suis Superioribus consecuto), nec in habitu suo morari possit nobiscum ultra tres hebdomadas. »

CISTERCIENSIUM USUS AMPLECTUNTUR.

XII. Sunt et in his Decretis multa quæ non solum Cartusienses usus redolent, sed quæ de verbo ad verbum excerpta sunt, tum ex Consuetudinibus Guigonis tum ex variis, quæ sub Basilio et Jancelino a nostris Capitulis generalibus promulgatæ fuerant, constitutionibus. Postea tamen cuncta ordinaverunt juxta Cisterciensium Consuetudines, ita ut plures ordinationes emanaverint cum his clausulis : « Secundum morem Cisterciensium, vel, Prout consuetum est in Ordine Cisterciensi ». Et ab eo tempore, nempe circa vel certe ante annum 1238, asperiora nostri Ordinis instituta cœperunt sensim mutare vel etiam penitus abjicere. Nam inter eadem Decreta illud legimus ante annum 1238 editum : « Cilicium

ANNUS 1188

Quando tepescere cœperint.

non ferat, nisi quis voluerit. » Anno 1244 concedunt ut « austeritas abstinentiæ, quæ fieri solet in omni Quadragesima et in Adventu feria sexta, temperetur ad arbitrium et discretionem Prioris in itinere et in infirmitorio. » Et anno 1249 carnium usum admiserunt, promulgata in Comitiis generalibus sequenti Ordinatione : « Liceat dare carnes omnibus debilibus et infirmis, secundum Regulam beati Benedicti. » Anno denique 1262 sancti Benedicti Regulam omnino susceperunt, scripto tali Decreto : « Statutum est in nostro generali Capitulo, propter transgressiones evitandas, ut Regula beati Benedicti abbatis firmiter teneatur. » Et jamdiu ante sancitum fuerat, ut « professiones fiant amodo in Ordine nostro secundum Regulam S. Benedicti. » Anno quoque 1266 prolixam quamdam ordinationem sic inchoant Diffinitores, qui erant Priores de Juniperio et Claroloco : « Attendamus, Fratres, et corde suscipiamus, voluntate teneamus, conversatione et opere, verbum salutaris doctrinæ : Regulæ videlicet sancti Patris nostri Benedicti, quam ideo Regulam appellamus, quia ad ipsam vitam nostram dirigere et mores componere ex oris nostri professione tenemur. » Et paulo post admonent suos ut in esu carnium et in aliis ibi (nempe in Regula) plane et distincte determinatis, magistram sequantur Regulam, tanquam a Spiritu Sancto traditam.

QUI DE HOC ORDINE SCRIPSERINT.

Jacob. de Vitr.lib.2.c.17

XIII. Jacobus de Vitriaco cardinalis, qui paulo post istius Ordinis fundationem florebat, de eodem honorifice commemorat in *Occidentali Historia*, illius monachos vocans Deo amabiles et valde religiosos. « Hi, inquit, Cisterciensis Ordinis instituta victu et habitu et divinis Officiis, et in omnibus aliis districte et diligenter observant, excepto quod cellulas modicas causa majoris tranquillitatis et pacis sibi construxerunt, ut in eis tempore meditationis, lectionis et orationis tanto devotius quanto secretius soli Deo vacare queant. » Et paulo post : « Nec greges, nec armenta, nec terras arabiles, nec alias habent possessiones, nec temporalibus occupati sollicitudinibus, et curis hujus seculi ab intentione spiritualium retardentur. » Hæc ille, qui multa de eisdem præclara

recenset. Porro quando agriculturæ cœperint operam dare, discimus ex eorum Decretis Capituli generalis 1244, ubi « permissum est ut agriculturæ exerceantur, ubi necessitas intervenerit ; » eosque vineas etiam coluisse conjicimus ex sancitis in Comitiis anni 1267. Nam ibi legimus « statutum esse, quod in tempore vindemiæ Fratres possint mixtum sumere pro voluntate proprii Prioris, scilicet panem et vinum et fructum arborum. » Ejusdem Ordinis meminerunt Autor *Speculi Cartusiensis*, qui anno 1450 vivebat ; Renatus Choppinus in suo *Monastico ;* Chassaneus in *Catalogo gloriæ mundi,* qui censet melius fore quod reducerentur in totum sub Cisterciensium habitu ; et Miræus in *Cisterciensi Chronico* et in *Originibus Monasteriorum ;* Thomas Demsterus et David Camerarius, autores Scoti, Cartusienses confundunt cum Vallicaulensibus, horum domos in Scotia constructas nostro Ordini falso tribuentes, ut fusius dicemus anno 1429 ubi de fundatione unicæ cartusiæ apud Scotos erectæ agemus.

ANNUS 1188

Spec. Cartusiens. mss.
Chopp. l. 2. t. 1. art. 20.
Chass. par. 4. consid. 58.
Mir. orig. Mon. l. 2.
Demster. lib. 1. Appar. de Relig.
Camer. de Scotorum pietat. lib. 3. cap. 3.

JESU CHRISTI

ANNUS 1189.

Clementis PP. III Ann. 2.	Ord. Cartus. Ann. 106.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 10.

PETRUS PINETI BENEFACTOR CARTUSIÆ.

I. SEQUITUR annus millesimus centesimus octogesimus nonus, Indictione septima, quo Mater Cartusia paupertatis ac quietis amans, quasdam terras sibi extra terminos eremi oblatas respuit, ne sui ex earum cultura nimium interturbarentur ; sed pro eis quamdam admisit pensionem annuam a venerabili viro Petro Pineti canonico Diensi erogatam. Hic singulis annis die Purificationis B. Mariæ monachos Cartusiæ procurare sive prandium eis dare solitus, volensque eleemosynam suam fieri perpetuam, quoddam prædium a Prioratu S. Mariæ de Gravers Ordinis S. Benedicti, cui nomen hodie S. Badulphi, creditoribus distractum suisque redemptum pecuniis, eidem Monasterio ea conditione restituit, ut ex annuis illius reditibus annuo cibo Cartusiæ monachi reficerentur. Conditionem accepit et confirmavit Humbertus S. Ramberti abbas, cui subjectus erat præfatus Prioratus. Pensionis vero solutionem Episcopus Gratianopolitanus se suosque successores tuituros spopondit. Hujus donationis et attributionis extant literæ satis curiosæ in hunc qui sequitur modum :

Quæ dederit.

« In nomine Domini nostri Jesu Christi. Certum sit omnibus hominibus tam præsentibus quam futuris, quod monasterium sanctæ Mariæ de Gravers habebat quasdam possessiones... quas tanto tempore creditores pignoris nomine detinuerant et fructus perceperant, ut eas sibi acquisiisse et

monasterium amisisse videretur. Unde Humbertus S. Regnaberti abbas providens utilitati ecclesiæ suæ, cum consensu sui universalis Capituli et voluntate et consensu Guifredi Prioris S. Mariæ de Gravers et omnium monachorum ibidem commorantium, has supradictas possessiones vendidit, donavit, tradidit, et perpetuo jure habendas concessit Petro Pineti Diensis Ecclesiæ canonico. Ipse vero Petrus Pineti pro pretio persolvit eidem monasterio de Gravers triginta libras Viennensis monetæ, de quibus supradictæ possessiones a creditoribus liberatæ fuerunt. Postmodum etiam Petrus Pineti per hanc venditionem et traditionem jam factus dominus, considerans utilitatem ipsius monasterii de Gravers et volens pro salute animæ suæ Fratribus Cartusiæ eleemosynam facere, supra scriptas possessiones ipsi monasterio de Gravers donavit hoc pacto, ut in Purificatione B. Mariæ ad procurandos Dominos et Fratres Cartusiæ, Prior sæpedicti monasterii de Gravers annuatim præstet et afferat eis panes recentes de duobus sestariis frumenti purgati ad mensuram Gratianopolitanam, et tres eminas vini puri et unciam et dimidiam boni gariofoli, et pigmentum in quo habeat tres eminas vini puri et eminam ciceris et mellis et olei quantum necessarium fuerit, et de bonis piscibus duodecim solidatas. Ipse insuper abbas Humbertus et universum Capitulum S. Regnaberti et prædictus Prior de Gravers cum Fratribus suis, ad hanc procurationem annuatim, sicut dictum est, faciendam, se et successores suos obligaverunt. Et ut hoc in perpetuum ratum habeatur, prædictus abbas Humbertus hanc chartam sui sigilli impressione signavit. Et Dominus J. Gratianopolitanus episcopus, in cujus diœcesi monasterium de Gravers situm est, sigillandam mandando rogavit. Præterea ipse Petrus Pineti prædicto Domino Episcopo hujus rei curam supplicando commisit, et ut hanc eleemosynam Fratribus Cartusiæ, intuitu pietatis ipse et successores sui, in perpetuum tuerentur rogavit. Quod et ipse sicut debuit pro se et successoribus suis promisit. Actum est hoc, anno ab Incarnatione Domini MCLXXXVIIII, Clemente tertio Summo Pontifice, Frederico

ANNUS 1189

To. 1. p. 77.

Cap. 41. n. 5.

Romanorum Imperatore. » Hujusmodi pensiones sive reditus non prohibent Guigonis Statuta, ut tomo primo horum Annalium ostenditur. Imo etsi noster Guigo Anniversariorum fundationes in gratiam externorum videatur non admittere, cibos tamen ad monachorum refectionem ab amicis stipis intuitu collatos non vult respui ; sed admonet ut « si quisquam nobis pisces aut hujusmodi miserit aliquid, ea mensura et die reficiendis inferatur Fratribus, qua Propositum poscit et Institutio. » Et pro his et aliis benefactoribus nostris, præter assiduam commemorationem quæ fit semper in precibus ecclesiastici Officii, statuit ut « penultima in omnibus *Agendis* oratio dicatur, et per singulas hebdomadas pro eis et aliis (de quibus capitulo 14 agit) Missa una cantetur. » His precibus communibus contentus fuit præfatus Canonicus, qui nec Anniversarium nec alias singulares preces a Nostris exegit, ut constat ex præinsertis literis.

EJUSDEM ELEEMOSYNA PECUNIA MUTATUR.

II. Post illius mortem, Joannes Prior de Gravers querens suum monasterium gravari tali pensione, eam quadraginta solidis annui reditus permutavit, agente præfato Joanne episcopo Gratianopolitano et de consensu Anselmi tunc S. Ramberti abbatis. Hujus permutationis literæ anno 1203 scriptæ sunt, in quibus idem Episcopus dicitur nostri benefactoris amicissimus. Hæc permutatio rursum confirmatur anno 1211 ab eodem Episcopo, non autem ab ejusdem nominis, alio ut ex literis constat ab Abbate sancti Ramberti datis, in quibus postquam hujus eleemosynæ institutionem recensuit, addit : « Ea propter Domnus Joannes Dei gratia Gratianopolitanus episcopus, qui ad preces Petri Pineti et pietatis intuitu, prædictæ eleemosynæ Eremitis Cartusiæ singulis annis dandæ curam pro se et successoribus suis susceperat, voluntate et assensu Abbatis et Capituli sancti Raimberti, dedit Priori Sanctæ Mariæ de Gravers ducentos solidos Viennensis monetæ, eo pacto ut singulis annis perpetuo præfatus Abbas et Capitulum S. Raimberti et Prior de Gravers cum Fratribus teneantur dare, in festo Purificationis B. Mariæ, quadraginta solidos ipsi Domno Joanni Episcopo Gratianop. . . . . . . Ad hæc

ANNUS 1189

nos supra nominati Abbas. . . . . omnia et singula suprascripta vera esse cognoscentes, promittimus vobis Domno Joanni Episcopo Gratian. quod singulis annis nos et successores nostri dabimus vobis XL solidos Viennensis monetæ, etc. Datum anno Incarnationis MCCXI, Innocentio Papa III in Apostolica Sede præsidente. »

Hæc ibi. Ergo Joannes episcopus qui sedebat hoc præsenti anno, sedit et anno 1211 ; licet quidam eum obiisse velint anno 1194, quem adhuc vixisse anno 1219 suo loco probabimus.

ROBERT. DIENSIS EPISCOPUS ORDINIS NOSTRI FAUTOR.

Baron. an. 1188. et seqq.

III. Hoc anno, Clemente Summo Pontifice Imperatorem, Reges ac Principes Christianos ad subsidium Terræ Sanctæ quantocyus ferendum per suos Legatos adhortante, multisque a Clero se suaque ad tam sanctum opus offerentibus, inter cæteros Robertus Diensis episcopus nostri Ordinis fautor Cruce assumpta peregrinationem Hierosolymitanam aggressus est ; quod rerum Diensium Scriptoribus hactenus ignotum discimus ex transcriptione cujusdam juris per Abbatem et Conventum S. Benigni Divionensis eidem Episcopo ante ejus decessum facta, cujus instrumentum hæc habet :

Ex fragmento ejusdem transcriptionis ab amico nobis suffecto.

« Noverit futurorum omnium posteritas seculorum, quod ego Petrus S. Benigni Divionensis abbas et Capitulum nostrum, quoniam in persona nostra ire non potuimus, venerabilem Fratrem nostrum Galterium camerarium et præpositum Domus nostræ Lugdunum misimus, autoritate nostra super his quæ sequuntur ei plenissime accomodata. Veniens itaque Lugdunum, præsentibus et assensum suum præbentibus Dominis ac venerabilibus archiepiscopis Joanne Lugdunensi et Roberto Viennensi, resignavit. . . . . . cum omnibus ad se pertinentibus, Domino Roberto Diensi episcopo per manum jam dicti Episcopi Viennensis (cui memoratus Diensis episcopus Hierosolymam iturus episcopatum suum commendaverat), etc. Acta sunt hæc apud Lugdunum anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octogesimo nono, Indictione septima, mense Februario, feria sexta, luna secunda. Testes sunt : Dalmatius senescallus Lugdunensis, Stepha-

ANNUS 1189

*Forte Gab.

nus decanus, Gilinus de Sab, * Hugo de Podio, Petrus Beraldus, Willelmus Arpinelli, canonici Lugdunenses ; Hubertus de Mirabel, Ismido de Cordum canonici Viennenses ; Petrus de Maysse, Petrus de Narase, Petrus Pineti canonicus Diensis* ; Willelmus Prior S. Medardi. Sciendum præterea quod ego Petrus Divionensis Dei gratia abbas et Fratres nostri, eodem anno, eodem mense, proxima quarta feria existentes in Capitulo nostro apud Divionem, quod Camerarius noster fecerat recognoscendo approbavimus, et sigillis nostris præsentem Chartam insigniri mandavimus. Sigillis quoque prædictorum Vener. Archiepiscoporum Lugdunensis et Viennensis, et Domini Roberti Diensis episcopi et Capituli ejusdem, eam similiter roborari voluimus. Testes sunt : Martinus Prior, Aymo cantor, Ebalus subprior, Valterius eleemosynarius, Bernardus custos Corporis Sancti, Vido Areus, Valterius Catalanus. . . . . . . et Willelmus Prior S Medardi. Postremo sciendum est quod Ademarus Pictaviensis remisit nobis procurationem, quam se dicebat habere in Domo nostra de Monte Modrio, et literas hujus remissionis sigillo suo signatas nobis dedit. Dominus quoque Lantelmus Valentinensis episcopus remisit jam dictæ Domui nostræ usaticum quod habebat in portis Valentiæ, etc. »

* *Canonici Dienses.*

Lantelmum Valentinensem episcopum non norunt qui Præsulum ejusdem Ecclesiæ catalogum contexere. Nec etiam præfatum Robertum Diensem ad præsentem annum in vivis fuisse scierunt. Quod præterea probamus ex donatione quam mense Februario cartusiæ Vallis S. Mariæ fecit, laudantibus et approbantibus Jarentone decano, Arbeto sacrista, Petro Pineti (Majoris Cartusiæ benefactore), Humberto de Borna, Helia procuratore, Aymone, Philippo, Humberto de Sancto Boneto canonicis ejusdem Ecclesiæ, Guillelmo Priore Sancti Medardi, et aliis.

Ex archiv. Cart. Vall. S. Mariæ.

HENRICUS II REX ANGLIÆ MORITUR.

IV. Hoc pariter anno, Henricus secundus Anglorum rex, cartusiarum Ligeti et Withamiæ fundator et Majoris Cartusiæ benefactor singularis, cum se a Francorum Rege bello peti et a filiis Richardo et Joanne cum maxima exercitus sui

parte derelictum videret, pace cum Franco iniquis conditionibus inita, nimioque dolore ob filiorum perfidiam absorptus in febrem incidit, et apud Chinonem obiit sexta die Julii, sepultus in celebri Fontis Ebrardi parthenio. Præter præfatas Ordinis nostri Domos, multa alia monasteria aut construxit aut restauravit. Unde Gussanvilla in Notis ad Epistolas Petri Blesensis piissimum Regem non dubitavit illum appellare, ejus laudes ac virtutes satis fuse ibidem commemorans. Quod etiam prolixe ante eum fecerat Smitheus in *Anglicanæ Historiæ Floribus*. Baronius quoque scribit eum decessisse pœnitentem, christiano more confessione peccatorum facta.

ANNUS 1189

Radulph. ad hunc ann. et sequent.

In ejus locum major natu filiorum Richardus successit, consecratus mense Septembri ; qui videns S. Hugonis constantiam, et quod paratus esset mori potius quam ipsi contra justitiam ulla in re consentire, in eum factus est aliquando iniquior, nec propterea pari honore ut quondam ejus pater Virum sanctum prosecutus est, licet in ejus præsentia fere nunquam durus et asper fuerit. Sed de his multa annis sequentibus occurrent dicenda. Ut autem Deus beati Episcopi magnanimitatem sibi esse gratissimam ostenderet, multa per eum, dum adhuc viveret, in eximiæ illius sanctitatis argumentum edidit miracula, quæ in ejus gestis sic enarrantur :

Richardus ejus filius succedit.

Surius, in ejus Vita.

V. « Sub silentio prætereundum non est, quod cum pius pontifex Hugo in die Parasceves ad fabricam matricis ecclesiæ Lincolniensis, quam nobiliter a fundamentis extruxerat, lapides et cœmentum humeris ferret in quodam cophino sicut pluries consueverat, debilis quidam ex utraque parte claudus duobus baculis suffultus, tantam Viri sancti humilitatem considerans et admirans, totis viribus desiderare cœpit eumdem cophinum deferre et collo suo applicare, sperans quod per merita tantæ benignitatis ipsius Pontificis sanitatem esset recepturus. Tandem a Magistro operis obtinuit eumdem cophinum sibi præstari, in quo lapides et cœmenta duobus innixus baculis deferre cœpit ; elapsis vero aliquot diebus unum dimisit baculum, deinde et alterum, postque modicum tempus sanus et erectus eumdem cophinum portabat ad opus

S. HUGO VIVENS MIRACULIS CLARET.

Lib. 3. cap. 15 vitæ ms.

Claudus sanatur.

ANNUS 1189

fabricæ consuetum, nullo adjutus baculi adminiculo. Qui multo tempore sanus postmodum vixit, et cophinum suum adeo dilexit ut a se separari nullatenus sustineret.

Dæmoniacus liberatur.

« Circa illud tempus accidit in civitate Lincolniensi quod civis quidam in tantam incidit amentiam, ut ad ejus custodiam octo viri fuerint deputati. Qui in vinculis detentus tanto vexabatur furore, ut et uxorem suam et liberos proprios dentibus conaretur laniare. Tandem de consilio cujusdam boni Viri consanguinei ipsius in quadam biga ligatus, ductus est ad ecclesiam Cathedralem, ubi sanctus Episcopus morabatur, ut per merita beati viri a prædicta dementia liberari mereretur. Quem cum vidisset sanctus Episcopus ad se adductum, statim eum aspersit aqua benedicta et spiritum malignum adjuravit ut ab eo exiret ipsumque ulterius non vexaret. Æger vero in terram cecidit morienti similis, super quem Vir Deo plenus aquam effudit benedictam in quantitate magna, statimque surrexit sanus qui tam miserabiliter prius ægrotavit, et manus ligatas in cœlum extendens in hæc verba prorupit : Deus gratias tibi ago, et tibi bone Episcope, manus ligatas ad eum extendens. Qui solutus a vinculis sanus rediit, ulterius a dæmonio non vexatus.

Duo pueri sanantur.

« Quædam etiam matrona Lincolniæ duos habuit filios, quorum alter cum adhuc puer esset in dextro latere longo tempore tumorem habuit grandem, de cujus salute mater desperans sanctum Episcopum adiit et ut eum benediceret petiit. Sanctus autem Episcopus illi super locum affectum manus posuit, benedixit et dimisit. Deinceps vero ita sedatus est tumor, ut ab illo tempore nec mater eum viderit nec puerum molestaverit. Contigit tempore alio ut alter ejusdem matronæ filius, patiens hectericiam periclitaretur. Illa prioris memor beneficii ac refugii, etiam hunc beato Hugoni præsentavit benedicendum, acceptaque puer benedictione infra triduum pristinæ sanitati est restitutus.

Puer deglutitam laminam ferream evomit.

« Accidit autem quodam tempore, quod circa gregis curam venerandus antistes Hugo vigilans, parochias suas peragraret. Devenit ad quamdam villam Alkemini de Beri nomine,

ubi parentes cujusdam pueri, puerum ipsum pene exanimem deferentes, ejus postulaverunt auxilium lacrymabiliter. Requisiti vero quid quærerent, respondens mater pueri sollicita materna pietate de dolore filii magis anxia dixit : Parvulus iste puer noster partem cujusdam laminæ ferreæ lucentem et acutam, habentem in longitudine plus quam unum pollicem, manu recepit et more puerorum ad os tulit; quæ intro lapsa gutturi firmiter adhæsit. Cumque de casu miserabili inconsolabiliter dolerem videns filium quem genueram de vita periclitari, patruus ejusdem pueri consolari me nisus est dicens : Non morietur filius tuus, in somnis enim revelatum est mihi quod in brevi quidam sanctus Vir per villam istam est transiturus, qui ipsum est curaturus. Misit ergo te huc Dominus, Pater sancte, ut filium nostrum in ultimo vitæ articulo positum, jam vix palpitantem nobis vivum restituas. Quem recipiens Episcopus, tangens guttur benedixit, insufflavit, et crucis signaculo signavit ac dimisit. Qui cum recessisset ab Episcopo, ferrum sanguinolentum a gutture et ore pueri exilivit, et sanatus est puer ex illa hora. » Hæc Acta. Viget etiamnum apud Gallos hæc devotio, ut languentes pueri gratia sanitatis S. Hugoni soleant commendari. « Sed et frequentissime adhuc, inquit Sutor, per hujus mirabilis Viri sanctissima merita, Dominus mira ostendere dignatur. Nam ut cætera taceam, in Vallis viridis cartusia, quæ ad muros Parisienses sita est, imago quædam est ad quam languentes infantuli passim gestati sanitatem recipiunt. » Nec solum eos sanitatis recuperandæ gratia ad se sinebat venire, « sed ut erat, inquit idem autor anonymus, simplicitatis et munditiæ præcipuus amator et custos, eos propterea miro excolebat affectu. Unde etiam infantuli plurimi, quos sæpe amplectebatur, visi sunt supra naturæ facultatem extensis brachiolis ei adjocari. » Cujus rei quædam exempla idem autor affert, quæ ne prolixiores simus, consulto præterimus. « Sed cum intelligentiæ annos attigerant, ab illa familiaritate eos arcebat ne insolescerent. » Deinde postquam narravit quomodo multi juvenes beati Viri adhortationibus ad bonam frugem

ANNUS 1189

Pueri languentes etiamnum S. Hugoni commendantur.

Sut. lib. 2. tract. 3. cap. 5

Eadem Vita ms. lib. 3. cap. 14. et lib. 4. cap. 1. 2 et 3.

ANNUS
1189

S. HUGONIS CHARITAS ERGA LEPROSOS.

conversi vitam monasticam inierint, mira de illius erga leprosos charitate sic recenset :

VI. « Quantam vero ægrotantibus curam, quantam etiam lepræ tabe laborantibus benignitatem impenderit, quis digne commemoret? His nimirum pedes propriis manibus diluens et extergens osculisque demulcens, nummos insuper cibo refectis et potum largiri consueverat. Faciebat hoc secretius coram paucis arbitris in camera sua tredecim personis, cum tot inveniri potuissent in locis ubi ipse interfuisset. Consuevit etiam domos Leprosorum, per quas transitum faciebat, ingredi ; et cum eo jubente viri fuissent a mulieribus separati, omnes viros leprosos quantumcumque deformes osculari solebat. Videns autem hanc humilitatem egregius Willelmus quondam Lincolniensis Ecclesiæ cancellarius, vir utique valde literatus et bonus, voluit experiri utrum propter excellentiam operis elatio tangeret animum Viri justi, dixitque ei : Martinus leprosum osculo sanavit ; vos leprosos quos osculamini non sanatis. Episcopus autem respondit : Osculum Martini carnem leprosi sanavit ; osculum vero leprosi animam meam sanat. Erant præterea in quibusdam fundis episcopii ejus matriculæ in quibus non pauci ejus morbi incommodo detenti, tam viri quam fœminæ, sustentabantur. His præter assignatos a suis prædecessoribus reditus, varia in multis rebus cum omni diligentia subsidia conferebat. Frequenter quoque ad eos in propria accedens persona, ac cum paucissimis adhærentibus viris timoratis et devotis, medius inter illos in cella residens secretiori, verbis optimis horum relevabat animos. Sicut autem eorum doloribus materna quodammodo lenitate blandiens, et ad spem retributionis æternæ desolatos temporaliter afflictosque extollens, morumque bonorum documenta suavitate mira interserebat verbis consolationis : ita, si quid de eis reprehensibile percepisset, ne in posterum admitteretur, suadebat ut eos admissi vehementius pœniteret, et ulterius ad admittenda audacia seu voluntas nulla eis remaneret. Ante vero exhortationis eloquia, semotis interim jussu ejus fœminis, mares sigillatim circuiens

exosculabatur, singulis se inclinans, et quos cerneret atrocius jam tabe confectos, diutius ac suavius complexans. Parce, Jesu bone, infelici animæ ista referentis. Etenim sciebas (quod lateat ultionem tuam) quanto mihi fuerit horrori tumidas et lividas, saniosas et deformatas, oculis eversis aut effossis labiisque absumptis, facies non quominus attingere sed vel eminus respicere. Lippienti quippe præ superbia, oculo interiori non fulgebat in sterquilinio margarita Dei. Verum servus tuus, cujus plenissime oculos avertisti ne viderent exteriorem vanitatem, internam plenius capiebat claritatem. Unde ipsi ornatiores videbantur, qui infectiorem forinsecus præferebant vanitatem. Idcirco tales prædicabat esse felices, tales Paradisi flores, et præclaras coronæ Regis æterni margaritas esse dicebat. Hos fiducialiter et secure expectare Salvatorem memorabat Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis eorum configuratum corporis claritatis suæ ; cum e diverso formidolosi expectent sublimem affuturum Judicem, qui modo de corporis specie gloriantes, illius refugiunt humilitatis et munditiæ conformitatem per mentis elationem. Agens vero seorsum cum familiaribus suis de tanta Salvatoris nostri clementia, qui miserrimos quosque in vita præsenti toties ore divino beatificat in evangelio suo, nunc Lazarum inducendo ulcerosum in sinum Abrahæ ab Angelis perductum, nunc seipsum cum infirmis asserendo infirmum, mira cum dulcedine omnium autorem dulcedinum attollebat. O, inquit, quam felices erant, qui Viro adeo dulci familiarius adhærebant ! Quantum mihi dulce foret eum quæcumque ipse seu pedibus calcasset, seu qualibet corporis sui parte contigisset vel manibus attrectasset, osculis lambere, oculis apponere ; intimis etiam, si fieri potuisset, visceribus inferre ! Quid dicam de humore superfluo (si quid tamen fas est superfluum dicere quod fluxerat de unguine* vitæ), quid, inquam, de humore illo sentiam, quem forte de vasculo tantæ benedictionis effundi ratione infirmitatis contingebat ? Certe non solum si daretur facultas illum diligentius colligerem, sed omni nectare dulcius illum haurirem

ANNUS 1189

*Al. inguine.

ANNUS 1189

labiis, faucibus imbiberem, et abditis viscerum præcordiis illum reconderem. Quam vero miseri sunt, qui aliud quidquam timent, quam adeo dulcem offendere? Quam gemendi sunt, qui aliud quidquam dulce reputant aliudve expetunt, quam sic dulci dulciter adhærere, dulciter parere! Nescio quid jam possit amarum sentire, qui dulcis hujus dulcedinem jugi didicit meditatione interno cordis palato dulciter ruminare. Hæc Vir sanctus de cœlesti vulnerum nostrorum medico sentiens, hæc dicens, hæc etiam quæ præmisimus de membris illius infirmantibus proferens, hæc illis impendens, evidenter satis exprimebat quanto interius ferveret igne divinæ pariter et fraternæ dilectionis. Qui etiam in commune quibusdam indigentibus largiebatur eleemosynas, ut præter illa quæ multis specialibus ex causis, nunc interpellatus, nunc ipse voces præveniens necessitatem patientibus, secretius erogabat. Annuas omnium rerum suarum obventiones usque ad tertiæ partis æstimationem, sub certa constitutione in opera expendisse non dubitetur misericordiæ. »

PIETAS ILLIUS CIRCA SEPULTURAM MORTUORUM.

VII. De singulari ejus cura et sollicitudine erga mortuorum sepulturam multa refert idem autor, quibus fit compertissimum tam in novo quam in veteri Testamento vix quemquam posse reperiri in hoc studio et officio humanitatis illi parem. Sic igitur prosequitur : « Generali siquidem inhibitione statuerat ne in villis ubi ipse præsens fuisset, sacerdos parochianus quemlibet defunctum ætatis præsertim adultæ, sepulturæ traderet, nisi forte aliquo obstante incommodo, illo id exequi non valente, de sua hoc ipsum permissione adimpleret. De adultis vero id præcipue volebat observari, quod iis, si laudabiliter vixissent, propensiorem sciebat deberi honorificentiam; sin autem vitam duxissent culpabilem, noverat eos uberiorem desiderare interventionis instantiam. Ibat igitur passim ad universos, eis ut mos exigit ecclesiasticus summa cum alacritate [obsequium] exhibens; pauperibus luminaria vel cætera in funeribus desiderata, per Eleemosynarium suum abundanter subministrari procurans. Si quando dum iter ageret, funus in quodlibet cæmeterium, ut humari deberet, perla-

Lib. 5. cap. 1.

Edicto prohibet adultos sepeliri, ni prius moneatur.

Pauperibus erogat sumptus sepulturæ.

tum conspiceret, confestim equo descendebat. Ad feretrum vero accedens et aliquantisper orans, si non haberet librum competentem in quo inoffense legeret, cum jam circa dierum extrema aliquid soliti acuminis oculis ipsius deperisset, junctus presbytero exequias celebranti psalmos cum eo decantabat, et Collectas inchoanti vel complenti *Amen* vel alia respondendo, vicem Clerici, ne dixerimus idiotæ, adimplebat. Si non defuisset codex idoneus, quod sacerdotis erat prosequebatur, orationes pronuncians, aquam benedictam aspergens, thuribulum circumferens, superjaciens terram ac reliqua illius officii sollicite complens. Postquæ, absolutionem cum benedictione adjungens, iter cœptum peracturus abibat. Plerumque autem in magnis existens urbibus, dum ad unum quemlibet sepeliendum processisset, nuntiabantur alii atque alii passim per diversas ecclesias sepeliendi, qui cum alacritate universos adibat, universis sigillatim debitum sepeliendi officium devote impendens. Nec prius (quotlibet isti fuissent) a tantæ humanitatis munere desistebat, quam nullum superesse qui sepeliretur agnovisset.

ANNUS 1189

Vide humilitatem et laborem ejus.

« Querebantur nonnunquam et murmurabant potentes quilibet viri cum eo pariter comesturi, quod cum hæc diutius ageret, hora prandii jam diu præteriret. Verum ille nunquam, seu ipse hos invitasset seu ab iis ipse esset ad prandium invitatus, sive hujus rei sive alterius cujuscumque obtentu negotii, hujus omittebat pietatis opus exercere, dum ubi exerceret, reperire potuisset. Sed parum est quod referimus de minoribus personis. Constat enim quod a Regibus invitatus ad mensam, idem effecerit. Nam et posterius apud Rothomagum a Rege Richardo, et prius olim ab ejus genitore Henrico rogatus ad convescendum, tamdiu distulit ad palatium venire, quamdiu in urbe reperiret quos potuisset sepelire. Unde Regem utrumque cum optimatibus, vel tota simul regali familia, in longum compulit jejunia protelare, dum religiosum officium, nec per aulicos accersitus, contemplatione dignitatis seu voluntatis humanæ, nullatenus acquieverit omittere. Urgentibus vero ministris Curiæ ut accelleraret ad

Reges ipsos posthabet mortuis sepeliendis.

ANNUS
1189

Mira ejus libertas.

Regem, expectantem et moras ægre ferentem, quantocyus ; ille nihil festinantius agens aiebat : Non opus est ut nos expectet, vescatur in nomine Domini. Suis quoque familiaribus dicebat : Expedit enim ut Rex terrenus absque nobis prandeat, quam mandatum æterni Regis humilitas nostra inexpletum relinquat. Hinc fortassis animadverti licet divinitus ei non immerito fuisse retributum, ut qui duos Reges ob pauperum sepulturam neglexerat, ipse demum in funeris sui obsequium, cum viris sublimibus multis, Reges duos adunatos haberet. Verum hoc suo loco inferius plenius dicturi, interim cœpta prosequamur.

DE QUODAM PAUPERE SECUS VIAM TUMULATO.

Ubi supra cap. 2.

VIII. « Quoniam hæc apud Rothomagum Normanorum Metropolim gesta, nec tamen a nobis visa sed veraciter audita retulimus, libet ut in re simili quid in eadem Provincia ipsi ab eodem actum viderimus, breviter absolvamus. Die igitur quadam, iter agente servo Dei, contigit eum non longe a castro quod Argenteum appellatur, tumulum recens sepulti humani, ut videbatur, cadaveris circa publicum aggerem cominus prospexisse. Quo diligentius notato confestim substitit, mittensque protinus ad ruricolas eminus aratro humum proscindentes, didicit cujusdam humunculi ostiatim pridem mendicantis alimoniam ibidem bustum contineri. Defunctus namque ibidem egenus in pauperis cujusdam rus incolentis domo, et a Presbytero illius parochiæ ob inediam neglectus, eo loco sepulturam accepit, dum a quo portaretur ad cœmeterium non habuit. Quo Vir piissimus audito, altius ingemuit, moxque in pedes ab equo descendens, accepto quem secum habebat codice, orationes cum psalmis quos recitari usus instituit sepulturæ, diligenter pro eo ac devote percurrit. Postea vero Episcopo loci orando suggessit quatenus in sacerdotem illum durius animadverteret, qui homini Christiano propter illius inopiam, sepulturam negaverat Christianam. Vidimus alio tempore, cum apud Lincolniam in crastino Natalis Domini de glorioso Christi protomartyre Stephano Missam devotissime celebrasset, ut rogaretur a quodam cæmentario qui in fabrica ecclesiæ desudabat, quatenus fratris

Inhumanitas parochi avari.

Proficiscitur ad funus cæmentarii.

sui animam nocte præcedenti rebus humanis exemptam, autoritate Pontificali a peccatis absolveret Dominoque devotione peculiari commendaret. Quod statim adimplens, inquirere cœpit utrum ejus corpusculum adhuc inhumatum fuisset; quod in remotiori ecclesia nondum sepultum audiens servari, jussit mox unum sibi, alium suo Capellano, tertium famulo qui ante eum æquitare consueverat, caballum adduci. Decreverat enim cum his tantum tribus ad funus accedere. Sed cum defuisset equus Capellano, caballum servientis jussit eum conscendere, et illum præeundo ad destinatum locum quantocyus properare. Sicque duobus contentus equis, uno solummodo monacho et duobus pueris comitatus pervenit ad corpus defuncti, quo terræ matris gremio paterna sollicitudine commendato, quinque deinde ipsa die, si nos memoria non fallit, in diversis successive cœmeteriis sepelivit funera per ipsorum sibi amicos designata. Cum jam vero hora se tardior protraheret, ipseque cum Cleri parte non modica ab Archidiacono Bedefordensi ad prandium invitatus ad epulas solemnes, differret venire, rogatus est a multis, et ab ipsis tandem qui suum ei mortuum nunciaverant, quatenus pro defuncti anima tantisper orando et absolutionis suffragium porrigendo, eam Creatori commendaret, et ad fatigatos jam pro diuturna expectatione convivas saltem post moras longissimas venire ulterius non tardaret. Qui sibi ista suggerentibus non sine cujusdam reprehensionis asperitate respondit : Et quare, inquiens, vocem Domini nostri ore sacro loquentis non attenditis ? Meus cibus est, inquit, ut faciam voluntatem Patris mei qui in cœlis est. Nec plura locutus, intermisso instar sancti Tobiæ prandio, maluit, ut monuit Salomon, ire ad domum luctus quam ad domum convivii. Ivit igitur, plurimumque ex sanctitatis suæ præsentia lugentes consolatur, eum sepeliens qui lugebatur, et a luctu, ut pie creditur, Christo miserante, absolvit.

ANNUS 1189

Sex una die sepelit.

Vox Episcopo digna.

Joann. 4 34.

Eccles. 7. 3.

IX. « Quodam iterum tempore, Londonias ad generale Concilium et colloquium accersitis Prælatis et Proceribus Angliæ, Lincolniensis Episcopus eo pariter advenit. Angebant quo-

QUEMDAM ABBATEM AB AMICIS DERELICTUM SEPELIT.

ANNUS 1189

que illum urgentissima Ecclesiæ negotia super quibus erat cum amicis suis, qui ad locum accesserant, necessario tractaturus. Proxima vero die, quæ statutum conventus illius præcessit diem, quemdam ex Prælatis qui convenerant subita præveniri contigit ægritudine, quam mox citato vitæ terminavit fine; hic a multis ferebatur quod fuisset gulæ illecebris plusquam satis obnoxius, et in potatione superflua nimis assiduus. Cujus decessu audito, licet ei parum notus extitisset, intimæ nihilominus pietatis visceribus condoluit, et pro eo ad Dominum suppliciter intercessit. Protinus enim explorari jussit quonam loco vel a quibus personis idem deberet sepeliri. Renunciatur vero ei quod in ecclesia Domini et Salvatoris nostri apud Veremundesseyam foret humandus, sed nullus Episcoporum sive Abbatum ejus crederetur exequias celebraturus. Nemo enim vicinorum, aut familiarium seu charorum illi quondam Prælatorum, deesse volebat sive audebat solemni Conventui, qui in die sepulturæ illius apud Westmonasterium debuit adunari. Quod sanctus Episcopus audiens : Nolit Deus, inquit, quod talis persona, tot modo in hac pariter urbe consistentibus Prælatis, in hac suprema necessitate deseratur ab omnibus nobis. Non ita faciemus proximo nostro, nec enim hoc sibi quis fieri vellet ab alio.

Aulam propterea et conventum generalem deserit.

« Disposito itaque ut quosdam ex suis mitteret ad Curiam, qui et suam interim excusarent absentiam, mane facto perrexit ad exhibendam defuncto sepulturam : ubi die ipsa, si ea quæ visu, si quæ olfactu hausimus, in medium proferamus, horrorem sane et stuporem audientibus inferemus; in nosque aliquorum indignatio concitabitur, asserentium quod inhumane cladis humanæ sortisque moribundæ ærumnam communem, quam ibi conspeximus, publicis auribus ingeramus. Cæterum quia ex his narrationis susceptæ portio magna dependet, nostramque in his potius deflemus miseriam quam alienæ calamitati (quod Deus avertat) aliquatenus insultamus; audiatur ad omnium utilitatem quod dicimus, sit notum viventibus ad utilitatis profectum quod innotuit in defuncto ad horroris cumulum ; sit quandoque extinguendis

ANNUS 1189

ad virtutis æmulationem, id etiam quod nimis circa defunctum (cui propitietur Deus) ad intuentium exhibuit stuporem. Visum est igitur jacens in feretro cadaver extinctum, more quidem quorumdam Prælatorum vultu nudatum, sed supra carbonem denigratum ; erat sane corpus reliquum alba sacerdotali, sed et casula indutum, sed præ tumore nimio eis vix inclusum. Nam dum adhuc dudum vegetabatur spiritu, ita grossitie vehementi tumebat ut vix spirare poterat. Jam vero postquam expiraverat, adeo interna sanies, et torridæ æstatis ignea intemperies distendebat exanimem, ut cernentibus prodigiosum videretur. Verum quod in luminibus patebat tolerabile fuisset, si suo nares supplicio carere potuissent. Cæteri quoque quos feretro interdum rei ordo proximare poscebat, nares thure immisso aliisve aromatibus sibi præcludebant, manibus quoque suave fragrantium quiddam ori sæpius apponebant. Solus autem Episcopus sanctus, quo certe nullus inveniretur nare sagacior, nullius tetri odoris aspernatior, ita horum tamen nihil admittens quæ levare seu arcere solent aeris corruptelam, ita, inquam, jacenti assistebat, ita et obambulabat, ac si non in feretro sed in cunis agentem mater parvulum suum fovendo circuiret. Post hæc cum ad suum se contulisset hospitium, quidam ex suis formidantes ne forte ex inspirato aeris contagio noxium quid præcordiis ejus insedisset, super hoc illum interrogare cœperunt ; quos ille reputabat errare, nec quidquam eos insuave ibidem hausisse, cum ipsemet, quo nullus eorum subtiliori vigebat odoratu, nil triste spirans in loco sensisset. Christi nimirum bonus odor qui sibi revera fuit odor vitæ in vitam, ipsum faciebat mortis putorem penitus non sentire.

Cadaveris putorem spernit.

X. « Die sequenti cum venisset ad Curiam, gravi cœpit pulsari calumnia per Comitem Leycestriæ, qui pagum optimum eidem urbi contiguum Episcopo nostro nitebatur auferre. Suggerebant enim Episcopo amici et Consiliarii ipsius, quatenus cum adversario sub pacis forma transigeret, proponentes multa esse suæ, quamvis justæ, causæ admodum formidanda. Qui pertinaciam Comitis atque insolentiam nimium

EJUS CONSTANTIA MINIS POTENTUM CONCUTI NON POTEST.

ANNUS 1189

aspernatus, omnibus consiliariis suis cum assertionis magnæ fiducia dixit : Sciatis pro certo quod me in hac luce superstite, iste nullatenus hujus suæ intentionis pravæ sortietur effectum. Habeat sibi ad suæ suorumque damnationis cumulum, guerræ* quodam tempore, extorta violenter instrumenta chartarum. Nos enim patrimonium Dominæ nostræ tuitioni meæ traditum, ipsa juvante, dum advixerimus integrum retinebimus et in nullo penitus diminutum. Cujusmodi assertio plerisque tunc viris prudentibus minus considerate videbatur emissa, cum et colorem æquitatis præferret actio impetentis, et tam Regis quam pene totius Curiæ favor in Comitis crederetur vota concurrere. Prævaluit tamen Viri Dei sermo, cogitatum suum plenissime jactantis in Domino. De quo etiam illud pluribus mirum videbatur quod nunquam, more celeberrimo fori laicalis, ubi lites illæ agitabantur, se per internuntium de impossibilitate in judicium comparendi voluit excusare, quantocumque urgeretur discrimine ex litigantium improbitate ; ne vel speciem mendacii videretur incurrisse.

* Belli.

Prævalet contra comitem Licestriæ.

Post ejus vero decessum Comes quidem pagum quem petebat obtinuit, sed incontinenti lepræ contagione percussus, mox corporis valetudine et in brevi post etiam vita carens, absque liberis decessit. Ante cujus obitum, cum fratrem ipsius, Episcopum scilicet S. Andreæ de Scotia, plurimi conarentur in Cathedra Viri Dei, qui jam pridem ad Dominum migraverat, subrogare, visum est quadam nocte per soporem nobili cuidam religiosæ matronæ quod prædictum Dei famulum B. Hugonem cerneret Pontificem memoratum, ambitionis æstu succensum, dum suum niteretur conscendere thronum virga pastorali durius percussisse sub pectore ; ita ut qui ictum susceperat, videretur resupinus in terram corruisse. Facto mane cum illa somnium enarrasset, ecce adsunt qui mortem Pontificis illius non sine stupore audientium palam nuntiant. Horum igitur adeo illustrium, adeo floribus hujus mundi vernantium, tam abjectus tam repentinus interitus, quid aliud hoc scientibus innuit, quam jura Ecclesia-

Prævaluit etiam mortuus

Episcopum ambitiosum a sede sua repellere visus est post obitum suum.

ANNUS 1189

rum evertere servosque Domini injuste lacessere, supra modum exitiosum esse ?

CARTUSIENSES E DOMO GYRIENSI AB EPISCOPO EXPELLUNTUR.

XI. Circa hæc tempora Theodorus Colnitzius episcopus Gurcensis, expulsis e Gyriensi monasterio Cartusiensibus quos multis prius exagitaverat vexationibus, alios alterius Ordinis, ut habent literæ restitutionis anno 1209 exscribendæ, in eorum locum intrusit. Odo, expulsorum Prior, ad Romanam Curiam de illatis ab Episcopo injuriis querelas detulit quidem, sed desperata monasterii restitutione, dum ad Casularum cartusiam suæ professionis Domum revertitur, ab Aduhiza Talacosiensis monasterii abbatissa detentus, ibidem jubente Clemente tertio fixum cogitur ponere domicilium, ubi et sanctissime decessit. Hæc omnia constant ex instrumento inquisitionis pro ejus canonizatione factæ. Ibi enim legitur quod Oderizius archipresbyter, juratus et interrogatus de vita et conversatione, actibus, obitu et miraculis illius beati Patris Odonis, dixit « se audivisse et vidisse beatum Odonem de cujus vita et miraculis quæritur, senem presbyterum in habitu monachali venientem a Romana Curia, ut dicebat. Interrogatus quot annorum poterat esse, dixit quod credebat eum esse quasi centum annorum. Interrogatus qualiter sciret quod esset presbyter ; dixit quod cum declinasset ad monasterium SS. Cosmæ et Damiani dictus B. Odo, vidit eum ipse testis Missam ibi plures celebrare. Dixit etiam idem testis, quod dicto monasterio tunc præerat quædam Abbatissa valde senex et Deo devota, nomine Aduhissa ; quæ cernens hominem esse venerandæ senectutis, eum benigne suscepit ; et cum quæreretur ab eo quis esset et unde veniret, dixit se esse monachum de Ordine Cartusiensi et venire a Romana Curia pro facto monasterii sui ; terram nativitatis suæ dixit esse Novarriam, monasterium cui præfuerat dixit quod erat in Sclavonia de civitate Jaderæ, cui renunciaverat in manu Papæ Clementis felicis memoriæ, pro eo quod oppressionem quæ fiebat ei per Diœcesanum non poterat sustinere, nec pro monasterio ipso a Domino Papa impetrare potuerat quæ credebat. Qui cum per dies aliquot moraretur

Odo eorum Prior apud quasdam Moniales se recipit.

ANNUS 1189

in dicto monasterio SS. Cosmæ et Damiani, et recreatus a labore inde vellet recedere, Abbatissa prædicta videns virum totum servitio divino deditum, cœpit rogare illum ut a loco illo non discederet, promittens ei facere omnem habilitatem qualiter posset in ipso loco Domino deservire. Qui cum negaret instanter dicens se non posse extra monasterium permanere, dicta Abbatissa promisit ei super hoc a Papa licentiam impetrare. Interrogatus qualiter sciret prædicta : dixit quod vidit, audivit et interfuit. Dixit insuper idem testis quod dicta Abbatissa misit ad Dominum Papam, cujus erat consanguinea, nobilem virum Bernardum de Taliacozo nepotem suum, et idem Beato Odoni remanendi et commorandi ibidem licentiam a D. Papa Clemente impetravit : quas literas dixit idem testis se vidisse et legi audivisse. Tenorem vero literarum illarum propter longum tempus non recordabatur. Interrogatus si erant sigillatæ illæ literæ, dixit quod erant sigillatæ sigillo plumbeo. Interrogatus de forma sigilli, dixit quod non recordabatur propter longum tempus. Interrogatus de tempore, dixit quod erant plus quadraginta anni tempore Domini Papæ Clementis. Interrogatus quantum plus, dixit quod non recordabatur. Dixit etiam idem testis quod post hæc, dicta Abbatissa fecit eidem B. Odoni fieri quamdam parvulam cellulam in latere monasterii, ubi fecit sibi vir sanctus lectum de sarmentis et frascis, in quo jacebat cilicio semper indutus ; et nunquam a cellula illa exibat nisi cum ibat ad ecclesiam orationis causa ; et jejuniis et vigiliis plurimis corpus suum commacerans, orationibus continuis ; et omnes euntes ad eum monebat et animabat in bono, quia homo valde literatus erat. Et sic in eodem monasterio usque ad ætatem decrepitam permanens carnem non comedit, sed feliciter migravit ad Dominum. Interrogatus qualiter sciret prædicta, dixit quod vidit, audivit et interfuit supradictis, quia erat proximus ei. » Hæc ibi. Quæ vero subjiciuntur de morte Odonis et illius miraculis prosequemur anno 1200.

JESU CHRISTI

ANNUS 1190.

Clementis PP. III Ann. 3.	Ord. Cartus. Ann. 107.	Jancelini P. Cart. Ann. 11.

I. MILLESIMO centesimo nonagesimo salutis anno, Indictione octava, Clemens Pontifex tres bullas in gratiam tam Majoris Cartusiæ quam totius Ordinis concessit. Primæ bullæ tenore Matrem Cartusiam cum omnibus illius bonis sub protectione ponit Apostolica, prohibetque ne quis exigat ab ejus monachis novas vel indebitas exactiones ; aliaque beneficia quæ ante biennium contulerat, renovat atque confirmat. Eodem etiam die, qui fuit 8 Idus Junii hujus anni, alteram bullam scripsit ad omnes Prælatos, quos hortatur ad Cartusienses defendendos contra quoscumque ipsorum Domos molestantes. Altera die tertiam dat bullam, qua prohibet ne quis Nostrum, sine consensu et voluntate Capituli Domus suæ vel majoris et sanioris partis, licentia pateat appellandi. Ac præterea jubet omnes Capituli generalis Institutiones ab omnibus irrefragabiliter observari, etiamsi omnium Domorum Priores Comitiis adesse nequiverint.

CLEMENS III PRIVILEGIUM CONCEDIT DOMUI CARTUSIÆ.

II. Hoc anno Richardus rex Angliæ ad instantiam, ut verisimile est, S. Hugonis Lincolniensis, eleemosynam a patre suo Henrico Majori Cartusiæ ante quinquennium factam confirmavit, scriptis literis quas ex ipso autographo excerptas subjicimus :

RICHARDUS REX ANGL. CONFIRMAT PATRIS DONATIONES.

« Ric. Dei gratia rex Angliæ, dux Normanniæ et Aquitaniæ, comes Andegavi, Archiepiscopis, Episcopis, etc. Salutem.

ANNUS 1190

Sciatis nos pro salute nostra et antecessorum et successorum nostrorum concessisse, et præsenti Charta confirmasse, Deo et Priori et Fratribus de Chartusa 50 marcas argenti recipiendas singulis annis ad Scaccarium nostrum Angliæ, etc. ; quas Dominus rex Henricus, pater noster, eis dedit et confirmavit ad eosdem terminos percipiendas. Quare volumus et firmiter præcipimus quod idem Prior et Fratres de Chartosa habeant in perpetua et libera eleemosyna quinquaginta marcas argenti, etc. Testibus W. archiepiscopo Rothomag., G. Wintoniensi episcopo, Willelmo filio Rad. senescallo Normanniæ, Willelmo de Humetz constabulario. Datum per manum Joannis de Alencon, archidiaconi Lexoviensis, vicecancellarii ; 18 die Martii, apud Rothomagum, regni nostri anno primo. »

Eamdem donationem iterum confirmavit anno 1235 Henricus III, Joannis regis filius.

ENGELBERTUS OLIM CABILONENSIS EPISC. ADEST TREVIRENSIS ARCHIEPISCOPI CONSECRATIONI.

III. Vacante ab annis duobus sede Trevirensi, cum Joannes, ex Henrici regis Cancellario Germaniæ creatus Antistes, apud Clementem Papam pro consecratione et Pallio instaret, totum hoc negotium Guillelmo Remensi archiepiscopo demandatum est. Sed hic regni Franciæ administratione occupatus, ne huic debito deesse videretur, pro se præposuit Philippum Coloniensem archiepiscopum, Engelbertum Priorem cartusiæ Montis Dei olim Cabilonensem, et Bertrannum Metensem episcopos. Ad hoc igitur imperium noster Engelbertus Treviros profectus, præfatum Joannem in archiepiscopum consecravit, et pretiosis ab Episcopis, suis in hoc negotio collegis, donatus Reliquiis, per Hannoniam rediens Lobiumque profectus multas etiam reliquias inde asportavit, quarum partem Valli S. Petri largitus est. Hujus rei testimonium perhibet vetus membrana in hujus Domus Reliquiarum capsulis reperta, sed post illius mortem exarata, quæ sic habet :

« Quia certum est res humanas facile de memoria mortalium, nisi paginis imprimantur, aboleri, universis tam præsentibus quam futuris significamus, qualiter scilicet piæ memoriæ Dominus Engelbertus quondam Cabilonensis episcopus,

spontanea humilitate et apostolica concessione episcopatui resignans, ad incolendam cellam Montis Dei tanquam verus pauper Christi divertitur, retento ex præcepto et autoritate Domini Papæ Pontificali officio. Et quia illis diebus Fratres Montis Dei Priorem non habebant, ipsum jam dictum Episcopum, licet plurimum renitentem et reluctantem, Prioratus administrationem subire pia importunitate coegerunt. Qui aliquantis postea evolutis annis, a Domino Willelmo Remorum archiepiscopo et Apostolicæ Sedis Legato, ut Archiepiscopo Coloniensi et Episcopo Metensi in consecrando Trevirorum Archiepiscopo suffragaretur, ad eamdem civitatem transmittitur. Expletis autem consecrationis solemniis, cum a Coloniensi et Trevirensi Archiepiscopis Reliquias aliquas Sanctorum quæsisset, Coloniensis dedit plurimas de Collegio sacro undecim millium Virginum, et de gloriosa Legione Thebæorum. Trevirensis vero dedit de Sanctis, videlicet, Chrysanto et Daria, Felice et Justo. Ab aliis autem personis datæ sunt Reliquiæ de camisia Beatæ Virginis Mariæ, de S. Benedicto, de S. Cornelio, de S. Amando episcopo, de S. Medardo episcopo, de S. Wlgiso episcopo, de S. Theodulpho archiepiscopo, de S. Amuluino episcopo, de S. Ermino episcopo, de S. Amelberga. Pretiosas autem margaritas istas in duabus capsellis supradictus Prior divisit, in una earum reverenter manu propria collocans Virgines, in altera vero Martyres et Confessores; anno scilicet ab Incarnatione 1190, regnante Philippo Francorum Rege, Domino Willelmo archiepiscopatum Remorum tenente. »

ANNUS 1190

Cum vero Engelbertus suæ Domus ecclesiam SS. Reliquiis, et Domum bonis plurimis, et Fratres suos bene vivendi exemplis summopere ditasset, plenus dierum in senectute bona obiit (sive in Prioratu sive extra non constat) circa annum 1202, die 3 Februarii, juxta hujus Domus Necrologium necnon S. Remigii Abbatiæ, ubi signatur Idibus Februarii.

ARTALDUS BELLICENSIS EPISCOPUS DIGNITATE ABDICATA ITERUM FIT SOLITARIUS.

IV. Ecce vidimus Engelbertum ex monacho Cartusiensi electum episcopum, et ex episcopo iterum factum monachum in Monte Dei. Nec illud in eo rarum fuit exemplum, quod jam

ANNUS 1190

non semel in aliis Præsulibus ex Ordine Cartusiensi assumptis mirati sumus. Hanc enim prærogativam habet solitudo, ut sicut inquietos monachos e sinu suo evomit, ita et sanctos quos aliquando sibi abstrahi invite patitur, semper ad suos blande retrahit amplexus. Piis hujusmodi illecebris inescatus B. Artaldus episcopus Bellicensis, ad cartusiæ Arveriensis solitudinem, unde eum assumptum vidimus, hoc præsenti anno remeavit ibidem moriturus post sexdecim annos. Artaldo successit quidam Oddo, et paulo post Bernardus et ipse Cartusiensis monachus. Sanctus quoque Hugo Lincolniensis episcopus a singulis Romanis Pontificibus qui ejus tempore Ecclesiæ præfuerunt, licentiam se abdicandi episcopatu importune sæpissime tentavit obtinere; sed repulsam semper passus, ad monasterium suum Withamiense, suo desiderio qualitercumque satisfacturus, semel ut minimum singulis annis se conferre solebat. Qualem vero se præberet in hac solitudine, quantosque inde quæstus referret tum pro se tum pro aliis, audiamus ex illius Actis.

S. HUGO SÆPE APUD WITTAMIAM SE RECIPIT.

Vita ms. lib. 4. c. 9.

V. « Ad suam vero Witamiam singulis propemodum annis, semel aut bis secedere Vir sanctus consueverat. Qui licet ubicumque locorum constitutus, perfecte rem nominis exprimeret Jacob et Israel, hic tamen liberius dilectæ suæ fovebatur amplexibus, et uberius pascebatur decore formosæ Rachelis perfectiusque dulcedine fruebatur. Hic tædiosæ declinabat Liæ lippitudinem, hic quasi Eliæ et Henoch jungeretur contubernio, turbines mundi tranquillitate Paradisi se mutasse gaudebat. Cœtus namque gemini consistentium ibi Monachorum et Conversorum, quasi duos illos prætendere videbantur justitiæ atque innocentiæ præcones, quos hactenus de communi morte mundi omnipotentia Conditoris noscitur exemisse. Hi nempe, sicut et illi, præ cæteris pene mortalibus serene, tranquille et secure perfruuntur vitæ quodammodo cœlestis suavitate. Inter medios istarum sortium Domini cleros dormiens, ejusdem vineæ Domini Sabaoth in partibus illis plantator primus inebriebatur ab ubertate Domus Domini, sed minime derisus a Cham, colebatur a Sem

ANNUS 1190

et Japhet. Et quidem verecundiora sua detegebat eis, a quibus abluta et detersa velabantur vestigia pallio confessionis geminæ, si quo fœdabantur pulvere mundanæ conversationis. Sic quoque tenacius custodiebat vestimenta sua ne vel ad modicum in qualibet sui parte nudus ambularet, quo ejus quantulacumque turpitudo divinis, sive Angelicis aut etiam humanis conspectibus appareret. Sciebat namque, juxta Apostolum, spectaculum se factum huic mundo et Angelis et hominibus, et Dominum scrutari Jerusalem in lucernis. Erant vero ibi plurimi probabiles trapezitæ, qui librarent atque examinarent et judicarent secum figuram et pondus et metallum eorum quæ tractabat dominicorum talentorum, ne quid minus purum aut legitimum inveniri potuisset.

Manet privatus in cella.

« Manebat more aliorum in cella solitaria, quæ semper ei absque habitatore vacua servabatur ; in qua meditabatur et orabat, reficiebatur cibo et somnum capiebat. Inde ad publicum quandoque, ut salutaret adventantes et sibi loqui cupientes, progrediens, cœlestibus quodammodo radiis ex consortio sermonis Domini cornutam gerere faciem diligenter intuentibus videbatur, quam miri cujusdam leporis communitate totiusque suavitate dulcedinis palliabat, ac colloquentibus sibi frontem contemperabat. Interea ex abundantia cordis loquebatur os ejus, eratque sermo ejus in corde audientibus musto comparabilis, ignitus videlicet et dulcis, quippe quem introduxerat Rex in cellam vinariam, qui juxta ordinatam in eo divinitus charitatem, omnibus propinabat, pro sui status exigentia, doctrinæ salutaris poculum, melle quidem cœlestis sapientiæ conditum, sed discretionis libamine temperatum. Nam laicis atque secularibus angelicæ illius vitæ statum collaudantibus, et de suæ mundanæ vitæ impedimentis conquerentibus, quos tamen nec velle nec posse sciret ad perfectiora instituta vivendi transire, hujusmodi præferebat instructionem. Haud solum, inquit, monachi, sed nec eremitæ tantummodo atque solitarii consequuntur Regnum Dei. Denique cum unumquemque judicabit Dominus, nequaquam id expostulabit quod eremita non fuerit

Facies ejus radiis micat.

ANNUS
1190

quisque aut monachus ; sed hoc potius cuique exprobrabitur quod minime extiterit veraciter Christianus, etc.

AD ASPECTUM SOLITUDINIS LÆTUS APPARET.

Ubi supra cap. 10.

VI. « Ne forte cuiquam minus credibile videatur hoc quod de spiritali quadam vultus ipsius claritate in eo relucente, cum egrederetur de cella sua, supra tetigimus, aliud quiddam satis de eo suis familiaribus notum, de multis sæpe non absque stupore et admiratione notatum, veracissime huic narrationi duximus breviter inserendum. Quotiescumque enim a longinquis partibus ad illam sibi dilectam tendebat solitudinem, mox ut a remotis finitimam ejus ingrediebatur regionem, nitor quidam insolitus colore decenter rubicundo superfusus genas ejus cum facie tota vestire consuevit. Ipse quoque intima cordis sui, ad primum loci illius conspectum, ineffabili quadam jucunditate spiritualis gaudii sentiebat perfundi, quod suis familiaribus sæpissime fatebatur. Quo jam consistente apud Withamiam, tantam in eo omnium sensuum innovationem superna efficiebat gratia, ut subito intus similiter et extra renovari videretur sicut aquilæ juventus sua.

Cultus et vestitus ejus.

** Intus instructum.*

Deposito quidem pallio exterius quo utebatur in publico, quod ex nigro vel subrufo panno candidis erat agnorum pellibus suffuraturatum*, pelles induebat arietinas non panni tegmine coopertas. Cilicio, ut semper, tegebatur ad nudum. Hinc tunicam in medio superinduto velabat pellicio. Ejus lectisternia hæc erant : sagum, cervical et pelles. Mane cum manus de more ablueret, ut ministro nullo, ita nullo utebatur manutergio.

Missam quotidie celebrat.

Missam devotissime, duobus contentus ministris, Sacrista scilicet loci et suo Capellano, quotidie celebrabat ; annulo Pontificali excepto, in reliquis sacerdotalibus indumentis a consuetudine Cartusiensium in nullo penitus differebat. Utuntur enim alba et amictu, stola, fanone atque planeta, planis et candidis, nec ornatis serico nec aurifrisio seu gemmis.

Quis victus illius.

« Diebus Dominicis post cœnam, cum cæteris Monachis ad ostium refectorii cum silentio et gravitate procedebat, ubi panis unus singulis ad totius hebdomadæ victum a Fratre interius existente præbebatur. Sæpe tamen de licentia Prioris,

ex cophino sive ex arca qua micæ condebantur a Fratrum cellis seu a refectorio collectæ, crustulas duriores et minutias fragmentorum præ ariditate jam torridas propriis manibus colligebat, non quod suus ei panis non sufficeret, sed superabundaret; sed hæc dicebat sapidiora sibi quam solidum panem videri. Revera quidem benedictionibus condita justorum, gratius sano ejus palato sapiebant. Scutellas, non modo quibus ei pulmenta fuissent ministrata, sed quas fortuitu illotas alicubi reperisset, delectabiliter gaudebat abluere. Tanta eas diligentia manibus digitisque nitidissimis interius exteriusque defricans et poliens, ac si calicem Domini tunc se tractare putaret. At verendum nobis est ne minima de Viro tanto hæc diutius referentes, gravioris censuram lectoris offendamus. Quæ tamen prudens lector eo minus pro minimis reputabit, quo majoris fuisse humilitatis sagaciter advertet, quod tantus sacerdos hæc minima et extrema tam solerter implevit. » Et post pauca : « Et ipse quidem omni tempore semel in hebdomada, id est die sabbathi, purissimæ confessionis lavacrum frequentabat. Quod de traditione inviolabili Ordinis sui exequens, nullatenus omittebat ; quin etiam crebrius hoc ageret. Mox enim ut aliquis ex quocumque facto, dicto, cogitatu, scrupulus præter solitum ejus animo subortus fuisset ; frequenter quoque iterata innumeris vicibus confessione, quicquid ab infantia invenisset se delicti commisisse, Domino revelare ejusque vicario cui confitebatur, oratione veniam obtinere satageret. Quasi vero minus esset quidquid totius anni tempore alias fecisset, tunc in auribus discretissimis venerabilium virorum Dei cum ingenti cordis contritione id agere impensius curabat ; indesinenter conquerens quod bona, si quæ ex dono Dei in se essent, ex suo reatu fieret quod pura satis non proderent ; mala vero sua, non aliud quam pura mala fuissent. »

ANNUS 1190

Scutellas abluit.

Semel in Hebdomada peccata confitetur.

VII. Circa eadem tempora obiit Guigo episcopus Augustensis, ex Priore cartusiæ Majorevi electus circa annum 1185 ; sed videtur statim post electionem abdicasse et in amicam solitudinem se recepisse. Nam in plerisque ejusdem Ecclesiæ

GUIGO EPISCOPUS AUGUSTENSIS IN CARTUSIA MAJOREVI MORITUR.

ANNUS 1190

Episcoporum Catalogis ejus memoria desideratur, et juxta Sammarthanos Walpertus ibidem sedebat annis 1186 et 1188. Constat tamen ex certissimis autoritatibus eum ad hanc Sedem evocatum fuisse e Prioratu Domus Majorevi, quam regebat annis 1176, 1178 et 1180. In literis fundationis Domus Allionis quas dedimus anno 1181, vidimus Humbertum fundatorem, territorium Ordini Cartusiensi contulisse « per manum Domini Guigonis venerabilis Augustensis episcopi tunc temporis Prioris Majorevi, cui præcordialiter adhærebat. » Et Pontius de Conflans ejusdem Domus benefactor, concessit quamdam terram « in præsentia D. Guigonis Augustensis episcopi. » Literæ hujus donationis sunt sine anno, sed anno 1185, in literis concordiæ inter abbatiam Bonævallis et Majorem Cartusiam, legimus eas datas fuisse decimo Calendas Junii, « in præsentia Guigonis Augustensis episcopi ». Verum dubitari posset an possessionem unquam Ecclesiæ suæ inierit, cum in quodam instrumento scripto eodem anno 1185 in die Assumptionis, quod habetur inter probationes *Historiæ Bressiæ et Bugesii,* inter testes idem Hugo nominetur, diciturque tantum « Prior Majorevi, electus Augustensis. » In quodam *Indiculo Virorum sanctitate illustrium Ordinis Cartusiensis* dicitur obiisse hoc præsenti anno in solitudine.

JESU CHRISTI

ANNUS 1191.

Cœlestini PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 108.	Ann. 12.

I. SEQUITUR annus Christi millesimus centesimus nonagesimus primus, Indictione nona, quo Clementi, Papæ quarto Idus Aprilis defuncto successit Cœlestinus tertius ætatis plane decrepitæ. Hic audiens totam Angliam, absente Rege in Terram Sanctam pergente, perturbari a fratribus Regis qui Willelmum Eliensem episcopum Regis cancellarium et vicarium Sedisque Apostolicæ Legatum e regno expellere tentabant, sancto Hugoni Cartusiensi et quibusdam aliis Episcopis causam commisit. Scriptis igitur ad universum Clerum Pontificiis Literis, mandavit quatenus vinculis excommunicationis astringeret prædictos Regis fratres, scilicet Joannem comitem Moretonii et Gaufredum electum Eboracensem archiepiscopum. At nullo Pontificis mandatum exequi audente, Cancellarius sciens nostrum Hugonem justitiæ zelantissimum, ejus autoritatem his interpellavit Litteris :

S. HUGO A PAPA DELIGITUR AD SEDANDOS ANGLIÆ MOTUS.

Baronius ad hunc. an.

« Willelmus, Dei Gratia Eliensis Episcopus et Apostolicæ Sedis Legatus et domini Regis Cancellarius, venerabili Fratri et amico charissimo Hugoni eadem gratia Lincolniensi episcopo, salutem et sinceræ dilectionis affectum. Quanto de dilectione vestra pleniorem fiduciam tenemus majoremque constantiam in vobis invenimus, tanto confidentius discretioni vestræ Ecclesiæ Dei negotia et domini Regis et nostra committimus exequenda, confidentes in Domino de vobis quod

Rogerius in Annal.

ANNUS 1191

præceptis Apostolicis et nostris vestra Charitas pontificaliter respondebit : mandamus igitur vobis et in virtute obedientiæ et ea qua fungimur autoritate præcipimus, quatenus ad exequendum mandatum Apostolicum universis Archiepiscopis et Episcopis Angliæ destinatum, ut cum cæteris Fratribus nostris omnibus vel quibusdam cito conveniatis, ne diutius in Ecclesia Dei et sacerdotibus ejus Laicalis iniquitas malignetur, ne tergiversatione vel simulatione aliqua illorum malignitas nobis debeat imputari. Ea vero quæ Dominus Papa mandavit de persona Joannis comitis Moretonii temperavimus, differentes usque ad Dominicam qua cantatur *Esto mihi;* ut si forte interim resipiscere vellet, nos inde Deo gratias redderemus, et pro eo in conspectu Domini Papæ et Domini Regis Angliæ athletæ Crucifixi preces funderemus affectuosas, ut delicti sui veniam mereretur et modis omnibus honori et commodo ejus, salva fidelitate Domini Regis et honestate sacerdotii nostri, operam adhiberemus et diligentiam efficacem. In terris autem excommunicatorum, nulla divina celebrari permittatis præter baptisma parvulorum et pœnitentias. Nomina autem eorum qui a Domino Papa excommunicati sunt et a nobis denunciata, quorum factum ita evidentia facti notorium sit quod nulla possunt tergiversatione inficiari, hæc sunt : Walterus Rothomagensis archiepiscopus, etc. » Deinde plures Episcopos et Nobiles recenset, tandemque sic epistolam concludit : « Prohibeatis etiam universis in vestra diœcesi constitutis, sub interminatione anathematis, ne pro illis qui se in Anglia justitiarios gerunt, nec in aliquo violentæ et usurpatæ obediant potestati. Valete. »

SUAM DIŒCESIM LUSTRAT ET REFORMAT.

Bromton in Chron.

II. Similiter idem Cancellarius quibusdam aliis Episcopis Angliæ, quibus magis confidebat, scripsit. Sed nullus eorum, ut asserit Joannes Bromton, Domini Papæ nec Eliensis Episcopi mandata executus est. Interea noster Hugo ministerium suum implens, diœcesim suam lustrabat, collapsam ubique disciplinam, sed maxime in Religiosis familiis in integrum restituere satagebat, multis propterea editis salubribus constitutionibus, quarum quædam extant apud *Monasti-*

cum Anglicanum in literis quas de hac re scribi curavit ; in quibus inter cætera hæc nostris Statutis similia voluit observari a Monialibus Nuncotunensis abbatiæ : ANNUS 1191

« Omnibus Christi fidelibus ad quos præsens scriptum perveniet, H. Dei gratia Lincolniæ episcopus, salutem in Domino. Cum ad Congregationem ancillarum Christi de Cotun, causa visitationis ex officii nostri debito faciendo accederemus, ad ea quæ didicimus ibidem corrigenda remedium studuimus adhibere. Advertentes igitur multitudinem Monialium ampliorem quam sustinere valeant illius domus facultates, habita deliberatione, statuimus cum consensu Magistri, Priorissæ et Conventus, quod Congregatio Monialium de cætero triginta trium numerum non excedat, Sororum numerus sub denario concludatur, duodecim fratres Conversi ad officia ruralia sint ibidem exercenda. Magister Capellanus cum duobus Capellanis tantum, ad divina deputentur adimplenda. Nulli vero Religionis habitus in eadem domo tribuatur, donec minutus fuerit præsens conventus ad numerum prætaxatum, nisi propter manifestam domus utilitatem, et hoc ex speciali licentia Diœcesani. Sigillum domus sub custodia Magistri, Priorissæ, et Monialium ad hoc specialiter electæ, cujus Religio fuerit et discretio approbata, sub clavi triplici reservetur ; nec aliquod scriptum inde signetur sine conscientia totius Capituli vel majoris vel sanioris partis ejusdem. . . . . Et quoniam abdicatio proprietatis professioni Religiosorum est annexa, firmiter inhibuimus ne quis vel qua in eadem domo, post susceptum Religionis habitum, aliquid proprium habere præsumat, sed sint eis omnia communia. Eodem etiam pane tam Moniales, Capellani, Fratres et Sorores quam hospites vescantur et potum habeant eumdem, excepto quod infirmorum necessitati prout opportunum fuerit delicatius provideatur. Quia vero per frequentiam secularium quies Religiosorum turbari solet, prohibuimus ne vir vel mulier recipiatur in habitu seculari moram facturus in domo memorata, nisi forsan hospitalitatis gratia quis ibi pernoctaverit. Item ne quis vel qua sive secu-

ANNUS 1191

laris persona sive Religiosæ professionis aliunde veniens, cum sola Moniali solus vel sola loquatur, sed honesto testimonio tali quod sinistra suspicione careat, et cum licentia secundum Regulam suam ab his quæ præsunt obtenta. Præterea quia Religiosis, et maxime in sexu muliebri, discurrere vel vagari modis omnibus est inhonestum, constituimus ne Soror vel Monialis apud grangiam moretur causa nutrimentorum animalium vel alia qualibet occasione. Moniales etiam causa visitandi proximos aut parentes nullatenus extra mittantur, ex earum sola voluntate vel levi qualibet occasione, nec tandem ullo modo sine Magistri et Priorissæ licentia speciali et maxima ac cognita necessitate. Quia simoniaca pravitas plures in errorem et interitum adduxit, animarum saluti providere volentes, districte prohibuimus ne vir vel mulier pro pecunia vel re qualibet temporali recipiatur unquam ibidem ex pacto. Sub anathematis interminatione præcipientes quod omnia præmissa salubriter a nobis constituta, firmiter ab omnibus utriusque sexus in eadem domo serventur in perpetuum. »

CORPUS CUJUSDAM PELLICIS IN ECCLESIA SEPULTUM EFFODI JUBET ET IN CŒMETERIUM TRANSFERRI.

Rogerius de Howeden et Joann. Bromt. ubi supra.

III. Hæc omnia, usibus apud nostras Moniales semper observatis, imo et ipsis sacris Canonibus recte consentiunt. In hac Visitatione facinus fecit Hugo viro Apostolico plane dignum quod Historici Angli, et post eos Baronius, ad hunc annum referunt. « Cum igitur magnam partem episcopatus sui visitasset, demum ad abbatiam Monialium de Godestowe, quæ est inter Oxoniam et Modestac, pervenit, ubi ecclesiam intrans cum ante magnum altare prolixius orasset, vidit ibi quoddam sepulchrum ante altare, panno serico coopertum et cereos circumstantes cum lampadibus ardentibus, quod a prædictis Monialibus in magna reverentia habebatur. Qui a circumstantibus petiit cujus esset sepulchrum illud, et responderunt ei quod illud erat sepulchrum Rosamundæ, quam Henricus Rex Angliæ filius Mathildis Imperatricis tantum dilexerat ; et quod ille pro ejus amore domum illam, quæ prius erat pauper et mendicans, multis et magnis reditibus ditaverat et nobilibus ædificiis decoraverat, ac reditus magnos ad lumen illud indeficiens circa sepulchrum illud invenien-

dum eidem ecclesiæ contulerat. Quibus Episcopus ait : Tollite eam hinc quia scortum fuit, et amor ille qui inter Regem et illam fuit, illicitus erat et adulterinus. Sepelite eam cum aliis mortuis extra ecclesiam ne Christiana Religio vilescat, ut exemplo illius cæteræ mulieres exterritæ, ab illicitis adulterinis concubitibus sibi caveant. Et illi fecerunt sicut præceperat eis Episcopus, et tollentes eam extra ecclesiam humaverunt. » Sed quid mirum, addit Baronius, si hæc in mortuam Regis pellicem egerit, qui nec parceret viventi Regi quem pro ecclesiastica vindicanda libertate redarguere minime prætermisit ?

ANNUS 1191

Post visitationum suarum labores, in Domum suam Withamiensem Vir sanctus aliquam ab fatigatione recreationem recepturus secedere consueverat, ubi priori solitudinis captus dulcedine ab ea nunquam recessisset, si a Summis Pontificibus, ut diximus anno præterito, licentiam abdicandi potuisset obtinere. Hi vero non solum petitionem ejus rejiciebant, sed nuntios et fautores hujus rei durius objurgantes cum minis remittebant, vetabantque deinceps hujusmodi literas ad Apostolicam Sedem deferre. Graviora quoque totius Provinciæ negotia ei expedienda delegabant. Singularem namque gratiam a Domino acceperat justum ab injusto discernendi, ita ut peritissimi Jureconsulti dicerent cum admiratione nunquam se talem virum reperisse in decidendis etiam difficillimis subtilissimisque causis, quamvis ille nunquam hujusmodi praxim didicerat. Gaudebant omnes qui causas justas ad ejus judicium afferebant, certi nimirum quod nec ignavia seduci nec muneribus aut minis corrumpi vel frangi posset.

Baronius ad hunc annum.

IV. Spiritus quoque Sanctus, qui hoc ei contulerat donum, sermonem illius atque sententias confirmabat sequentibus signis. Nam cum rebelles quosdam et contumaces Satanæ tradidisset in interitum carnis, subito non comparuerunt. Hujus rei varia recensentur exempla in ejus Actis quæ concisiori stylo sic a Surio narrantur : « Miles quidam propter quoddam mendacium ab Episcopo sancto reprehensus, cum admonitionem ejus parvipenderet nec se emendare vellet, mox

AB EO EXCOMMUNICATI MISERE PEREUNT.

ANNUS 1191

ab illo excommunicatus est. Usurpabat enim sibi bona quædam quæ incitante eum uxore quod prolem legitimam non haberet, a veris hæredibus per simulationem alienare consenserat. Tremenda res ! invasit eum diabolus nocte sequenti, extorquens subito animam mendacem. Alius quidam in eodem scelere ei succedens, cum lætus et temulentus lecto exciperetur, sopori mortem socians etiam misere extinctus est. Forestarius quidam, propter facinus plexus anathemate, Viri Dei sententiam non metuens, intra paucos dies horribili morte decessit e vita. Quidam Diaconus, livore impellente, militem quemdam nequiter accusans de crimine regiæ proditionis, Hugonis sententia ob spem emendationis percussus, cum peccatum suum non modo non vellet agnoscere sed etiam ab Archiepiscopo absolutionem impetrasset, rediensque ad Virum sanctum, purgationis, ut putabat, suæ chirographum secum afferret, rursum, non obstante mandato, ab illo excommunicatus est. Ut autem Dominus ostenderet utrius sententiam approbaret, Diaconum horrendum in modum percussit, nec eum diutius vivere passus est. Adolescentula quædam cum impudenter spueret in faciem sponsi sui præsente sancto Episcopo, nec veniam petere vellet, a diabolo præfocata expiravit. »

Hactenus Baronius ex Surio. Sed nunc præstat ex ipsismet Actis primoribus subjicere quanta fuerit devotione erga reverendissimum Altaris Sacramentum ; unde et pandetur ratio cur vulgo depingatur sacerdotalibus indutus vestimentis, præ manibus calicem tenens et elevans cum effigie infantis supereminentis.

APPROBAT PRETIOSA ECCLESIARUM ORNAMENTA.

Lib. 5. c. 3.

V. « Die quadam, consistente Episcopo in manerio juris sui quod Borredena nuncupatur, venerunt ad illum quidam monachi portantes ei ad benedicendum vestes sacerdotales, et calicem unum valde pretiosum. Episcopus a sepultura cujusdam servientis Laurentii Bedefordensis archidiaconi in ecclesiam venerat, sacra Missarum solemnia celebraturus (erat vero sabbatum, quo semper die si vacabat, de beata Dei Genitrice Maria tam diurnum quam nocturnum officium

solebat celebrare), ad eum quoque sub die illo plures undique confluxerunt Clerici ecclesiasticis redditibus admodum ditati. Illis ergo jam in ecclesia præsentibus, calicem jam superius memoratum in manibus, ut eum consecraret, nudatum tenebat; quem cernens metallo, amplitudine et artificio satis conspicuum, ipse ab altari in Chorum detulit, omnibus Clericis præfatis eum exhibens considerandum, devotam virorum Religiosorum circa divini ministerii et cultum et vasa collaudabat solertiam. Illis e contrario improperabat quod multis ecclesiarum redditibus opulenti, ipsas nec libris nec vasis sed nec aliis rebus necessariis convenienter excolerent, sed iis omnibus egenas basilicas Christi spoliare magis quam ornare satagerent.

ANNUS 1191

Singulis Sabbatis Missam et officium B. V. Mariæ facit.

« Post hæc ingressus ad altare Missam devotissime exorsus est celebrare : cumque cæteris peractis pervenisset ad eum locum ubi elevatam in altum hostiam benedicere moris est, mox in verum Christi Corpus mystica sanctificatione convertendam, cujusdam clerici oculos superna clementia dignata est aperire, eique in specie infantis parvuli Christum suum demonstravit mundissimis digitis sacri Præsulis reverentissime contrectari. Erat vero idem puer forma quidem permodicus, sed divino quodam nitore atque candore supra æstimationem hominis nimium decorus. Clericus qui hæc viderat, mira devotione (nec mirum) succensus plurimumque compunctus, tempus omne continuavit in lacrymis quod intercessit ab illa elevatione usquequo interim eam levari cerneret et sumendam sub trina sui partitione. In qua rursum elevatione, sub eadem qua prius imagine, natum intuetur de Virgine filium Altissimi seipsum offerentem Deo Patri pro humana salute. Post hæc, jam expletis omnibus quæ in ecclesia jam fuerant peragenda, clericus qui jam ista conspexerat, accedens ad verum Domini sacerdotem taliter ei secretius est allocutus : Domine Pater, vobis, inquit, habeo aliqua referre, quæ vestram si placet sanctitatem diligentius audire oportet. Cumque flexis genibus ista coram eo esset prosecutus, Vir Domini cum eo secedens a turba seorsum secus altare

Inter ipsius celebrantis manus species pueri Jesu apparet.

Hostia elevatur.

ANNUS 1191

resedit, eique proferre quæ voluisset leniter imperavit. Tunc ille: In crastino, inquit, festivitatis Omnium Sanctorum quæ hac ipsa septimana celebrata est, cum psalterium in quadam ecclesia decantarem pro animabus fidelium defunctorum, sicut ipsa die solemnis exhiberi eorum memoria solet, vox quædam subito auribus meis illapsa est quæ verbis absolutissimis diceret :

Status ecclesiæ Anglicanæ cuidam clerico revelatur.

Sacerdotum et rectorum ecclesiarum vitia.

« Surge, fili, et perge ad Lincolniensem Episcopum, dicesque ei ex parte Dei, quatenus moneat diligentius Cantuariensem Archiepiscopum, ut pariter secum solito vigilantius intendat ad corrigendum statum cleri et ecclesiarum. Nimis enim offenditur divina Majestas per ea quæ indesinenter fiunt a rectoribus ecclesiarum et eorum ministris. Sacerdotes enim et aliorum graduum personæ, omni vitiorum genere, maxime autem luxuriæ sordibus fœdati, sacramentis divinis ex indigno accessu injuriosi existentes, ea irreverenter sumendo atque tractando, quantum in se est, polluere non verentur. Ipsæ ecclesiæ indignis et Deo ob perditos mores invisis passim ad regendum traduntur personis, a quibus, more sæcularium prædiorum, aliis atque aliis relinquuntur ad firmum, quod emphytheosim alii nuncupant, utque viles tabernæ, sic ecclesiæ turpis lucri gratia sub annuo censu locantur ad quæstum. Iis personis de curis animarum, de indigentibus sustentandis ex fructibus Ecclesiæ, nullus est sermo ; sed de farciendis crumenis, ut eas luxus evacuet vel avaritia solummodo ærugini contingendas includat, tota indesinenter aviditate inhiare non cessant. Hæc et similia Rectorum vitia in regendos contagiosa æmulatione transfusa, omnium fere tam minorum quam majorum præcordiis dominantur. Hinc grandis furor et ira Dei imminet tam populo quam universis habitatoribus terræ hujus. Hinc festinum inferetur exitium genti huic miseræ, si non anticipet accelerata correptio jam jam imminens flagellum cœlestis vindictæ.

« His dictis vox quæ audiebatur siluit. Ego siquidem priusquam hæc audirem, jam psalterio excurso usque ad centesimum primum psalmum, flexis genibus coram altari sanctæ

Dei genitricis in orationem animum vehementer intenderam. Oborta namque in mente mea repente fuit memoria patris mei ante non multos annos in terra Jerosolymitana, quo religionis studio perrexerat, defuncti. Indeque tantus subito compunctionis fervor spiritum meum absorbuit, ut omissa penitus psalmodia omnique strepitu labiorum suppresso, undatim ruentibus ex oculis rivis lacrymarum, præcordialibus tantum votis Domino preces effunderem. Audita igitur hac voce quæ a proximo altari videbatur emissa, vim compunctionis quæ me totum sibi vindicaverat horror quidam stupore permixtus confestim intercidit, cœpique mecum attonitus mirari cui quis talia esset prosequendo locutus : sciebam enim neminem præter me cominus circa locum ipsum constitisse. Igitur cum post longa pavidæ cogitationis volumina, vocis autorem nullatenus nequivissem deprehendere, consignans meipsum signo salutari, intermissæ orationis studium vehementiori quam prius desiderio repetere cœpi. Nec mora, et ecce audio vocem eodem sono eisdemque syllabis, eamdem quam prius exprimere sententiam. Tunc ergo cum nec loquentis personam, nec illius cui sermo fiebat potuissem advertere, cedendum loco existimavi ; id tantum mecum reputans quod aliquid secretioris mysterii agitaretur ibi ab aliquibus quorum ego indignus existerem arcanis interesse. Adorato itaque Domino, signans mihi frontem a loco discessi.

ANNUS 1191

VI. « Cumque pervenissem ad valvas ecclesiæ, occurrit mihi virgo quædam religiosa valde, quæ Domino in jejuniis et orationibus, in frigore et nuditate diu noctuque deserviens, ab eadem ecclesia rarissime, ab ejus vero atriis nunquam pene recedebat. Hæc, dum a me prædicta audirentur in remoto ecclesiæ angulo, solitis vacabat orationibus; quæ genibus meis advoluta rogabat instantius quatenus, si fieri posset, sibi aliqua ex iis quæ interius, ut asserebat, mihi dicta cognoverat, communicare studerem. Sed qui nescius eram adhuc cui jam dicta essent quæ audieram, illam vice versa potius duxi exorandam, ut ipsa quæ me esset dignior audire et nosse interna mysteria, revelare dignaretur mihi quod de vocis cœ-

QUÆDAM RELIGIOSA VIRGO ASSIDUE IN ECCLESIA ORANS EADEM AUDIT.

ANNUS 1191

litus, ut ipsa fatebatur, emissæ sententia ego minime advertissem. Ad hæc illa : Scio equidem bis factum a Domino sermonem tibi, aliqua præcipientem quæ ego quidem minus adverti, sed quod ea tibi præciperentur certius intellexi. Cui ego : Ora, inquam, soror in Christo dilecta, quatenus circa nos beneplacitum Dominus adimplere dignetur. A talibus vero quæ modo prosequeris, ego certitudinem nullam accepi. His a me dictis ecclesiam ipse egredior, illa ad consueta orationum suarum latibula introrsus regreditur.

Eadem etiam tertio eidem clerico revelantur.

« Post hæc cubiculum hospitii mei ingressus, ibidem usque ad vesperam diem in orationibus jejunus exegi ; qui tandem lectulo exceptus, dum variis æstuaret animus horum gratia quæ præmisi cogitationum fluctibus, vocem repente audivi id ipsum jam tertio quod primo et secundo intulerat replicantem ; hac cum præmissa insinuatione, unde mihi constaret quod ad me sermonem haberet. Ait namque : Tibi dico, fili, qui præsens quiescis ; perge quam celerrime ad venerabilem Episcopum Lincolniensem, eique ex parte Dei omnipotentis, hæc omnia quæ tibi jam in ecclesia secundo præcepi, nuntiare non differas. Cui statim ita respondi : Et quomodo vir tantæ autoritatis fidem habebit verbis meis, cum ego ætate et ratione infirmior vix quidquam ei loqui sciam ? Tunc is qui loquebatur, ad hoc respondens ita subjecit : Fidem dictis tuis indubitatam idem vir habebit, cum ei pro intersigniis ea insinuaveris, quæ super altare coram eo videbis die qua primum ad illum perveneris, et ipsum Missarum solemnia celebrantem intueberis. Non ergo differas parere eloquiis meis, sed quæ tibi præcipio devotus exequere. His dictis vox loquentis ablata est. Ego vero ad exequendum imperata plurimum animatus, modico prælibato somno de nocte surrexi, clamque sociis meis iter ad vos inquirendum ita pedibus meis assumpsi. Huc paulo ante Introitum Missæ veni, celebrantem divina sanctitatem vestram devotus observavi, intendens quoque sollicitius ad mensam Dominicam, coram vobis et in manibus vestris Corpus Domini nostri Jesu Christi sub specie infantis parvuli, bis supra calicem a vobis

ANNUS
1191

elevatum, indignis licet, evidenter conspexi oculis. Quod vero idipsum et vos multo perspicacius, quia et diutius et vicinius et dignius, perspexistis non est ambigendum.

HUGO NON NEGAT SE VIDISSE QUOD CLERICUS VIDIT.

VII. Hæc igitur clericus ille fluentibus per genas lacrymis est prosecutus. Vir quoque Domini ubertim etiam inter hæc flebat; cumque pariter aliquandiu flentes super his verba plurima conseruissent, Episcopus utriusque oculos et genas, suos videlicet et clerici illius sacris extergens digitis, osculatus est eum. Erat autem idem clericus annorum circiter viginti quinque. Præcepit itaque ei quatenus hæc reverenter celaret. Præterea diligentius eum hortari studuit, ut Religionis habitum suscipere et religiosis moribus Domino servire ex integro maturaret. Asserebat enim non esse conveniens ut qui talia vidisset et audisset, in seculi vanitate ulterius spatiari vellet. Qui statim his se libentissime monitis pariturum respondit. Post hæc aulam jam pransurus Episcopus ingreditur. Plurima igitur stipatus convivantium turba, hilaris et lætus discubuit, clericum toties memoratum non longe in area a loco sessionis suæ præcipiens simul recumbere. Qui die postera ab eodem cum benedictione dimissus et ad quemdam sibi familiarem monachum transmissus, monachus et ipse cito postea factus, religiose admodum conversatus est. Cui plurima quoque spiritualium visionum mysteria postmodum revelata certissime experti sumus. Ex quibus non pauca, literis de mandato sancti Præsulis tradita, longe lateque vulgata noscuntur; a cujus ore hæc ipsa quæ modo retulimus* frequenter audivimus, quod scilicet sanctam civitatem Jerusalem, quæ pridem nostris temporibus a Sarracenis occupata est, nostris quoque diebus miraculose ab eorum instantia, omnipotentissima Redemptoris nostri eripiet Clementia. Quod eo magis favente Domini nostri pietate confidimus adimplendum, quo jam plurima videmus impleta, quæ implenda adhuc ei didicimus fuisse similiter præostensa. Sed de iis interim dixisse sufficiat. »

Eum hortatur ad religionis habitum induendum.

Idem clericus deinceps revelationibus clarus.

*Referimus.

Prædicit Jerusalem a christianis recuperandam.

Hactenus Acta, in quorum fidem noster Bohicius dicit asservari in Domo sua Parcensi codex continens quasdam visiones

ANNUS
1191

seu revelationes eidem monacho factas, maxime illam mirabilem plane ac terribilem quam habuit de rebus futuri animarum post hanc vitam status. Cujus etiam visionis præter cæteros meminit Dionysius Rikelius in Colloquio sive Dialogo de particulari judicio animarum, articulo 23. Eam vero contigisse anno 1196 narrat codex Parcensis, cujus autor præsens fuerat, qui suum ac monachi illius nomen tacuit. Quomodo vero sanctus Præsul a Deo per præfatum clericum admonitus Archiepiscopum adhortatus est, dicemus anno 1197. Quid porro senserit de quibusdam miraculis, quæ circa idem præcipue venerandum Sacramentum contigisse referuntur, idem autor declarat his verbis :

MIRUM QUODDAM CIRCA S. ALTARIS SACRAMENTUM.

Ubi supra cap. 4.

VIII. « De vivifico autem sacramento sacrosanctæ Eucharistiæ referre quiddam non videtur incongruum, quod in Galliis accidisse multis est manifestum. Quod licet cunctorum notitia fidelium existimemus dignissimum, præsenti tamen historiæ id a nobis minime fuisset insertum, si non ad hoc inserendum illius nos urgeret sententia de re ipsa mirabiliter prolata, qui horum omnium quæ paginæ huic inseruntur materia est et causa. Hic igitur quodam tempore a Parisiensium digressus civitate, dum Trecas peteret, metatione prima hospitatus est in villa quadam *Joui* nuncupata. Moris vero illius fuit ubicumque sese hospitio excepisset, presbyterum parochialem cum ministris suis ad suam invitare mensam, verbo frequenter utens cum liberali jucunditate ad suum dapiferum quo sæpe olim usus est Dominus ad Hebræorum populum : Non deseras, inquiens, Levitas qui intra portas tuas sunt. Illius itaque loci presbyter a ministris more solito vocatus, ad mensam Episcopi venire obstinatius recusavit. Venit autem post prandium invisere eum. Venit quoque non solum ut Episcopo celeberrimæ opinionis salutationis obsequium exhiberet, sed potius ut ejus orationibus sese commendari obtineret. Venit etiam ut ei rem stupendam quæ sibi dudum contigerat de adorando Corporis Domini sacramento, et verbis exponeret et ad videndam ipsam rem sub oculis adhuc in ecclesia sua positam

S. Hugo in itinere positus parochos invitat ad mensam.

Deuter. 14. 27.

eum invitaret. Erat vero idem sacerdos jam grandævus et aspectu reverendus, corpore etiam toto non tam præ ætate quam præ abstinentiæ, ut dicebatur, rigore præmarcidus et cute ossibus insidente peraridus.

ANNUS 1191

« Qui postquam salutavit Episcopum, non potuit, præ verecundia, quod optavit illi declarare per seipsum, sed quibusdam ex suis hoc seriatim exposuit in hunc modum. Cum essem juvenis, inquit, et gradum sacerdotii nec annis nec moribus meis tanto apici digne respondentibus conscendissem, contigit insidiante hoste antiquo ut crimen quoddam mortiferum incurrissem, a cujus necdum contagio aut remedio pœnitentiæ aut confessionis lavacro mundatus ; ita ut eram et corde pollutus et corpore, mente insuper cæcus et fide infirmus, quod dictu horrendum est, ad sacri altaris ministerium impudens et temerarius accedere consuevi. Cumque die quadam sacris Missæ assisterem secretis, et criminis mei enormitatem in ipsa hostiæ salutaris consecratione mente revolverem tacita, inter alias tenebrosi pectoris cogitationes, versabam hæc mecum in corde : Putasne illius Corpus et Sanguis hic a me sordidissimo peccatore veraciter tractatur et sumitur, qui candor lucis æternæ esse describitur et speculum sine macula ?

Sacerdos cum peccato mortali celebrat.

IX. « Dum hæc et alia non minus stolida versarem in animo, perventum est ad hoc ut frangenda esset trifarie more debito hostia sacrosancta. Quam ut per medium fregi, mox cruor liquidissimus effluere cœpit, qui mediam hostiæ partem, quam manu tenebam, in carnis speciem subito conversam rubore sanguineo infecit. Quibus ego visis, totus dirigui præ timore ; et pene exsensis * effectus, perdito rationis consilio, quidquid de ipsis Sacramentis in manibus tenebam in sacrum calicem decidere permisi. Erat tunc videre ibi, quod usque in præsens cernitur, seculis omnibus stupendum miraculum : vinum scilicet in Sanguinem et panem in Carnem media sui parte conversum, rem pariter sacramenti et formam, videlicet significans et significatum sub gemina specie manifestissime præferre. Quod ut vidi has species inconvertibiliter

CRUOR A SACRA HOSTIA EFFLUIT.

Pars hostiæ caro efficitur.

* Sine sensu.

ANNUS 1191

retinere, ea penitus contingere non præsumens, calicem patena, patenam sacra palla cooperui et Missæ sacrificium percantavi. Hinc populo dimisso, calicem cum sacris quæ in eo adhuc hodie continentur, loco congruo secus altare reposui, debita reverentia custodiendum. Post hæc Summi Pontificis adivi præsentiam, rei hujus seriem, præmissa confessione reatus mei exposui; absolutionis beneficium injuncta mihi satisfactione competenti ab ipso reportavi. Ad hæc vero magnalia Dei præsentialiter contuenda, a multis huc per circuitum locis passim a fidelibus concurritur, a quibus cum summa reverentia magnificatur Dominus qui facit mirabilia solus. Hoc sancto Episcopo isti vobis cupio mediantibus intimari, ut ipse cum sociis suis in Domino valeat, cum ista perspexerit, amplius jucundari.

Hæc Hugo videre recusat.

« Hæc igitur referentes Episcopo, quibus innotuerant autore presbytero, sperabant illum non sine avida cordis devotione ad ea mox videnda processurum. Verum ille ad audita confestim ita respondit : Bene, inquit, in nomine Domini habeat sibi signa infidelitatis suæ. Quid ad nos de his ? non miramur particulares imagines hujus divini muneris, qui totum et integrum hoc cœleste sacrificium quotidie intuemur fidelissimo aspectu mentis. Intueatur exiguas illius portiunculas visu corporeo, qui totum non intuetur fidei conspectu intimo. Hæc dicens, commendantem se orationibus ejus presbyterum data benedictione abire permisit. Suorum vero curiositatem redarguens, in fidei soliditate non solum roboravit, imo certius ea quæ fides præscribit, quam ea quæ lux ista visibilis ostendit, teneri debere a fidelibus et intelligi luculentissime declaravit. Sic itaque a proposito curiosæ visionis illos coercuit, et ad excitandum devotionis aspectum* pariter et amplexum ad hæc vera et vivifica alimenta cordium, mentes audientium erudivit. Ex præmissis vero, necnon et ex aliis ejus certius verbis nobis persuasum tenemus, quod non tantum semel, ut supra ostensum est, imo et frequenter illi concessum sit, revelata hominis interioris facie, illa singulariter de hoc Sacramento visu quodam interno

* Affectum.

perspicere, quæ nobis invisibilia docemur omnes pariter fide purissima credendo retinere. »

ANNUS 1191

Non absimile miraculum eodem tempore in partibus Turingiæ accidisse narrat Baronius anno sequenti, ex *Slavorum Historia* autore Helmoldo abbate.

Baronius ad an. 1192. n. 21.

X. Eodem tempore, nimirum Richardo Anglorum rege in Syria agente, miri quiddam in Anglia accidit quod magna ex parte S. Hugonem spectat. His enim diebus in agro Bukingamensi, ut narrat Neubrigensis ex ore Stephani tunc sancti nostri Præsulis archidiaconi, quidam homo in fata concedens, per plures noctes primum uxori, deinde fratribus suis, tandemque amicis et vicinis apparens multas molestias inferebat. Pavefacti, inquit Neubrigensis, homines consilium ab ecclesia quærendum duxerunt, remque integre ad memoratum archidiaconum Stephanum, conventui sacerdotum solemniter præsidentem, cum questu mirabili detulerunt. Qui confestim venerabili Episcopo Lincolniensi, Londoniis tunc constituto, cuncta per ordinem scripto insinuans, ejus in re tam inusitata sententiam et autoritatem merito censuit expectandam. Episcopo vero stupente super hoc et habente tractatum cum suis, fuere qui dicerent talia sæpius in Anglia contigisse, et crebris clarere exemplis quietem populo dari non posse, nisi miserrimi hominis corpore effosso et concremato. Indecorum nimis atque iniquum hoc visum est venerando Pontifici, moxque chartulam absolutionis manu sua conscriptam Archidiacono dirigens, ut quomodo illius omne corpus haberet, oculata fide claresceret. Sepulchrum ejus aperiri et superposita pectori ejus eadem chartula, rursum sepulchrum claudi præcepit. Aperto ergo sepulchro, corpus ita inventum est sicut ibidem fuerat collocatum. Pontificalis vero absolutionis chartula pectori ejus apposita, et clauso sursum sepulchro, nec oberrare deinceps visus est, nec alicui molestiam ulteriorem inferre permissus. » Hæc Neubrigensis.

HOMO QUIDAM POST MORTEM SUOS INFESTANS, A S. HUGONE ABIGITUR.

Neubrig. l. 3. c. 22.

Quid vero censendum de hujusmodi apparitionibus, multa disseruntur a Petro Tyræo, et Petro Maffeio qui similem historiam suo tempore contigisse refert.

Tyr. de Locis infestis. Maff. lib. 5. Histor. Indiarum.

ANNUS 1191

REGINALDUS LUMBACH ARCHIEPISCOPUS CANTUARIENSIS MORITUR.

XI. In ipso Natali Domini festo, obiit Reginaldus Lumbach Sarisburiensis episcopus et antea Bathoniensis ab anno 1174 usque ad præsentem annum, quo invitus ac reluctans effusis etiam lacrymis Cantuariensi metropoli præfectus est. Sed paucis post diebus hanc dignitatem cum vita dimisit. Hic erga Cartusienses Witamienses fuerat propensissimus, a tempore quo Majorem Cartusiam adiit ut inde S. Hugonem in Angliam secum adduceret, ut suo loco diximus.

CARTUSIA MONTIS BENEDICTI FUNDATUR.

Prius dicta domus Lozæ.

XII. Hoc præsenti anno, Idibus Augusti, fundatur cartusia Montis Benedicti in diœcesi Taurinensi, primum erecta prope Segusium in Pedemontio, marchionatus cognominis caput, ab eo duobus millibus passuum dissita versus occidentem, juxta montem Cenesii ad Duriam fluvium, in loco Lozæ unde primum dicta est cartusia Lozæ. Sed cum ibi tuto consistere Nostri non possent, ad alium translati sunt locum dictum Mons Benedicti, cujus propterea nomen huic cartusiæ inditum est. Hunc montem obtinuerunt anno 1200, quarto Nonas junii, a quibusdam Nobilibus quorum hæc sunt nomina : Henricus vicecomes Baratoniæ, Palmerius de Regiano sive Legiano, et Bozo Corbonellus. Horum donationem a Thoma comite Lozæ fundatore approbatam confirmavit Amedeus comes anno 1233, adjectisque multis bonis stabilibus monasterium totum perfecit anno 1240. Cujus propterea nomen fundatoris sibi merito vindicavit.

Thomas Comes Sabaudiæ præcipuus fundator.

In illo monte Patres constituti, non paucis privilegiis ab Henrico Imperatore, Comitibus Sabaudiæ aliisque Principibus aucti, per tria fere secula Deo animarumque saluti inservientes permanserunt, videlicet usque ad annum 1498. Tunc enim cum multa huic cartusiæ necessaria esset reparatio, immineretque ruina ac præfocatio inevitabilis propter aquarum inundationes, et quod pejus est, locus non tutus crebris pateret hostium incursibus ; tandem Petrus Ruffi totius Ordinis moderator communi Monachorum utilitati studens, justisque eorum precibus motus, plenam cum Domini benedictione concessit potestatem transferendi se ad locum Bandæ, tribus tantum milliaribus a Monte Benedicto dissitum

Post tria secula transfertur ad locum Bandæ.

versus septentrionem, non longe ab ipso fluvio Doria. Quem quidem locum ab antiquo tempore Nostri possidebant. In mss. originibus Domorum Ordinis legimus quod jam antiquitus in eodem loco cartusia ædificata fuerat et a Nostris etiam quandoque habitata, sed postea ad extraneos devoluta, iterum denique in permutatione Montis Benedicti nobis restituta. Verum ista non de reali possessione sed tantum de translatione Montis Benedicti in Bandam esse intelligenda, probare licet ex Chartis capitularibus, in quibus reperimus hujusmodi translationem ab anno 1430 bis aut ter, quamvis incassum, fuisse tentatam. Et quidem in Charta anni 1430 sic de hujusmodi negotio sancitum est: « De licentia transferendi monasterium Montis Benedicti committitur Prioribus sancti Martini et Florentiæ, ut in suo recessu a Capitulo transitum faciant per dictam Domum et se informent de loco et facultate ; et disponant et ordinent de prædictis quod eis videbitur autoritate Cap. gen. Et Monachi non recedant attento quod agitur de mutatione loci in melius. » Sed res tunc effectu caruit. Cumque post annos 45 iterum in comitiis Ordinis proposita fuisset, Patres ibidem congregati, per Chartam « admonent Conventuales ut de his quæ scribunt de mutatione monasterii ad locum Bandæ, non amplius inquietent Cap. generale. » Nihilominus Monachis rem vehementius urgentibus, tredecim post annis Priores Papiæ, Bononiæ, Pisarum et Lucæ delegantur : « ut super translatione quam petunt Conventuales, videant oculatim monasterium et Bandam, et in futuro Capitulo referant. » Sed nihil ordinatum legimus anno sequenti, immo quinquennio post declaratur « non utile visum fuisse Capitulo generali monasterium transferre in locum de Banda, quia in solitudine et spe est fortitudo Cartusiæ, ideo omnino imponitur silentium omnibus de hac materia. »

ANNUS 1191

Ex ch. 1475.

Ex ch. 1488.

Ex ch. 1493.

Interea Franciscus de Pratis Prior hujus Domus, vir solers et audax, manum operi admoverat ; constructisque ex consensu Conventualium quinque cellulis cum ecclesia aliisque magis necessariis ædificiis, denegatam sibi ab Antonio de

ANNUS 1191

Charno ministro Generali translationem ab ejus successore Petro Ruffi tandem obtinuit, retenta tamen veteri appellatione Montis Benedicti. Ex his error eorum corrigitur qui putarunt, ut diximus, cartusiam aliquando stetisse in loco Bandæ distinctam a Monte Benedicto, cum revera una eademque sit e loco uno in alium traducta.

ET INDE APUD AVILLIANAM.

XIII. Vix centum apud Bandam Nostri exegerant annos, cum ob bella illis in partibus mota, necnon hæreticorum vicinitatem, hanc etiam stationem deserere coacti sunt. Extra muros Avillianæ, quæ est oppidum Principatus Pedemontani ad oram Doriæ fluvii, monasterium erat Ordinis Humiliatorum titulo sanctæ Trinitatis insignitum, fere dirutum et ex omni parte per bella eversum, a suis quoque monachis derelictum ab eo tempore quo eorum Ordo a Pio V Summo Pontifice extinctus fuerat, ob scelus in sanctum Carolum Borromæum attentatum. Hunc locum tanquam tutiorem ex propinquitate præfati oppidi munitionibus firmati, Patres Montis Benedicti post suæ Domus ruinam elegerunt, et instauratis ædificiis sub auspiciis serenissimi Principis Caroli Emanuelis ducis Sabaudiæ, accedente Sedis Apostolicæ consensu, in eum a Banda octo milliaribus distantem versus Taurinum sese receperunt, anno 1595, 12 Calendas Julii, servato semper antiquo nomine Montis Benedicti, ita ut in Charta anni sequentis et sequentium sic nominetur : « Domus Montis Benedicti Avillianam translata », usque dum post triginta quatuor annos ipse dux Sabaudiæ Carolus Emanuel, belli necessitate compulsus, totum illud monasterium cum ecclesia et cunctis ædificiis planam ad humum delevit ; quam jacturam plene resarcisset ni præventus morte quam eodem anno videlicet 1630 obivit, die 27 Julii.

In monasterio Humiliatorum.

Ex ch. 1596.

Eversa igitur cartusia Avilliana, in Bandam secundo Nostri omnibus rebus destituti confugere coguntur, ibi commorati usque dum novæ Domui Taurinensi tam bona hujus monasterii quam Montis Brachi incorporarentur, quod factum est anno 1641, ut fusius suo loco dicturi sumus.

Denique apud Taurinum.

TANCREDUS REX SICILIÆ BENEFACTOR EREMI S. BRUNONIS.

XIV. E Pedemontio in Calabriam calamum dirigentes, in-

venimus Guillelmum Priorem, sive Magistrum, Eremi sancti Brunonis leges ejus adhuc secutum, a Tancredo Siciliæ rege quoddam obtinuisse privilegium, cujus fragmentum noster Constantius sic descripsit : ANNUS 1191

« In nomine Dei æterni et Salvatoris nostri Jesu Christi, Amen. Tancredus divina favente clementia, etc. » Loquitur, inquit Constantius, de quadam permutatione facta cum Episcopo Squillacensi, deinde sequebatur : « Eapropter ipsi monasterio, necnon tibi fratri Guilielmo ejusdem monasterii Priori, tuisque successoribus et fratribus imperpetuum, etc. Datum in urbe felici Panormi, per manus Matthæi Regis cancellarii, anno Dominicæ Incarnationis MCXCI, mensis Madij, Indictionis nonæ, Regni nostri anno secundo. » Et hoc fuit ultimum privilegium successoribus sancti nostri Patriarchæ concessum, antequam Cistercienses hujus Eremi dominium obtinerent. Sed de his fusius anno sequenti.

JESU CHRISTI

ANNUS 1192.

Cœlestini PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 109.	Ann. 13.

CŒLESTINUS III ERGA CARTUSIENSES BENE AFFECTUS.

I. MILLESIMUS centesimus nonagesimus secundus incipit annus, Indictione decima, quo Cœlestinus Summus Pontifex circa finem anni primi Pontificatus sui, laudabilem antecessorum morem secutus, scriptis in Ordinis Cartusiensis gratiam codicillis, de illo etiam ipse statuit bene mereri.

Quidam Provinciæ Delphinatus Nobiles vicinis cartusiis infensi, clientes suos, vel seipsos vel bonorum suorum partem Ordini tradere cupientes, totis viribus adhibita etiam vi impediebant. His de malis commonitus Papa, Viennensem Archiepiscopum, et ei tanquam Metropolitæ obnoxios Episcopos, ad nostrum patrocinium suscipiendum cohortatur. « Ex conquestione, inquit, dilectorum filiorum nostrorum Prioris et Fratrum Cartusiensium, nobis est intimatum quod quidam partium vestrarum tyranni, hominibus terrarum suarum, cum non sint servi, districtius inhibent ne cum ad eorum Religionem accedunt, vel cum supremæ voluntatis ordinant testamentum, aliquid etiam mobilium, quæ rationabiliter possident, eis conferre seu testamento legare præsumant. Quod, quam sit omni humanitati contrarium, et tam Canonum quam totius Juris Civilis obviet rationi, nemo recte intelligens judicat aut ignorat. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus firmiterque præcipimus, quatenus omnibus parochianis suis unusquisque districtius inhi-

ANNUS 1192

bere procuret, ne tales eleemosynas de cætero impedire præsumant. . . . . . Datum Laterani, Calendis Aprilis. » Hanc a vicinis violentiam præsertim experti fuerant Excubienses Monachi, qui propterea a Cœlestino speciales tutelæ literas hoc anno impetravere, quibus confirmat quicquid infra eorum terminos ex libera benefactorum donatione possidebant.

PROHIBET DIŒCESANIS NE DE REBUS NOSTRIS SE INTROMITTANT.

II. Aliam mense Julio sequenti bullam dedit, qua statuta Capituli generalis confirmat, prohibetque ne ulli Nostrum pateat appellandi licentia ; estque prorsus similis bullæ quam ante biennium eam ob rem Clemens III dederat. Tertias quoque paulo post scribi jussit literas, quibus renovat ac confirmat cuncta privilegia nominatim expressa, a suis Decessoribus collata, novaque enumerat quæ lector Cartusiensis inter Privilegia Ordinis ad Statutorum Antiquorum calcem edita requirere potest. His literis quartum adjecit Pontificium diploma quo rursum approbat et confirmat Ordinis Institutiones, et prohibet ne Diœcesani se intromittant de disciplinis personarum Ordinis vel de electionibus Priorum nisi vocati, nec extorqueant a Prioribus indebitam et insolitam obedientiam, sive de obedientiis et officiis Ordinis aliquid disponant contra Statuta nostra, vel sine licentia Prioris aliquem ex Nostris de cella educant aut cum eo loquantur. Prohibet etiam ne Domos Ordinis gravent exactionibus vel oneribus, et ne quis eorum hospitetur in Domo superiori, aut in Capitulo quoquo modo usurpet officium Prioris. Hanc bullam integram eodem loco habes, datam hoc præsenti anno, quarto Idus ejusdem mensis Julii.

Cartusienses non abutuntur hujusmodi privilegiis.

Hujusmodi Summorum Pontificum exemptiones nullo modo conceduntur, nec eis utuntur Cartusienses, in detrimentum venerationis debitæ episcopali dignitati. Dum enim monasteria vel quascumque ecclesias ab Ordinariorum jurisdictione Pontifices vindicant, non est eorum mens ea avocandi a reverentia et obedientia filiali, qua omnes Christiani, ac præsertim Monachi tanquam majori perfectioni obnoxii, erga Præsules tanquam Apostolorum successores tenentur. Si

ANNUS 1192

quis igitur, vel etiam Monachus, salvo Ordine suo « dicat nolo obedire Episcopo, » audiat et timeat hanc contra se a Divo Bernardo pronunciatam sententiam : « Hoc de cœlo non est. » Porro quod ad nos Cartusienses spectat, meminisse semper debemus nostrum Ordinem ab ipsis Episcopis primum habuisse hujusmodi ab eorum foro immunitatem. Hi enim priscorum Patrum videntes et admirantes illucentem in dies virtutem et sanctitatem, eos et eorum Domos, sua potestate manuque emiserunt, ac Capitulo generali libenter ac gratis submiserunt ad vitæ Cartusiensis disciplinam securius tuendam conservandamque. Quod igitur eorum « devotio nobis largita est, illud non deturbet ambitio impatiens subjectionis. » Quod quidem malum tamdiu devitabimus, quamdiu quæ de reverentia Episcopis exhibenda nostra Statuta decernunt, ea cum omni humilitate exequemur. Nec dubium quin semper eorum benevolentiam experiamur, sicut hactenus experti sumus. Quos etiam nonnunquam de privilegiis nobis a Sancta Sede collatis congratulatos scimus ; sicut olim quidam eorum congratulati sunt de Decreto in gratiam Monachorum a S. Gregorio edito, cujus audita lectione, « universi responderunt : Libertati Monachorum congaudemus, et quæ nunc de his statuit Beatitudo vestra, firmamus. »

Bernard. lib.3. de Cons. cap. 4.

Bernard. ubi supra.

Baronius, an. 601. n. 16.

MONACHI EREMI SANCTI BRUNONIS IN CALABRIA CISTERCIENSIBUS SE DEDUNT.

III. His aliisque privilegiis ædificabantur et confirmabantur Cartusia Major et aliæ eidem Proposito addictæ Domus. Sed tunc non secundum eadem Statuta vivebant Monachi Calabriæ, quamvis asserat Noster Constantius ibidem repertas fuisse Guigonis Consuetudines. Hoc siquidem anno Guillelmus eorum Prior tanta vi verborum egit apud Cœlestinum, ut ab eo licentiam obtinuerit se suumque Conventum transferendi ad Ordinem Cisterciensem, ut ex sequenti diplomate constat :

Papa id confirmat.

« Cœlestinus, episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Fratribus cœnobii S. Stephani in Bosco de Calabria, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Ad Religionis Ordinem propagandum et ad suos palmites extendendos, ex officii nostri

debito propensiori cura debemus intendere, et ipsum divina fragrantia pullulantem tenere pro viribus et fovere. Cum igitur divina inspiratione præventi, sub Cisterciensis Ordinis observantia Domino voveritis militare, et super hoc confirmationem Apostolicam et favorem Prior vester ad nos veniens obnixe petierit, Fratrum nostrorum communicato consilio, cum dexteræ Excelsi mutatio videatur, vestrum in hoc propositum commendamus. Et ut amodo sub eadem observantia et correctione Abbatis et Fratrum Fossæ Novæ vivere debeatis et gratum Deo famulatum impendere, autoritate Apostolica, salvo Ecclesiæ Romanæ jure, confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis et confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani, tertio Idus Decembris, Pontificatus nostri anno secundo. »

ANNUS 1192

IV. Tancredus quoque rex Siciliæ, importunis ejusdem Guillelmi adductus precibus, hanc translationem approbavit, datis anno sequenti hujus tenoris literis ; quas libet hic recensere, ut idem negotium sine ulla interruptione lectori pateat.

ITEMQUE REX SICILIÆ.

« Tancredus, Dei gratia rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ et Principatus Capuæ, Prælatis Ecclesiarum, Comitibus, Justitiariis, Baronibus, Bajulis, et universis quibus præsentes literæ ostensæ fuerint fidelibus suis, salutem et dilectionem. Cum regni nostri profectibus animum intendere debeamus, ea maxime quæ ad honorem Dei et Ecclesiarum statum respicere dignoscuntur, modis tenemur omnibus procurare. Cum igitur Domus nostra S. Stephani de Nemore Instituta Cisterciensis Ordinis autoritate Summi Pontificis, Deo inspirante, susceperit ; nos quoque tam pium propositum favore regio prosequentes, autoritate nostri culminis duximus confirmandum. Eapropter universitati vestræ mandantes districte præcipimus, ne qua de cætero cujuscumque dignitatis aut sexus, humilis nobilisque persona, in Domum illam

ANNUS 1192

contra formam Ordinis quidpiam audeat attentare. Maxime duo hæc omnimode prohibemus, quæ præcipue Ordo ille sanctissimus detestatur : videlicet, ne qua mulier septa ejusdem monasterii vel alicujus ex grangiis suis, ubicumque sint, aliquatenus introire; et ne aliquis ibidem carnibus vesci contra ejusdem Ordinis Statuta præsumat. Si quis autem contra hujus institutionis nostræ mandatum aliquid attentare præsumpserit, indignationem celsitudinis nostræ se noverit graviter incursurum. Datum Messinæ, quinta die mensis Februarii undecimæ Indictionis. »

TEMPUS HUJUS TRANSITUS DISCUTITUR.

V. His Cœlestini et Tancredi diplomatibus clarius sole apparet, Cistercienses non ante præsentem annum Calabrinam Domum occupasse; licet Angelus Manrique dicat eam jam ante quadraginta et duos annos in Ecclesiarum sui Ordinis Chronologia descriptam fuisse. Nec pro Angelo facit noster Franciscus a Puteo, scribens in Vita S. Brunonis « monasterium illud in Cartusiensis vitæ Instituto perseverasse sub quinque Prioribus. » Contrarium namque patet ex accurata illa recensione duodecim Magistrorum, quam suis locis dedimus, qui præfuerunt post sanctum Brunonem ad Guillelmi Magistri tempora. Imo ipse Puteanus in Charta Capituli generalis ; licet quinque tantum meminerit Priorum, transitum tamen ad Cistercienses hoc præsenti anno factum fuisse distincte scripsit : « Attento, inquit, quod dicta Domus immediate post Domum istam Cartusiæ et ante cæteras Domos Ordinis, ab eodem Patre nostro Brunone instituta et fundata et in obedientia dicti nostri Ordinis, sub quinque Prioribus, ut antiquæ testantur Historiæ, per annos nonaginta duos post ejusdem B. Brunonis obitum, usque ad annum videlicet Domini centesimum nonagesimum tertium supra millesimum, perseveravit, etc. » Hæc ille, sicut didicerat a nostro Constantio, qui nondum omnia Domus Instrumenta pervolverat, ut postea Guillelmo Bibautio Francisci a Puteo successori his verbis declaravit : « Antiquum transumptum ex quo cuncta pro majori parte Privilegia extraxi, plane est confusum. Et hinc est, quod in elapso Capitulo generali in Charta

Manr. ad an. 1150.

Ex ch. 1515.

positum fuit Domum istam rectam fuisse per quinque Priores. Ego autem maximo cum labore reperi gubernatam fuisse per Magistros duodecim » ; quibus successerunt Abbates Cistercienses quorum primus fuit prædictus Guillelmus, ut idem Constantius dicit constare ex diplomate Henrici Imperatoris, Cisterciensibus cuncta S. Stephani Privilegia triennio post confirmantis. Guillelmo successit Isidorus, etiam Abbas dictus a quodam Roberto benefactore in literis donationis ab eodem factæ anno 1198, Indictione tertia : et sic deinceps per tria et amplius secula hæc Domus a Cisterciensibus detenta est, donec Petrus Ruffi Cartusiæ Prior, primus omnium cœperit de illius recuperatione cogitare.

ANNUS 1192

Vide an. 1497.

CAUSA HUJUS TRANSITUS.

VI. Calabrinorum Patrum transitus ad Cistercienses causam nonnulli adscribunt disciplinæ solutioris desiderio ; alii distantiæ locorum, qua fiebat quod Visitatores ad eos mitti e Cartusia non possent. Sed neutram probamus. Non priorem ; quia constat observantiam tunc temporis apud Cistercienses maxime viguisse. Nec posteriorem ; cum et Ordo noster jam tum remotiores haberet Domos in Anglia, Hispania et Styria. Altius igitur hæc causa a nobis videtur desumenda, hancque verisimiliorem esse credimus : quod paulatim post mortem Lamberti tertii Calabrinæ Domus Magistri, extincta in B. Mariæ Eremo vita anachoretica, monachi in monasterio S. Stephani degentes solam ibi duxerint vitam cœnobiticam, juxta Consuetudines ab eodem Lamberto constitutas. Cumque ideo nullam haberent cum Cartusia relationem, cui tanquam Ordinis Capiti non reperimus eos unquam fuisse obnoxios, hinc factum esse putamus ut Guillelmus eorum Prior, plenam observantiæ regularis timens ruinam, Cisterciensibus elegerit se subdere quorum vita suorum statui magis congruebat. « Ab eo tempore, inquit noster Calkar (nempe a morte S. Bernardi), multæ fiebant Ordinis Cisterciensis Domus. Sed cum, crescentibus modicum Cartusiensibus, quadam vice sancti viri conquirentes inter se de illo Ordine quomodo esset quod non cresceret, respondit unus : Dico vobis, Cisterciensis Ordo cito senescet ; Cartusiensis vero tarde juvenescet. »

V. sup. ad an. 1119.

ANNUS 1192

Calkari consentiens autor Speculi Cartusiensis, addit « dictum ejus testimonium verum esse, ac probari ex eo quod, sicut ad oculum cernitur, quam plures Ordines qui in suis principiis multis monasteriis et claustris valde et cito accreverunt, jam in hujusmodi non crescunt ; quin heu ! a potiori decrescunt, scilicet a primaria sua Institutione et regulari vita, in præceps declinando. E contra Cartusienses paulatim in multiplicatione Domorum Ordinis sui longius procedunt, quotidie scilicet in eisdem augmentum capientes ; quoniam a monastica et regulari vita nusquam exorbitant, in Proposito Cartusiensi stabiles permanentes, quod homines bonæ voluntatis multum trahit ad devotionem. » Hæc ille ; a quo absit invidia. Ejus enim verba non ut quempiam sugillemus, retulimus ; sed ut Nostros moneamus cavere, ne multiplicando gentem, lætitiam Ordinis non magnificent.

JESU CHRISTI

ANNUS 1193.

Cœlestini PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 3.	Ann. 110.	Ann. 14.

I. SEQUITUR annus Redemptoris millesimus centesimus nonagesimus tertius, Indictione undecima, quo florebat in Anglia apud Withamienses Cartusienses vir solitudinis et silentii cultor eximius, Magister Adam, qui ex abbate Driburgensi Ordinis Præmonstratensis, factus monachus Cartusiensis, cum S. Hugone Lincolniensi familiariter colloqui consueverat; de quo in Actis ejusdem Sancti hæc habentur:

ADAM EX ABBATE FACTUS CARTUSIENSIS FLORET IN ANGLIA.

« Erat vero apud Withamiam vir summæ, ac in rebus divinis pene dixerim incomparandæ eruditionis et doctrinæ, qui dimissa Abbatia Præmonstratensis Ordinis quam regebat, ad hujus se conversationis studium mirabiliter sublimando deposuerat. Dicebatur Magister Adam de Brabantia, qui amore præventus vitæ contemplativæ, cujus a primævo juventutis flore felici desiderio æstuaverat, cujus et primitias diu jam felicius prælibaverat, datis sibi cœlitus pennis columbæ ad hanc solitudinem convolaverat, ubi per quina circiter annorum lustra sub felicissimo supernæ contemplationis monte quiescebat. Cum isto itaque frequentissimum erat S. Pontifici colloquium. Hi quoque geminæ tubæ argenteæ ductiles cœlestis eloquii nitore splendentes, regularis quoque disciplinæ exercitiis subtilius elimatæ, mutuis se sublimium exhortationum clangoribus ad fortia militiæ spiritualis incitare non desistebant. Ingerebat eremita Pontifici de

Vit. ms. l. 4. c. 11.

Pia ejus ac ferventia cum Sancto Hugone colloquia.

ANNUS 1193

Scripturarum eloquiis exempla perfectorum et dicta, Prælatorum incusans modernorum inertiam; Pastorum quoque adeo mores et studia, quod ab eximiorum vestigiis exorbitarent suorum prædecessorum, adeo degenerarent a virtutibus eorum. Interea et ad ipsum cui loquebatur repræsentans sermonem: Te, inquiebat, homines plurimi tanquam bonum ac magnum Dei Ecclesiæ Rectorem mirantur; sed, quæso te, ubi saltem umbra digni Pastoris in gestis tuis relucet? Nec de mediocritate vitæ ac conversationis tuæ nunc mihi sermo est. Sit modo cum imminentis jam illius adversarii faciem generalis virtutum præcedat egestas? sit, inquam, modo cum ad januam jam assistit Filius hominis, nec inveniet fidem super terram? sit modo præconio dignus, qui pessimus non fuerit? vocetur beneficus qui mala quæcumque potuerit proximo suo non intulerit? Et hæc quidem perfectio potentibus magna videtur, si vix aliquem juvent et non universos premant. Tales nunc sancti habentur et laude digni. Quid vero de commissorum tibi negotiatione talentorum sentiemus? Quæ lucra? Quas usuras reportaturum te confidis inter egregios illos Institores, qui terræ marisque pericula experti vel perpessi, non modo plantaverunt, sed etiam ornaverunt et munierunt Ecclesiam sanguine suo? Hi ut fame pereuntes refocillarent, de longe portantes panem suum in his ultimis Oceani finibus delitescentes, vagos qui perierant requisierunt, quos ab ipsis* mortis ad civitatem Domini virtutum reduxerunt. Illi quidem laboraverunt, et vos in labores eorum ad laborandum, pene dixerim ad lasciviendum, ut autem temperantius loquar, ad ludendum et feriandum introistis. Unde vinea Domini Sabaoth inculta jacet, sentibus operta squallet. Conculcant eam omnes qui prætergrediuntur viam. Maceria enim lapidum ejus diruta est, et nemo est qui resarciat sepem ejus. Hujusmodi satis innumera is prosequens, ut erat fons exuberantissimus cœlestis doctrinæ, reciprocam ab Episcopo petebat et recipiebat sermonis vicem. »

* portis.

ROBERTUS PRIOR EXCUBIARUM, ABBAS MONTISMAJORIS

II. Eodem tempore vivebat in Delphinatu Robertus Prior cartusiæ Excubiarum, cujus intuitu Guigo, hujus nominis

tertius, dominus de Cassanatico, hoc anno ad instantiam Joannis fratris sui, ex Cartusiensi Monacho episcopi Gratianopolitani, confirmavit donationem cujusdam manerii factam eidem cartusiæ per Guillelmum præfatorum Joannis et Guigonis germanum. Hunc autem Robertum postea Abbatem fuisse Montis Majoris asserit Chorerius in Cassanaticorum gentis Historia ; et in codice, quem idem Vir humanissimus nobis commodavit, hæc de eo et de præfata largitione legimus: « Donatio Willelmi (vel Guigonis) de Cassenatico cabannariæ de Capacalda domui Excubiarum, R. (scilicet Priori, postea abbati Montis Majoris), pro remedio animæ suæ et parentum suorum; Domno fratre suo Gratianopolitano, cujus labore et industria factum est, et aliis fratribus ejus, Remaro scilicet et G., voluntarie laudantibus et confirmantibus. Habuit vero W. de Cassenatico quingentos solidos Viennensis monetæ a prædicta Domo Excubiarum. Hoc in præsentia Domni Joannis Gratianop. episcopi factum est, præsente quoque Monachorum Conventu in claustro eorumdem, præsentibus testibus omnibus supradictis hominibus, cum quibus fuerunt W. de Bucuyron, Petrus de Chaortz, W. de Capreriis, W. Amator, Ardincus de Rencurello, Arnaudus Landrici ; anno a Nativitate Domini 1193. » Nostri Roberti inter Montis Majoris Abbates non meminerunt Sammarthani. Cum vero Fulconem de Cabanis ab anno 1189 ad annum 1198, et Franciscum anno 1203 eamdem abbatiam rexisse scribant, Robertum inter utrumque præfuisse probabile est.

ANNUS 1193

Chor. Histor. Cass. lib. 2. §. 7.

Tom. 4. Gall. Christ. in Ab. Mont. Maj.

GUIGO II QUONDAM CARTUSIÆ PRIOR MORITUR

III. Circa hæc tempora e cella in cœlum evolasse creditur Guigo quondam Cartusiæ Prior, vir contemplationi ac quieti impense deditus, quem ideo absolutionem a Capitulo generali petiisse et accepisse diximus. Hunc obiisse anno 1188 primus omnium scribit noster Molinus, nulla allata autoritate ; quem tamen aliquot post annis adhuc superfuisse putamus ex quadam non levi conjectura. Cum enim Tractatum suum de Quadripertito Cellæ exercitio scripserit ad petitionem Bovonis Withamiæ Prioris, dum generali Capitulo interfuit; ipse vero Bovo in Angliam exeunte anno 1186 vel ineunte

ANNUS 1193

altero tantum missus, Comitiis Ordinis adesse non potuerit ante annum 1188 : hinc liquet quod idem opus non aggressus sit a Guigone, ac propterea ille non obierit nisi post eumdem annum. Dies in antiquo Cartusiæ Calendario designatur ad 8 Idus Aprilis. Porro quantæ fuerit humilitatis Guigo, ipsemet prodit in citato suo Tractatu, cujus autographum, ut videtur, præ manibus habemus. Bovonem namque rogat ut si quid in eo invenerit « ex quo fructum aliquem percipere possit spiritualem, pro anima illius miserrimi peccatoris pie intercedere velit, qui hæc utcumque, non quidem ut debuit sed ut potuit, in unum collegit. » Et sub initium contestatur se solo obedientiæ præcepto opus aggressum fuisse.

Miraculis claret.

Denique ipsum post mortem miraculis claruisse colligimus ex Chronici Cartusiæ Continuatore, qui sub Jancelino hæc de Guigone, licet tacito nomine, commemorat :

« Hujus tempore (nempe Jancelini) ut præsumitur, vel circa, contigit in Cartusia quod volo ad memoriam narrando revocare. Fuit ibidem, ut fertur, quidam Monachus sanctissimæ vitæ et obedientiæ singularis, qui tandem evocatus a Domino, diem clausit extremum. Sed Dominus (qui retribuit unicuique secundum opera ejus) non est passus servum suum in occulto sub modio latere, sed infinitis et patentibus miraculis eum illustravit post mortem ; ut innumerosi populi de Sabaudia et de Delphinatu (quorum multi languidos infirmosque suos deferebant ad sepulchrum ejus in Cartusia) Deum ex eorum liberatione improvisa, in Sancto suo efferrent, benedicerent et laudarent. Siquidem multi infirmi, leprosi, cæci, claudi, paralytici, surdi et muti, et alia quacumque infirmitate detenti (cum ejus sepulchrum attigissent) sanabantur. Stupor omnes circumdederat videntes tanta mirabilia quæ Deus operabatur per Sanctum suum. Diebus dies succedunt, et menses mensibus, miraculaque quotidie accrescunt. Sed diabolus mille doli artifex, dictæ Domui Cartusiæ invidens (quæ virum tam sanctum enutrivit), quique in natalitiis et solemnitatibus Sanctorum suas etiam nefarias solemnitates immiscere conatur, quantoque majora sunt festa Sanctorum,

ANNUS 1193

reciproca lascivia et vanitate per homines seculo deditos eorum festo illudit : diabolus, inquam, invidens dictæ Domui, tantam turbationem et inquietem ibidem (ob strepitum hominum concurrentium) concitavit, quod nulli Monachorum Deo servire vel vacare licebat, et (quod pejus est) quam plura inhonesta perpetrabantur.

Jubetur cessare a miraculis.

« Sed vir perspicacis ingenii, Prior Cartusiæ, suorum ferens graviter tantam inquietudinem filiorum, has pias Sancto suo potuit facere querelas : Siccine, fili carissime, hæc est retributio quam retribuisti nobis ? Tu ad Deum tuum perpetuo in gloria quieturus ascendisti, nobisque tantæ inquietudinis bellum indicis ? Non sic, fili, erit, non sic. Sed eodem pignore quod adversarium confudisti, eo te aggrediar est necesse. Obedientia enim, qua in hoc campo certaminis viriliter dimicasti, quæ etiam tibi pacem perpetuam procuravit cum fratribus et sociis tuis, procurabit et nobis quietem et tranquillitatem in hoc loco. Tuncque dictus Prior accedens ad tumulum, ait : In virtute sanctæ obedientiæ, fili mi, præcipio tibi quatenus in vita tua semper obediens mihi fuisti, sic et nunc existas, nec ullum miraculum de cætero facere præsumas. O miraculum inauditum ! Nam post prædictum præceptum, tanta ejusdem est obedientia subsecuta, quod ad dictum sepulchrum ulterius facere miraculum non præsumpsit. Et qui in vita sua perfecte obedivit, post mortem etiam obedire non negavit. »

Jussioni obtemperat.

Idem miraculum referunt Calkar et alii rerum nostrarum Scriptores. Hunc vero Monachum fuisse præfatum Guigonem certe conjicimus cum Georgio Garnefeltio, quod Prior vocetur, et ille qui miracula prohibuit ejus successor dicatur.

PLURIBUS EXEMPLIS HOC FACTUM ROBORATUR.

IV. Hoc Jancelini factum multis possumus tueri consimilibus exemplis. S. Hidulfus archiepiscopus Trevirensis et abbas Mediani Monasterii, S. Spinulo monacho suo multa miracula post mortem patranti, præcepit ut ab iis cessaret. « Videres mortuum, inquit autor, quasi viveret, Magistro jubenti obedire, cessantibus signis miraculorum. » Petrus Lemovicus sancti Stephani Grandimontensis in regimine suc-

Acta SS. Ord. Ben. sect. 3. part. 2.

ANNUS 1193

Henriquez in fascicul. SS. Ord. Cisterc.

Lib. 7. Vit. S. Bern. cap. 28.

Mabil. in præfat. 1. part. sect. 3. Act. SS. Ord. Bened.

Vid. an. 1137.

cessor, videns Monachorum suorum quietem turbari ex frequentibus ad S. Patriarchæ tumulum patratis miraculis, ei minatus est corpus ejus in flumen projecturum, ni ab eis desisteret. Sed, ut ad tempora nostri Jancelini paulo propius accedamus, simile prorsus exemplum legimus in vita S. Bernardi Clarevallensis abbatis, qui factus obediens usque ad mortem, imo et post mortem, Abbati Cisterciensi præcipienti ita obedivit, ut « signa quæ tunc jam radiare cœperant, cessaverint. » Eamdem obedientiam præstitit S. Remigii Remensis Monachis S. Gibrianus, cujus corpus in ipsorum monasterio quiescens tot miracula patraverat, ut ex eleemosynis inde collectis Montis Dei cartusiæ ædificia absoluta fuerint, ut diximus agentes de ejusdem Domus fundatione.

JESU CHRISTI

ANNUS 1194.

Cœlestini PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 4.	Ann. 111.	Ann. 15.

I. MILLESIMUS centesimus nonagesimus quartus annus salutis, Indictione duodecima, ordine sequitur, quo Ildefonsus Rex Arragonum, cartusiæ Scalæ Dei fundator ac primus Capituli generalis benefactor, reditus, quos ante novem annos pro refectione Priorum tempore Capituli generalis concesserat, collocavit in castro suo de Carreto, datis sequentibus litteris :

ILDEFONSUS REX ARAGON. PRIMUS BENEF. CAP. GEN.

« In Dei nomine, notum sit cunctis præsentibus atque futuris quod ego Ildephonsus, Dei gratia Rex Arragonum, comes Barchinonensis et marchio Provinciæ, ob remedium animæ meæ parentumque meorum dono et concedo imperpetuum per me et per filium meum Comitem præsentem ac per omnes successores meos, Omnipotenti Deo et Beatæ Mariæ et Domui de Cartossa ac J. Priori ejusdem universoque Conventui et Fratribus præsentibus ac futuris, quatercentos solidos monetæ regalium novorum coronatorum, quos pro redemptione albergæ habeo et habere debeo singulis annis in castro de Carreto. Quos quadringentos solidos nuncius aut mandatarius Prioris vel Conventus de Cartossa accipiat sine omni contradictione, singulis annis in festivitate S. Michaelis, in prædicto castro de Carreto pro redemptione albergæ sine omni contradictione et impedimento. Est autem sciendum quod ego dono istos quadringentos solidos præfatæ Domui de Cartossa Priori et Conventui ac Fratribus, ut

ANNUS
1194

singulis annis in generali Capitulo, in honore Dei ac memoria nostri et pro salute animæ meæ, procuretur et reficiatur inde totus conventus una die. Et si forte moneta regalium novorum coronatorum cambiretur aut pejoraretur procedente tempore, homines ipsius castri de Carreto donent præfatæ Domui de Cartossa vel nunciis suis de illa moneta quæ tunc cucurrerit, tantum quod valeat quadringentos solidos regalium novorum coronatorum, ad rationem sexaginta solidorum pro marcha argenti. Datum apud Areas per manum Columbi domini Regis Notarii, mense Januarii, anno Domini MCLXXXXIIII. Signum Ildephonsi regis Aragonum, comitis Barchinonensis et marchionis Provinciæ. Signum Alphonsi filii ejus et comitis Provinciæ. Testes sunt : Assalitus de Gudale, G. de Arbanes frater ejus Procuratores in Provincia, Bernardus de Portella, Eraldus de Villanova. »

Deinde cum Carolus, hujus nominis secundus, Siciliæ rex comes Provinciæ, castrum de Carreto Abbatiæ S. Victoris Massiliensis attribuisset, prædictum reditum transtulit in castrum de Luco, datis Literis Massiliæ ad instantiam Fratris Guillelmi de Porta Prioris B. Mariæ de Verna, per manus venerabilis viri Guillermi Ebrardi Aquensis archidiaconi, vicecancellarii Regni Siciliæ, anno octavo post seculum tertium decimum, die vigesima tertia Aprilis. Præterea successu temporis, ab aliis Regibus assignati fuerunt super commenda et hominibus de Barberano, cujus assignatio seu collocatio primum a rege Martino confirmata est anno millesimo quadringentesimo Cæsaraugustæ ; testibus : Garcia archiepiscopo Cæsaraugustano, Alphonso duce Gandiæ, Alphonso comite Deniæ, Rogerio de Montecateno, et Berengario de Cerdillis, Militibus. Quæ omnia Martini successores approbavere.

GUILLELMUS COMES GENEVÆ MAJORIS CARTUS. BENEF.

Ex archiv. Maj. Cart.

II. Hoc quoque anno Domus Cartusiæ novum nacta est benefactorem, Guillelmum comitem Gebennensem, qui cum Humberto filio suo primogenito quædam pascua concessit mense Decembri, die Jovis ; Nantelmo tunc Gebennensi episcopo, in præsentia Aymonis Pagani Fratris Domus Car-

tusiæ ; per manum Guitberti Gebennensis canonici et decani. Idem etiam Comes totum Ordinem exemit ab omni pedagio et usagio, datis Literis sine die et anno. Quæ omnia postea confirmavere Sabaudiæ Duces. Similem gratiam hoc anno præstitit R. dux Narbonæ, comes Tolosæ et marchio Provinciæ, non solum in gratiam Majoris Cartusiæ sed et Domus de Monte S. Mariæ de Cardossa (ut habetur in Literis) sive Allionis.

ANNUS 1194

Ex Cartul. dom. Allionis.

III. Hoc pariter anno ineunte, cum ad Sedem Apostolicam multiplices deferrentur accusationes adversus Gaufredum Eboracensem archiepiscopum, Richardi regis fratrem nothum, Cœlestinus Papa justitiæ amantissimus, judici incorruptissimo causam in Anglia cognoscendam delegavit sancto Hugoni addiditque collegas sanctæ conversationis viros, de quibus omnibus habet ista Rogerius de Hoveden in Annalibus ad hunc annum his verbis : « Eodem anno, mense Januarii, die dominicæ proxima post octavas Epiphaniæ, venerunt Eboracum Hugo Lincolniensis episcopus et Magister Winemerus archidiaconus de Northamptun, et Hugo Prior de Ponte Sacro, quibus Dominus Papa Cœlestinus commiserat inquisitionem faciendam de excessibus Gaufridi Eboracensis archiepiscopi, in quibus accusabatur a Canonicis suis Eboracensibus coram Domino Papa et Cardinalibus, et processerunt secundum mandatum Domini Papæ quod ipsi susceperunt per Literas, » quas ex Rogerio Baronius integras describit hoc anno.

S. HUGO SUMMI PONTIFICIS LEGATUS.

Baronius ad hunc. an. n. 4.

Harum igitur autoritate Literarum, noster Hugo cum collegis suis venerunt Eboracum ad inquisitionem faciendam de objectis contra Gaufredum. Congregatisque coram sancto Præsule in Cathedrali ecclesia Abbatibus, Prioribus, et ecclesiasticis personis Eboracensis diœcesis, processit secundum formam Apostolici Mandati, delatasque in Archiepiscopum accusationes scripto commendans, transmisit Summo Pontifici qui anno sequenti rursum Hugonem judicem delegavit, ut fusissime narrat Rogerius supra citatus, ad quem lector potest recurrere.

Inquirit in Archiepiscopum Eborac.

ANNUS 1194

RICHARDO REGI INGENTEM PECUNIARUM SUMMAM COGITUR SOLVERE.

Gaguin. in Philip. Aug. Lib. 4. c. 7.

IV. Interea Richardus, Angliæ rex, liberatus diuturna qua eum Imperator detinebat captivitate et in Gallias redux, Philippo regi bellum indixit. Cumque ad belli sumptus pecunias undecumque corraderet, instinctu quorumdam malevolorum a S. Hugone summam maximam, tanquam pro pallio Regi debitam, cœpit exigere. Quo vero pacto se gesserit beatus Præsul accipe ex illius Actis : « Sentiens vero cruentus humani generis inimicus, in sui grave dispendium Viri ubique victoriosissimi vires prævalere, a castris eorum quos ejus tuebatur præsentia, eum arte callida nititur amovere, quatenus saltem elongato a certaminis loco insuperabili totius aciei protectore, in reliquo libentius grassaretur agmine. Sciens namque serpens virulentus, Virum Dei libertatem Ecclesiæ impensius zelare, qui nec subjectis sibi ecclesiis pecuniarias ullatenus exactiones imponeret, nec quibuscumque potestatibus tale quid a sua exigentibus, ulla ratione acquiesceret, in talem eum perplexitatem conatur inducere, ex qua propter aliquod saltem inconveniens haud facile quivisset erumpere. Armatus igitur astutia vipereæ malitiæ, perversas quorumdam familiariter subditorum sibi instigat mentes, per quos Regis animos contra sanctum Virum ad novas et inopinatas querelas excitaret. Suggeritur per eos Regi, ingentis cujusdam debiti, quod ei annuatim solvere tenebatur, Lincolniensem Episcopum esse detentorem ; unde et reus, ut vulgo dicitur, in ejus misericordiam incidisset ; et ad summam æris plurimi fisco ex diuturna retentione refundendam addici potuisse Ecclesiam Lincolniensem.

Sanguisugæ curiales conflant invidiam Hugoni.

« Quidam vero olim Antistes dictus Alexander, qui tertius Hugonem præcesserat, pallium centum argenti marchis appretiatum Regi tempore suo imperanti, per aliquot impræteritmisse annos dedisse ferebatur ; cujus successor, vocabulo Robertus idem aliquoties egisse dicebatur. Hinc calumnia in Hugonem devoluta : non solum hoc quod eum Pontificatus sui tempore debuisse memorabant anxie ab eo repetunt, sed etiam pro injuriosa Regii muneris subtractione, ipsum ad Regis nutum satisfactioni esse obnoxium, satis invidiose de-

cernunt. Nec tantum personam Episcopi, imo et Ecclesiam cujus et ille onera subiisset et emolumenta perciperet pro tempore Walteri sui prædecessoris, qui nec ipse pallium Regi debitum aliquando dedisset, et detentionis ream et redditionis debitricem esse perhibebant. Conventus itaque super talibus ab ipso tunc rege Richardo Episcopus, vix tandem (adversante nimirum sibi, ut ferebatur, quam maxime Archiepiscopo sæpius memorato) pro tribus millibus marcharum, tam a repetitione subtracti muneris, quam et ab ejusdem imposterum collatione et se et suos eripuit successores, suamque perpetuis temporibus a præstationis illius onere absolvit Ecclesiam. Nihil enim indignius, nihil sibi intolerabilius fore æstimabat, quam Sponsam Regis æterni ac seipsum illius pro tempore custodem, homini mortali censualem constituere et quodammodo tributariam exhibere. Invenit igitur arctum et angustum foramen in maxilla Leviathan per quod illud inconveniens effugeret morte ipsa molestius, quo Ecclesiam Reginæ Cœli quam regebat terreno Regi vectigalem quodammodo fieri nitebatur. Exemit igitur eam a servitute degeneri, proprio nil metuens* expoliari peculio. Paratior quippe erat seipsum perpetuæ addicere egestati, quam periclitanti minus adesse ecclesiasticæ libertati. Cæterum unde Viro liberalissimo hæc tanta provenerit pecunia, qui omnes semper annuos redditus et quoscumque proventus ad impendia misericordiæ, et in sumptus justæ necessitatis effundere solitus erat, cui nunquam ultra præsentis anni spatium quidquam pecuniæ erat residuum ? Quippe cum et mutuum æs frequenter sumeret alienum, ubi, inquam, inveniret, vel unde quæ Regi persolveret tot millia talentorum ? Erat quidem paratum ad manus consilium, si quod propriis deerat crumenis a subditorum vellet extorquere loculis ; sed qui non modo pecuniam, imo et propriam pro sibi commissorum indemnitate in votis semper habuerat ponere animam, qualiter eis suam extorqueret substantiam ? vel qui suam a præbitione ignobili eximere satagebat Ecclesiam, quomodo aliorum Ecclesias oneraret, ut seipsum

ANNUS 1194

* *Al.* sed publico.

ANNUS
1194

relevaret, et pro sua libertate jugum eis imponeret servitutis ?

HUGO AD SUAM SEMPER PROPENSUS SOLITUDINEM.

V. « Jam itaque Viro Dei videbatur unicum superesse remedium, quod et sibi satis erat votivum, ut ipse scilicet ad suam interim secedens Withamiam, ibi solitarie degens, proventus universos totius Episcopatus ad summam hujus debiti persolvendam converti ordinaret. Gaudebat toto animo et exultabat, quod non solum justam et honestam, imo et necessariam se putabat invenisse occasionem, ut a mundanis tumultibus aliquandiu secederet, ac secretius cœlestibus eo suavius quo et liberius inhæreret. Jam sibi blanditur et applaudit de assertione Pauli scire se perhibentis : Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Sperabat enim juxta deliberationem suam ex inflicto rerum dispendio temporalium, æternum mercari compendium, fructumque ex brevi carpere jactura copiosum. Verum ut hoc suum propositum notitiæ suorum intimavit Clericorum, obniti vehementius universi cœperunt, intolerabilem sibi prorsus illius tantam remotionem protestantes. Sed et religiosæ personæ innumeræ, ne id fieret quod disponebat magnopere dissuadebant. Denique universis diœcesis suæ ecclesiasticis personis in commune placuit ad expeditionem matricis suæ Ecclesiæ, pecuniam de suis copiis animo libenti offerre. Unanimiter quoque, ut Patrem et defensorem pium atque fortissimum ipsum, obnixius flagitabant Episcopum, ne hujus rei gratia suam ab eis aliquatenus præsentiam absentaret. Ita, multum licet invitus et coactus, filiorum suorum petitionibus et consiliis acquievit amicorum, suæ præponens desiderio voluntatis pium generalitatis decretum.

Rom. 8. 28.

Studium subditorum ipsius in eum.

Quorum votis acquiescit.

Suam Ecclesiam a gravi onere liberat.

« Suis vero districtius inhibuit Officialibus, ne a quovis hominum quidquam exigere amplius præsumerent, quam quod voluntate spontanea quilibet obtulisset. De proprio autem peculio quantum facultas admisit, dari præcepit. Sicque provinciales ecclesias potius quam earum matrem ecclesiam Lincolniensem, a turpi simul et gravi diu inolitæ jugo servitutis semel eripiendo, perpetuæ restituit libertati. Nam quod

ANNUS 1194

citra cujusque gravamen a Clericis semel modo percepit eorum (ut sic dicatur) redemptor et manumissor Hugo, hoc, imo amplius multo, non sine plurimorum gravamine extorquere solitus erat uterque præmemoratus hujus tributi inventor et redditor, palliata scilicet sub prætextu regalis pallii, ambitione pontificali; quod tamen ex nobis dicere non audemus, sed hoc dicimus ex sententia plurimorum qui sæpius ex tali divitum colludio, egestati suæ gemebant illudi. Nam et ipse Rex edoctus, ut credebatur, a quibusdam lac suarum ovium usque ad expressionem butyri libenter ac frequenter emulgentibus, hoc Episcopo potius quam sibi profuturum dixerat, qui more prædecessorum suorum multa sumeret a suis Clericis, unde vix pauca daret pro pallio appendendo suis humeris. At verus et bonus Pastor quantum oves sibi creditas diligebat, tantum immunitatem illarum zelabat quantum ad se pertinebat. Sicut omnem avaritiam sedulo fugiebat, ita et occasionem avaritiæ summis ubi posset nisibus evellebat. Unde et mulctam pecuniariam a quibuscumque delinquentibus, tam Archidiaconos suos quam eorum Officiales ac Decanos exigere prohibebat. Nimirum verens ne pro muneribus aliquando, aut opprimerent insontem, aut in suis excessibus sontem foverent, juxta illud antiqui Legislatoris : Munera excæcant oculos sapientum et subvertunt verba justorum. Item illud Scripturæ alterius, suis altius crebro ingerebat : Ignis devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt. E contrario illis frequenter asserentibus plus terrere improbos pecuniæ dispendium quam excommunicationis probrum, aut etiam temporalium afflictionem pœnarum illis indicendarum; ille e diverso asserebat illud suæ negligentiæ ascribendum, qui remissius se haberent in corripiendis et districtius coercendis illis qui peccassent; nec eos tam studiose observare ut illi injunctam explerent satisfactionem, quam observarent ut sibi pollicitam enumerarent pecuniæ taxationem. Illis interdum pro se allegare studentibus, ac respondentibus gloriosissimum archiepiscopum ac martyrem Thomam hujusmodi a delinquentibus

Suorum studet immunitati.

Suos vetat mulctas et munera exigere.

Deuter. 16. 19.
Job, 15. 34.

S. Thomæ Martyris factum non excusat.

ANNUS
1194

sumpsisse mulctas ; ille confestim respondebat : Credite mihi, inquit, non idcirco sanctus fuit. Alia eum virtutum merita sanctum exhibuerunt, alioque meruit titulo palmam martyrii. »

ROBERTUS COMES ARVERNIÆ UNAM CARTUSIAM CUPIT ÆDIFICARE.

Geneal. Arvern. lib. 2. cap. 14.

VI. His circiter temporibus Robertus hujus nominis quartus, comes Arverniæ, moriens liberis suis præcepit ut Ordinem Cartusiensem gratia et ope juvarent, eo quod votum quod ipse fecerat unam fundandi cartusiam persolvere non potuerat. Ante præsentem annum ipsum obiisse recte conjicit Christophorus Justelius in *Arverniæ Principum Historia*. Nam Guidonem ejus filium fratri suo Guillelmo majori natu sine liberis mortuo jam successisse, ex Portarum cartusiæ Tabulario probamus, in quo extant literæ hoc anno datæ, quibus Guido Arvernorum comes eidem Domui centum solidos debitales largitur pro emendo sale in furno, quod est extra Riomi castrum. Idem Guido et ejus successores multis juxta patris præceptum gratiis nostrum Ordinem semper sibi devinxerunt, et maxime Portus Beatæ Mariæ cartusiam.

JESU CHRISTI

ANNUS 1195.

Cælestini PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini P. Cartus.
Ann. 5.	Ann. 112.	Ann. 16.

DISCORDIA CUM CISTERCIENSIBUS MOTA SEDATUR.

I. REDEMPTORIS annus millesimus centesimus nonagesimus quintus incipit, Indictione tertia decima, quo Cistercienses inter et Cartusienses initur concordia, qua mutuos transitus interdicunt utrique suis Monachis. Quidam enim ex Nostris in arctæ solitudinis proposito radices non satis altas habentes, e nostra familia ad Cisterciensem convolabant, quæ tunc suavi sanctæ conversationis odore Ecclesiam universam respergebat. Plures etiam e Cisterciensibus vicissim ad Nostros transibant. Unde nonnullæ inter Ordinem utrumque dissensiones videntur subortæ, quibus ut opportune occurrerent hoc præsenti anno ab iisdem Ordinibus tales scriptæ sunt Literæ, quæ reperiuntur in primo cartulario Cartusiæ suntque editæ ad calcem Antiquorum Statutorum sub tali tenore :

Non licet nostris ad Cistercienses, nec e contra Cisterciensibus ad nos transire.

« Ego frater G. dictus abbas Cistercii, totusque Conventus Abbatum Capituli generalis, notum facimus præsentibus et futuris quod nos et Fratres Cartusienses hoc fœdere perpetuo sumus invicem obligati, ut ipsi Fratres nostros ab Ordine nostro recedentes sine consensu nostro in Ordine suo nulla ratione suscipiant, nec nos Fratres eorum recedentes ab ipsis, nisi ex eorum beneplacito, ad habitandum nobiscum recipiemus. Utque stabilitate perpetua hæc rata sit pactio, tam nostro quam illorum sigillo munire curamus. Actum est hoc anno Incarnati Domini MCXCV. »

ANNUS 1195

Subditur ibidem Epistola Guidonis abbatis Cisterciensis ad Jancelinum Priorem Cartusiæ, quæ sequentem habet tenorem : « Reverendo Patri et Domino J., Deo disponente Priori Cartusiæ, et universo ejusdem Monasterii sancto Conventui, frater G. dictus abbas Cisterciensis, et generalis Abbatum Conventus, salutem et sinceram in Christo dilectionem. Visis et lectis in ipso Capitulo nostro, cui destinatæ fuerant, literis sanctitatis vestræ, pium petitionibus vestris quæ ibi continebantur et favorabilem præbuimus assensum. Siquidem sanctæ Religioni vestræ, quam etiam a secularibus devotissime honorari videmus, et plurimum congaudemus, quicquid placeret et nostris esset humeris portabile, nulla ratione denegare possemus. Unde et universis in Capitulo constitutis Abbatibus petitiones vestræ propositæ sunt et approbatæ ; ita quod omnibus universaliter præceptum est, ut pactiones quæ inter Ordinem nostrum et vestrum constitutæ sunt et in scriptis authenticis consignatæ, firmiter teneant nec eas in aliquo violare præsumant. Quod si forte aliquando ab aliquo in aliquo eas contigerit violari, vel a nostris Ordini vestro, vel a vestris nostro aliquid læsionis inferri, per utriusque Ordinis personas sapientes et pacis amicas emendentur injuriæ, corrigantur læsiones, et pactiones utrimque pacifice reformentur, quatenus Deus pacis et dilectionis maneat semper cum omnibus nobis. Amen. »

Id postea licuit Cistersiensibus.

Jam ante aliquot annos, sub Basilii regimine constitutum fuisse diximus, ut Cistercienses a Nostris possent recipi ea conditione « si literas commendatitias haberent » a Superioribus suis, ut verisimile est. Attamen constat posthac eisdem Cisterciensibus passim licitum fuisse ad Cartusienses tanquam ad strictiores et austeriores transire. Extat etiam Privilegium Nicolai Papæ V concessum anno 1448 ad petitionem Abbatum Cisterciensium, quod nullus eorum Ordinem professus, etiam prætextu literarum majoris Pœnitentiarii Romani Pontificis, cujuscumque tenoris existant, absque Abbatis Cistercii speciali licentia, ad alium Ordinem, excepto Cartusiensi, transire possit.

II. Hoc anno Dux Narbonæ Domum Cartusiæ a pedagiis exemit; cujus exemptionis tale extat diploma: « Anno ab Incarnato Domino MCXCV, notum sit omnibus præsentibus atque futuris quod ego R. per Dei gratiam dux Narbonensis, comes Tolonensis in Provincia, intuitu misericordiæ et in redemptionem animæ nostræ et parentum nostrorum, donamus et concedimus cum hac charta Domino Deo et B. Mariæ et Domui sanctæ ac Fratribus Cartusiæ, ut Fratres ejusdem Domus per terras nostras et per aquas euntes et redeuntes, de his quæ ad victum et necessitatem Domus asportaverint, nullum usaticum, nullum pedaticum donent. Et volumus et mandamus ut bajuli et amici nostri eos tamquam nostra propria custodiant et defendant. In signum autem donationis præsentem chartam signari jussimus et muniri. »

ANNUS 1195

DUX NARBONÆ BENEFACT. CARTUSIÆ.

III. Hoc pariter anno, Capitulum generale licentiam Conventui Angionensi fecit terminos Domus suæ dilatandi, eo quod antiqui non sufficerent ad necessaria subministranda. Capituli generalis hoc de re decretum confirmavit Nantelmus episcopus Gebennensis, dato tali diplomate : « N. Dei gratia Gebennensis episcopus, cunctis in Christi nomine fidelibus præsentibus et futuris, salutem et pacem a Domino. Attendentes venerabilis Cartusiensis Ordinis prærogativam, et Domorum quæ in Christi nomine sub ipsis militant, dignum duximus ad eorum usum et utilitatem providere ut in Dei servitio possint in quiete et sine molestia permanere. Proinde est quod cum Domus Alionis Ordini Cartusiensi addicta suis terminis arctaretur, visum fuit Ordini quod terminos suos dilataret ad præparanda necessaria Fratrum. Nos vero quicquid, infra terminos Domus Alionis noviter limitatos et Ordini Cartusiensi addictos, habebamus possessionis, territorii vel rerum quæ a nobis haberentur ex parte Gebennensis Ecclesiæ, Fratribus Domus Alionis in Ordine Cartusiensi Deo servientibus, de consensu Capituli nostri et voluntate contulimus Fratribus præsentibus et futuris. Et si quid alii a nobis habebant vel possidebant infra eosdem terminos, totum usque exquisitum prætaxatis dedimus.

CAP. GEN. ANGION. LICENT. DAT TERMINOS DILATANDI.

ANNUS 1195

Advocatiam vero et dominium Domus prædictæ et penes nos et nobis retinuimus, salvo jure per omnia Cartusiensis Ordinis. Sunt autem termini Domus Alionis hi : Ab oriente, etc. Hi sunt termini Domus de Alione limitati in posterum ad Fratrum necessaria in Ordine Cartusiensi subministranda, per Dei misericordiam et Ordine confirmata, et per Dominum N. Gebennen. episcopum approbata, qui et partes suas interposuit et sigillo suo confirmavit. Ne vero aliquid solemnitati abesset, scripto præsenti testium nomina adnotata sunt : Guigo Prior, Hugo de Nemore procurator, Willelmus sacrista, Bernardus olim Prior et fidelis procurator Domus. Isti et alii Monachi qui ibidem Deo serviunt, testes sunt cum Fratribus laicis : Benedicto, Petro Portarum, Petro de Cartusia et Johanne fratre ejus et aliis. Guitbertus Magister, Amedeus de Confinio, Magister Johannes, Anno de Altavilla, Frewaldus, Willelmus Josper canonici Gebennenses. Ego Guitbertus Gebennensis canonicus et Magister dictavi cartam præsentem jussu partium. Fuerunt etiam testes præsentis negotii Lambertus, Jordanus, Stephanus de Ripa Capellani Geben. Factum est hoc anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCLXXXXV, Domino Cœlestino præsidente sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Domino Nantelmo Geben. episcopo et actore præsentis negotii, Willelmo comite Gebennensium. »

EPISCOPI GENEVENSES IN NOS PROPENSI.

IV. Nantelmi successores, in præfatam Domum Angonis imo et in totum Ordinem beneficos et liberales sese exhibuerunt. Bernardus Chabert, post Nantelmum electus, Jacobum et Bartholomæum fratres, dominos de Rubeomonte, induxit ad pascua per totam terram suam de *Ultra Arva* nostris Angionensibus concedenda, quod et libenter fecerunt, scriptis anno decimo proximi seculi literis, quas ipse Bernardus confirmavit, ac suo et Humberti Majorevi ac Guigonis Arveriæ Priorum sigillis munivit. Anno quoque undecimo ejusdem seculi, 17 Calendas Junii, ipse Bernardus præsul et Amedeus dominus de Jaiz confirmant donationem eidem cartusiæ factam a Joanne domino de Prengins et Agnete uxore illius, consentientibus Umberto, Joanne et Willelmo utriusque conjugis

filiis. Idem postea translatus ad Ebredunensem Ecclesiam, nostris Angionensibus semper favit. Cum enim controversia inter eos et Guidonem dominum de Monz militem orta fuisset, anno vigesimo quarto dicti ævi, ipse Decano de Albona declaravit quod eamdem controversiam jam olim, dum esset episcopus Gebennensis, in nostrorum gratiam composuisset. Bernardo Humbertus successor tribuitur a Sammarthanis, de quo nihil habemus.

ANNUS 1195

Petrus electus Gebennensis sigillum suum et Capituli sui apponit literis quibus Hugo, miles de Salanova, concedit monachis Alionis sive Algionis pascua per totam terram suam, et ipsi militi vicissim monachi concedunt plenam omnium bonorum spiritualium participationem, et post obitum illius tricenarium defunctorum. Nec annus nec dies designantur in præfatis literis, sed Petrum electum Gebennensem vixisse anno 1214 discimus ex quadam sententia inter Milites Jerosolymitanos et Cartusiæ Majoris monachos lata, quam eodem anno dabimus. Post Petrum statim sedem tenuit Aymo, quem Aymo et Willelmus milites de Rupe, et Petrus, Girodus ac Richardus fratres de Saconay, anno 1215, rogaverunt ut ad majorem firmitatem suo sigillo muniret cartam qua Domui præfatæ contulerant quamdam terram ad Saconay. Sed quia, ut legitur in literis, « Domus Alionis propter rigorem sui Ordinis possessiones nec tenet nec habet extra terminos suos, prædicti viri voluerunt et concesserunt ut Capitulum Gebennensis Ecclesiæ hanc eleemosynam teneret et possideret ad profectum et utilitatem dictæ Domus ; quam quidem donationem iidem benefactores in præsentia R. Præpositi Gebennensis et Capituli ejusdem Ecclesiæ, reliquiis positis super altare Beati Petri, laudaverunt et juramento confirmaverunt. Idemque postea fecerunt homines de Saconay tacto sacrosancto Evangelio in manu Domini Abonis Prioris Alionis ante ecclesiam de Saconay. Præsentibus et testibus eodem Præposito et Petro Cantore, Petro Sapere et Amedeo de Altavilla canonicis ejusdem Ecclesiæ Gebennensis, Alberto capellano de Saconay et multis aliis. » Idem Aymo Episcopus, nisi sint duo

ANNUS 1195

ejusdem nominis, variis in titulis reperitur rebus nostris fa-visse ab anno 1219 ad annum 1257 quo, mense Augusto, approbat confirmatque cum Jacobo de Vileta milite, donationem Cartusiensibus olim factam de quodam prato apud Saconay per Guillermum de Villeta, sigillum literis apponente altero Aymone sacrista ecclesiæ Cathedralis. Ei successisse videtur Henricus, sive Huricus, ex regimine cartusiæ Portarum assumptus, et quidem eodem anno quinquagesimo septimo, ut conjicimus ex Cartulario Portarum, ubi reperitur præfuisse ab anno 1253 ad an. 1257. De eo et ejus successoribus plura alibi dicemus.

S. STEPHAN. PRIOR PORTARUM SIBI INFENSOS NOBILES RECONCILIAT.

V. Hoc denique anno Stephanus Portarum Prior quosdam Nobiles suæ domui infensos, piis adhortationibus ita sibi et suo conventui reconciliavit, ut querelis quas Portensi cartusiæ faciebant depositis, bona etiam sua eis impertierint. Id patet ex instrumento inde confecto sub tali forma :

Cartular. 1. Dom. Portar. fol. 6.

« Notum sit omnibus quod Willelmus de Langiis et Berlio de Langiis, et Guerricus de Monteferrandi, et quatuor fratres de Monteferrandi, videlicet Ilio, Guichardus, Guido et Lambertus guerpiverunt omnes querelas quas moverant contra Domum Portarum ; et insuper dederunt prædictæ Domui pascua animalium in omnibus possessionibus suis imperpetuum. Et hæc omnia facta sunt in præsentia Stephani Prioris et Conventus Portarum, anno consecrationis Rainaldi Lugdunensis archiepiscopi, filii Hugonis Forensis comitis. Testes sunt idem Stephanus Prior, Stephanus de Attavo, Petrus de Sanctonis, Hugo de Vireio, Rostagnus de Colungiis, Anselmus de Viniaco, Willelmus de Crimiaco, Johannes Berengarii, Ansejerius, Hugo de Daignis, Johannes de Baingnuels, omnes Portarum Monachi ; Conversi vero Domus ejusdem, Willelmus Frescherius, Hugo de Arandato, Bernardus de Vareio, Petrus de S. Laurentio ; et Uldricus monachus S. Regneberti, Aimo Pinet laicus, Choslandus, et quidam alii. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1196.

Cœlestini PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 6.	Ann. 113.	Ann. 17.

I. SEQUITUR annus salutis millesimus centesimus nonagesimus sextus, Indictione decima quarta, quo Raynaldus de Forest Lugdunensis archiepiscopus et venerabile ejusdem Ecclesiæ Capitulum, Ordinem Cartusiensem plene ac plane ab omnibus eximunt civitatis Lugdunensis pedagiis; Stephano Portarum Priore et Terrico Sylvæ Benedictæ Converso ex Friderici Imperatoris sanguine deprecantibus. Hujus exemptionis literæ extant in secundo Portensis cartusiæ Cartulario sub hac forma:

ECCLESIA LUGDUNENSIS BENEF. CARTUSIENSIUM.

« Raynaldus Dei gratia primæ Lugdunensis Ecclesiæ minister humilis, et totum ejusdem Ecclesiæ Capitulum, dilectis in Christo filiis universis Cartusiensium Prioribus, et generali ejusdem Ordinis Capitulo, salutem in Domino. Postulationes justas petentium et honestas, et quæ pietatis opera respiciunt ac salutis, gratanter volumus amplecti, et eis ut optatum sortiantur effectum, benigno cordis assensu gratam conniventiam libenter impartimur. Ea propter carissimi in Domino filii, petitionibus vestris, quibus consideratione honestatis et sinceritatis, quam ad vestrum universos et singulos atque ad Ordinem vestrum specialiter habemus, esse non possumus indevoti : tum quia dilecti nostri Stephanus Prior Portarum et Fr. Terricus Conversus pro hoc obtinendo nobis instantius supplicarunt, tum maxime et præcipue pro reverentia Ordinis vestri et animarum nostrarum salute, tam

Ex Cartular. Dom. Port. 2. fol. 203.

ANNUS 1196

misericorditer quam liberaliter duximus annuendum. Vobis igitur et universis Ordinis vestri nunc professis vel in posterum professuris, concedimus in perpetuum, ne de his quæ in civitate nostra, castellis et villis nostris, ad usum vestrum emere vel vendere volueritis, vel aliunde de rebus emptis vel vobis concessis ad quamlibet Domorum vestrarum per eamdem civitatem castella et villas nostras transduxeritis, a nobis vel nostris, nomine leidæ vel peagii vel alicujus omnino usagii, aliqua fiat exactio, sed ea vobis et vestris, absque omni exactionum jure, de eadem civitate libere concedimus transvehenda. Et ut talis donatio perpetuis temporibus inconcussam habeat firmitatem, præsentem inde vobis concedimus Chartulam sigillorum nostrorum impressione munitam et roboratam. Actum anno ab Incarnatione MCXCVI. »

Hactenus Raynaldi literæ, quas etiam e Cartusia habitas Swertius retulit. »

ITEM ODO DE TURNONE.

II. Circa eadem quoque tempora, illustris dominus Odo de Turnone simile toti Ordini privilegium concessit, et insuper triginta tres *Lampredas,* ut vocat, Majori Cartusiæ annuatim largitus est, ut ex subjectis tabulis apparet :

« Notum sit omnibus præsentibus et futuris, quod ego Oddo de Turnone dono pro me et animabus parentum meorum Fratribus Cartusiæ, ut nec ipsi nec Fratres Domorum quæ eis subjectæ sunt, nec eorum animalia nec aliqua eorum mobilia, donent aliquas exactiones pedagiorum vel leidarum, vel pontonagii, vel aliquos usuales redditus, dum per terram meam transierint, ex hoc nunc in perpetuum ullo modo. Dono præterea annuatim Dominis Cartusiensibus quartam partem lampredarum, quæ capiuntur in ripis meæ dominationi suppositis, donec triginta tres lampredas receperint. Quod, si solutum non esset tempore Rogationum, tunc absque dilatione solverentur. Et ego me persoluturum quamdiu vixero promitto, et ad idem faciendum successores meos astringo. Hunc autem censum percipiet nuncius eorum aut quælibet persona, quam Domini Cartusienses ad capiendum instituerint. Et ut firmum hoc immotumque permaneat, si-

gillo meo proprio præcepi hanc Chartulam roborari. Et ego Falco Valentinensis episcopus, precibus suprascripti Oddonis, ad perpetuam rei memoriam præsenti scripturæ sigillum meum jussi apponi. Datum Valentiæ, sexto Calendas Februarii. »

ANNUS 1196

Annus non designatur in his literis, sed ex Falcone episcopo Valentinensi ibidem nominato, eas datas fuisse colligimus ab anno 1189 quo Falco sedere incœpit, usque ad annum 1199 quo vivere desiit.

JOANNES QUOQUE EPISC. GRATIANOPOLIT.

III. Hoc eodem quem agimus anno, Joannes episcopus Gratianopolitanus libertatis Majoris Cartusiæ studiosus, sequentes in ejus favorem literas conscripsit :

« J. Dei Gratia Gratianopolitanus dictus episcopus, dilecto suo filio J. Priori Cartusiæ venerando et qui cum eo sunt Fratribus, salutem et sinceræ dilectionis affectum. Bonis consuetudinibus, Fratres carissimi, quibus prædecessores nostri et nos in Domo vestra hactenus usi sumus juxta compositionem inter nos et vos factam, contenti esse volumus et debemus. Si autem in posterum nos vel successores nostri abutentes potestate nostra, occasione hujus compositionis Domum vestram gravaremus, et moniti nollemus desistere, liberum sit vobis uti omni jure vestro et privilegiis a Sede Apostolica impetratis, non obstante forma dictæ compositionis. Actum hoc anno MCXCVI, mense Julio, Cœlestino Papa pie præsidente, Henrico Romanorum Imperatore feliciter regnante. »

Quæ fuerint istæ compositiones de quibus in præfatis literis, et quandonam factæ, dici non potest, cum modo non reperiantur in Cartusiæ Tabulario.

S. STEPHANUS FIT DOMUS PORTAR. PRIOR.

IV. Circa hæc tempora, S. Stephanus Portarum monachus factus est ejusdem Domus Prior, in locum alterius suffectus Stephani de quo sumus ante aliquot annos locuti. Beati viri electionem commemorat Vitæ illius autor post verba ante viginti annos relata, sic dicens :

« Demum dum miles Christi in tali palæstra solitarius et cellicola, plurimis jam lustris infernalem gloriam victoriose debellasset, jam plumis bene alatis suffultus, dignissimus re-

ANNUS 1196

putatur ad volatum. Per mortem enim seu absolutionem Pastoris dictæ Eremi Portarum, a cunctis licet invitus et renitens eligitur in Pastorem. Qui quam strenue et prudenter, quam sollicite, regulariter et zelanter rexerit domum Dei, evellendo vitia, plantando virtutes, non facili stylo describi valeret. Exemplo enim et verbo pugnando, Israelitici populi dux non immerito videbatur effectus. Tanquam enim propriam salutem, suorum per omnia profectum zelabat et pacem. Ipsius doctrina et magisterio cunctis in Eremo Portarum perfectæ religionis exempla dabantur ; unde omnes sanæ instructionis documenta reportabant, ac piæ devotionis replebantur affectu. Hinc subito non solum per totam patriam hujus tam sancti Pastoris fragrantia suaviter volitabat, verum etiam ejusdem terminorum limites pertransibat. Non solum autem subditis suis, sed et multis prodesse curavit. Nam adventantibus hospitibus animarum salutem quærentibus, quos frequenter ea Domus habebat, cibum vitæ ministrabat, multique ejus sanctis monitis ad viam salutis sunt reducti. »

Hactenus Acta S. Stephani. Quomodo vero electus fuerit in Diensem episcopum, anno 1202 dicemus.

S. HUGO ECCLESIÆ SUÆ JURA CONTRA REGEM TUETUR.

V. E Galliis in Angliam transfretantes, S. Hugonem invenimus occupatum in jure tuendo patronatus sibi in abbatia Egneshamensi Ordinis Benedictini competente, quod Rex Richardus ei conabatur, post mortem Godefridi abbatis hoc præsenti anno defuncti, præripere. Quanta vero animi magnitudine, quantisque laboribus contra ipsum Regem causam suæ Ecclesiæ generosus Præsul persecutus est, ex ipsius Actis accipe.

Lib. 4. cap. 8.

« Viro itaque sancto hoc ordine liberato, et laqueo venantium nutu Dei contrito, invidia perversorum (quæ utique superari potuit, quiescere a consuetis malitiæ suæ artibus nescivit) iterum Viri simpliciter gradientis pedibus novas struit pedicas, iterum recentes molitur insidias. Novis siquidem fraudum cumulis, ad antiqui juris Ecclesiæ suæ haud leve præjudicium conatur subrepere. Cum enim ab adventu Normanorum in Angliam bellico sibi jure superatam, per annos

centum et eo amplius Ecclesia Lincolniensis continue et inconcusse usque ad id temporis patronatum gesserit Egnessini monasterii, hanc ei dignitatem subripere maligni quidam pertinaciter sunt aggressi. Beatus sane Pontifex Remigius (quem in brevi post triumphatam insulam gloriosum habuit Cathedralis Ecclesiæ Lincolniensis fundatorem), vastatam Abbatiam, fugatis hostili metu Fratribus, reformavit prænominatam ; quam sibi autoritate regia inclytus triumphator Willelmus ita confirmasse dicebatur in propriam, ut præter ipsum Episcopum et ejus successores, nulla in eam vindicare præsumeret ecclesiastica seu laicalis persona quamcumque dominationem.

ANNUS 1196

Egneshamense monasterium juris ecclesiæ Lincolniensis.

Restituitur a Remigio episcopo Lincolniensis ecclesiæ fundatore.

VI. « Accidit ut anno Præsulatus decimo Beati nostri Hugonis, venerandus hujus cœnobii Rector et Abbas migraverit ad Dominum, nomine Godefridus ; qui a diebus regis Stephani, usque ad tempora regni penultima Richardi filii Henrici regis, annis circiter quadraginta quatuor loco eidem præfuisse noscitur. Quo Episcopus audito, misit juxta morem antiquum, unum ex suis Clericis qui Abbatiæ custodiam in manus suas reciperet, ac rerum monasterii una cum Fratrum diligentia sollicitudinem gereret, quousque Abbatis instituendi canonica electio celebrari potuisset. Cæterum tam vacantis custodiam Abbatiæ, quam substituendi Abbatis debitam facultatem, qui regiis in Anglia præerant negotiis Episcopo nitebantur auferre : nam Rex ea tempestate in transmarinis confligebat cum Francorum Rege. Quamplures itaque viri prudentes et Episcopum sincere diligentes, persuadere ei conati sunt ne, ut dici solet, contra ictum obadversantium atque potentiam, interim brachia minus valida inaniter fatigando exerceret. Asserebant namque Regis genitorem Henricum, generali constitutione decrevisse ut universæ Regni Abbatiæ in sua manerent dominatione ; nec fore æstimabant credendum, ut contra patris decretum filius (eo ut videbatur in multis pertinacior) gaudere eum sineret privilegio, avitis licet temporibus obtento. Denique negotium laboris plenum, modice fructuosum, multimode damnosum, nullatenus mone-

GODEFRIDUS ABBAS EJUS MORITUR.

S. Hugo vacantis Abbatiæ custodiam sumit.

ANNUS 1196

bant attentandum. Metiendum etiam cum labore fructuoso laborum fructum suggerebant, nec maxima subeunda rerum immutabilium dispendia, quæ jam certius prævidérent ex hac controversia sibi suisque emersura ; ubi quod attendebat spes esset assequendi fere nulla, forte etiam assecuta, utilitas parva.

Nec a proposito dissuaderi potest.

« Talia suggerentibus Vir singularis confidentiæ miræque discretionis confestim respondit : Absit ut mortalium quispiam præsumat statuere tale decretum, unde Deo nostro et beatissimæ cœli Reginæ quod suum est auferri prævaleat. Hujusmodi leges, etsi justæ essent, futuris duntaxat negotiis formam darent, non* etiam convellerent statuta priorum. Quis vero Prædecessorum meorum tali subscripsit decreto, quo solo posset juri non immerito præscribi eatenus ab eisdem possesso ? Absit enim ut persona cujuscumque laicalis præeminentiæ statutum ecclesiasticæ libertatis infringat privilegium. Mihi vero non contingat ut qualiscumque timore potestatis, seu quantæcumque formidine difficultatis, jus Ecclesiæ Dominæ meæ, quantum in me est deperire sinam ? Cum enim sit satis pudendum a majoribus acquisitas, ab antiquis defensas, non etiam augere dignitates sanctæ Ecclesiæ atque libertates ; quantum est probrosum si ex inertia inutilis atque ignavi Rectoris a suæ integritatis statu decidant, quæ per strenuum dispensatorem augmentari ac in melius provehi debebant. Talia prosequens continuavit duobus et semi annis, nec sumptibus nec proprio sudori parcens, tum pro expedienda libertate canonici status præfati monasterii, tum pro tuenda dignitate sua, invictissime tam contra ipsum Regem quam contra plerosque subdolos clam sibi adversantes, cis citraque mare decertans. Tandem favente Domino, celebri potitur triumpho. Recognito namque per sacramentum viginti quatuor fide dignorum clericorum pariter et laicorum, quid juris habuissent Prædecessores sui in illo cœnobio, adjudicatur ei ejusdem patronatus in Regis curia.

* tamen.

Tandem jus patronatus sibi asserit regio decreto.

AD EAMDEM ABBATIAM SE TRANSFERT.

VII. « Hinc ei restituitur Abbatiæ vacantis custodia, præficiendique Abbatis jurisdictio plena et absoluta. Post quæ ad

ANNUS 1196

eam in propria accedens persona, per dies octo mansit in ea cum Fratribus loci tamquam benignissimus Pater cum filiis charissimis, ingrediens et egrediens cum eis, in communi refectorio pariter convescens, eosque vino jucunditatis et dapibus suæ largitatis copiose reficiens. Tractabatur interea jussu ejus in Conventu super electione futuri Abbatis. Expleta vero hebdomada una, accitis Abbatibus vicinis aliisque Religiosis viris, præsentatur electio Monachorum Episcopo sancto, ac solemniter confirmatur ab ipso. Quibus rite gestis Pastor egregius Lincolniam proficiscitur; ibique in cathedrali ecclesia, Egnessiniensis electus cum favore cunctorum atque lætitia ejus benedictione sacra in Abbatem honorifice promovetur; instructoque solemni convivio tam clericis quam Abbati et monachis suis, discumbebat utriusque cohortis dux inclytus in medio eorum; mirum in modum gaudens et exultans in Domino, eo quod instar Pastoris summe boni, alias oves adduxisset quæ essent ex ovili alio, ut efficeretur de cætero unus grex iste et illæ oves; et esset utriusque unus Pastor qui sic mutuo sibi Ecclesiam et Abbatiam confœderasset, ut foret perpetim utraque unum. Dedit quoque Abbati novo virgam pastoralem argento et ebore pulchre vermiculatam, cum scypho ingenti atque insigni. Locum etiam ipsius commissum regimini pluribus ampliavit beneficiis et donariis decoravit, ac paterno semper affectu tam ipsum quam gregem subditum fovit et dilexit. »

Electioni præest, eamque confirmat.

Electum abbatem consecrat.

Et donis honorat.

Hactenus ex Actibus S. Hugonis; ubi autor nihil de præfato jure profert quod non sit verissimum, ut potest ex *Anglicano Monastico* probari. Ibi enim legimus Abbatiam hanc circa annum 1005 fundatam, postea a Remigio Lincolniensi episcopo instauratam fuisse anno 1091, datis literis a Rege Guillelmo confirmatis, quibus prohibet ne « ullus mortalium dominationem in eam aliquam exerceat, excepto Lincolniensi Antistite, cui Ecclesiæ cum suo Pastore quicumque sit, cœterisque sibi beneficiis ob multorum fidelium animarum remedium impensis, juxta veterum Patrum traditionem, utpote Domino, imo ut Conditori, in æternum sub-

ANNUS 1196

jacebit. » Et in literis Henrici I datis anno 1109, declaratur quod hæc Abbatia tota est in manu et potestate Lincolniensis Episcopi constituendi Abbatem canonice, assensu et consilio Regis. Ex quibus patet S. Hugonem merito jus suæ Ecclesiæ in præfatam Abbatiam tuitum fuisse.

GERARDUS DE PODIO BOSONIS CONVERSUS CARTUSIÆ MORITUR.

Ex mss. Dom. Bonæfidei.

Vita mss. S. Antelmi et apud Surium.

V. sup. ad an. 1185 et 1187.

Ex mss. Dom. Montis Dei.

VII. Circa hæc tempora pie decessit F. Gerardus de Podio Bosonis Majoris Cartusiæ Conversus, olim potens ac dives in seculo, cujus industria ad novas Domos recipiendas sæpe Patres usi sunt. A Basilio Generali in Velauniam cum aliis e Cartusia missus, in jaciendis spiritualis ædificii fundamentis novæ Bonæfidei plantationi non parum profuit. S. Antelmo creato Bellicensis Ecclesiæ episcopo comes traditus, ejus in piis operibus adjutor fuit; cum quo jamjam morituro Comitem Sabaudiæ reconciliavit. Hunc et alium Conversum Cartusiæ, Aymonem nomine, Vitæ præfati sancti Præsulis autor genere nobiles appellat, sed humilitatis ac fidei firmitate nobiliores. Ejus obitus in veteri matris Cartusiæ Calendario reperitur ad septimum Idus Martis, anno incerto. Hunc quidam confuderunt cum altero Gerardo de quo ante novem annos diximus, sed binos fuisse deteximus ex literis pacis inter Abbatiam Bonævallem et Majorem Cartusiam initæ anno octogesimo quinto hujus seculi, in quibus F. Gerardus de Podio Bosonis inter testes legitur, quo certe tempore alter Gerardus in regno Angliæ apud Domum Withamiensem degebat.

JESU CHRISTI

ANNUS 1197.

Cælestini PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini P. Cartus.
Ann. 7.	Ann. 114.	Ann. 18.

I. ANNUS Christi millesimus centesimus nonagesimus septimus, Indictione decima quinta, ordine sequitur, quo Cœlestinus Papa pulsatus Conventrensium in Anglia Monachorum querelis, cognita tandem causa, sententiam rescidit a Papa Clemente prædecessore suo subreptitie extortam, datis ea de re ad Archiepiscopum Cantuariensem et S. Hugonem Lincolniensem literis, quibus et purgatur calumnia successori Innocentio Papæ tertio a Matthæo Paris irrogata. Has Baronius integras ex Rogerio Annalibus suis intexuit.

S. HUGO ITERUM A PAPA LEGATUR.

Dum vero simul Archiepiscopus et Episcopus congregati mandatum Summi Pontificis exequuntur, S. Hugo occasionem nactus cœpit, ut jam olim fecerat juxta sibi factam admonitionem, de qua ante sex annos (licet serius forsan eam acceperit), collegam suum hortari ut suos suique Cleri mores corrigeret, relictisque Curiæ Regiæ negotiis quibus plusquam decebat Præsulem incumbebat, pontificalis officii studio magis assidue indulgeret. At ille inde dolore percitus interiori, occasionem quærebat injuriam, quam sibi putabat inferri, reponendi. Exeunte itaque præsenti anno, sive ut ejus Vitæ loquuntur Acta, uno anno et mensibus fere quatuor antequam Richardus rex moreretur (mortuus est autem anno 1199, die Aprilis 12), cum præfatus Archiepiscopus convocatis Regni Comitiis, pecunias nomine Regis in belli subsidium

Archiepiscopum admonet de corrigendis moribus.

V. supra ad an. 1191.

ANNUS 1197

ab ipsis Episcopis exigeret, ita egit S. Hugo suis rationibus ut res effectu caruerit. Id igitur graviter accipiens Archiepiscopus, concito gradu ad Regem abiit, multa de S. Episcopo conquesturus. Sed rem ab ovo resumamus prout ab illius Vitæ autore narratur.

L. 5. cap. 5.

« Sed cum solito crebrius, inquit, metropolitanum suum, solitoque instantius Vir Dei, post factam sibi divinitus admonitionem, hortaretur quatenus, omissis parumper quibus indefessus adhærebat curis secularibus, studio potius intenderet Pontificalis officii quam Reipublicæ administrationi, animum ejus ad gravem contra se excitavit simultatem. Suæ vero subditos jurisdictionis, tam clericos quam presbyteros, ipse totis viribus per seipsum et per Officiales suos ad vitæ rectioris tramitem et disciplinæ clericalis honestatem revocavit. Nihil enim de paterna sollicitudine omittens, languidis sibi commissorum moribus infundebat oleum et vinum, ut severitas coerceret districtionis quos curare non poterat lenitas pietatis. Quantum vero sudaverit quantumque profecerit ad subditorum correctionem, in hac gemina Ecclesiasticæ dispensationis exhortatione, non est facultatis nostræ prout dignum est exponere ; cum hæc etiam peritissimorum ingenia vix multis sufficerent voluminum prolixitatibus enodare.

BENEFICIA NON NISI VIRIS DIGNIS CONFERT.

II. « Ecclesias vero diœcesis suæ in omnibus pro posse suo ad statum curavit debitum erigere. Admittebat sedulo ad earum regimen viros scientia et vita commendabiles, iis vero destitutos ab earum ingressu pro viribus repellebat; in qua nimirum intentione quanto duceretur zelo ex ipsius verbis melius perpenditur, quibus de seipso ita sæpissime fatebatur : Miror, inquit, quosdam gaudere cum vacant præbendæ Ecclesiæ, quas pro libitu possint novis possessoribus conferre. Vera enim de meipso loquor, quod nihil unquam in hac vita animum meum ita afflixit, ut anxia sollicitudo personas idoneas eligendi aut discernendi, quibus congrue possit regimen vacantium præbendarum aut dignitatum Ecclesiæ nostræ committi. Nec quidquid mundanum adeo me contristavit, ut error quo, ad multorum sæpe commendationem, talibus ec-

Quanta illius afflictio in sollicitudine ecclesiarum suarum.

clesiastica concessi beneficia, quos frustra credidi in canonicis disciplinis esse strenuos, dum eos postmodum Ecclesiæ ditatos bonis morum perversitas responderit fuisse ignavos. Et in hunc quidem modum sibi a quibusdam fuisse subreptum, non sine gemitu querebatur. Verum novimus eum pro hujusmodi errore cavendo, alicui suorum collateralium de cujus sinceritate non parum confidebat, specialiter injunxisse ut si quid vel tenuiter sensisset vel audisset sinistri de aliquo quem in Ecclesia sua beneficiare disponeret, hoc ei nullatenus celare præsumeret; non quod ipse incertis de aliquo rumusculis fidem esset habiturus, sed ut a dubiis etiam certa quandoque eliceret, et conceptum ex incertis quoque laudibus favorem interim temperaret, quousque discussa super auditis veritate, inoffenso mentis judicio, quod ratio dictaret liberius exequeretur. Plurimis vero Deum, ut sperabat, timentibus viris atque discretis injunxit, ut personas moribus et doctrina probatas, quas in gremio Ecclesiæ suæ opportunitate concessa colligeret, suæ notitiæ diligenter exploratas intimarent. Sed væ infelicitati humanæ infirmitatis et ignorantiæ! Nam ex illis plerique, pro affinitatis ac cujuslibet necessitudinis ac familiaritatis obtentu, culpandos ei potius satagebant commendare, quibus interdum et ille non distulit, quamvis infideliter contra se imo contra Deum agentibus, fidem accommodare. Ita ergo se aliquoties circumventum a quibusdam sciebat et gemebat, tantamque hominum infidelium perversitatem, qua Dei patientia suaque simplicitate purissima abusi fuissent, magna de cætero cum detestatione abhorrebat, et a suis quantum licuit consiliis sequestrabat. Verum hoc eo agente, et de lucris dominicis ex acquisitione fidelium animarum studiosius satagente, non quieverunt contra eum virulenta serpentis antiqui molimina. Sed ne tædium generet lectori paginæ res singulas prout gestæ sunt prosequentis affluentia, plurimis missis, ea summatim ex iis quæ acciderunt exprimimus, quæ præsenti opusculo magis credimus opportuna.

Singularis ejus prudentia in delectu personarum.

Semper illi fortiter agenti sese objiciunt obstacula.

REGI SUBSIDIA A CLERO PETENTI SE OPPONIT.

III. « Uno igitur anno et mensibus quatuor ante mortem

ANNUS
1197

suam, rex Angliæ Richardus in gravem contra ipsum exarsit iram, tali de causa. Siquidem, ipso Rege in transmarinis agente ac contra regem Francorum Philippum acriter præliante, coacta est, vocante Archiepiscopo Cantuariensi Huberto, ad generale colloquium universitas Magnatum totius Angliæ ad Exonefordiam;

Comitia regni aguntur.

quibus Archiepiscopus, qui vice Regis publicis præsidebat negotiis, regias exposuit necessitates, qui sumptibus et militantium copiis inferior contra Regem dimicaret potentissimum, ad suam exhæredationem et perniciem totis nisibus aspirantem. Postulat demum quatenus decernant in commune, quo genere auxilii Domino suo tam in arctis posito valeant subvenire.

Subsidium ex parte Regis petitur.

Jam vero definitum erat ab his qui regiis ex toto nutibus ducebant parendum, ut Barones Angliæ, inter quos et Episcopi censebantur, trecentos milites Regi exhiberent, qui suis sumptibus ei per annum integrum contra hostes transmarinos indesinenter dimicarent. Requisito super hoc in cœtu illo Lincolniensis Episcopi assensu, ipse tacitus secum deliberans paulisper (cum prius tam Primas Cantuariensis quam alter quidam Episcopus, Londoniensis Richardus qui et Decanatus privilegio fungebatur inter Episcopos, se suos et sua regiæ per omnia necessitati expposituros pronuntiassent), ita citius respondit :

Richardus Episcop. Londoniensis.

Recusat Hugo quidquam præstare.

Nostis, ait, o viri prudentes et nobiles qui inpræsentiarum adestis, me in partibus istis advenam esse, et de simplicitate conversationis eremiticæ ad officium episcopale assumptum. Cum igitur Ecclesia Dominæ meæ sanctæ Dei genitricis Mariæ dudum imperitiæ meæ ad regendum fuisset commissa, consuetudines illius et dignitates, debita etiam et onera solerter addidici, in quibus conservandis sive exhibendis, hactenus fere per tredecim annos a rectis Prædecessorum meorum vestigiis non recessi. Scio equidem ad militare servitium Domino Regi, sed in hac terra solummodo exhibendum, Lincolniensem Ecclesiam teneri; extra metas vero Angliæ nil tale ab ea deberi. Unde mihi consultius arbitror ad natale solum repedare et eremum more solito incolere, quam hic Pontificatum gerere et Ecclesiam mihi commissam,

antiquas immunitates perdendo, insolitis angariis subjugare.

ANNUS 1197

IDEM FACIT HEREBERTUS SARISBERIENSIS EPISCOPUS.

IV. « Hoc ejus responsum satis ægre accipiens Archiepiscopus, suppressa paululum voce, trementibusque præ indignatione labiis, adjecit a Saresbirensi episcopo nomine Hereberto inquirere quidnam et ipse animi haberet super auxilio Regi prospiciendo. Qui ad inquisita sic paucis respondit : Videtur mihi quod, citra Ecclesiæ meæ enorme præjudicium, aliud a me neque dici vel fieri, quam quod faciendum esse ex responsione Domini Lincolniensis modo audivi. Ad hoc nimium indignatus Archiepiscopus, primum in Lincolniensem verbis amarissimis stomachatus, soluto consilio nuntiavit Regi per ipsum caruisse effectu negotium ipsius. Quo Rex jam secundo et tertio per nuncios Archiepiscopi accepto, in ira et furore magno universa quæ erant Episcopi præcepit quantocyus confiscari. Illud idem mandavit et de Saresbirensi Episcopo fieri, qui Lincolniensis Episcopi definitionem suo assensu comprobasset. Quid multa ? Episcopus Saresbirensis confestim proscribitur, veniensque ad Regem, post injurias, damna atque vexationes et plurimas contumelias, vix tandem maxima pecuniæ summa pacem et possessiones redemit. In res vero et possessiones Lincolniensis Episcopi nemo præsumpsit manus extendere, dum et offensam ejus metuunt incurrere. Anathema vero illius subire non aliter quam capitale supplicium formidabant. Protrahitur interim tempus a festo pene sancti Nicolai æstivalis usque ad Calendas Septembris, Rege crebro mandante ut proscriberetur Episcopus. »

Bona utriusque jussu Regis confiscantur.

Herebertus sua redemit.

« Is et regiis executoribus id exequi nulla ratione præsumentibus, tandem motus eorum maxime precibus quos edicta urgebant regalia ut res illius jure fisci occuparentur, transfretavit ad Regem, ad quem mediatore nullo utens, per seipsum confidenter accessit ; reperiensque illum in capella novi castelli Rupis de Andely, audientem Missarum solemnia in die Doctoris eximii S. Augustini, continuo salutavit eum. Stabat vero ipse Rex secus introitum ostii in solio regali, et duo Episcopi, Dulniensis * scilicet et Heliensis, stabant secus pedes ejus. Cum ergo salutasset Regem Episcopus, ipse

Hugo ad Regem pergit in Normanniam.

* Dunelmensis.

ANNUS 1197

non respondit ei verbum ; sed cum illum parumper torvis fuisset oculis intuitus, faciem ab eo avertit. Cui Episcopus constanter ait : Da mihi osculum, domine Rex. Qui magis avertit aspectum ab eo, vultumque et caput in partem aliam declinavit. Tunc Episcopus circa pectus vestem illius fortiter constringens, hanc vehementer concussit iterum dicens : Osculum mihi debes, quia de longinquo ad te venio. Rex ad hæc : Non, ait, meruisti ut osculer te. Qui fortius concutiens eum per capam quam stricta tenebat manu, confidenter ait : Imo merui, et adjecit : Osculare me. Tunc ille admiratus fiduciam constantiæ ejus, paululumque subridens osculatus est eum. Aderant ibi duo Archiepiscopi et Episcopi quinque, qui inter solium Regis et gradum altaris constiterant. Qui non procul a Rege Præsulem de Rege jam triumphantem inter se accersire cupientes, locum ei sessionis fecere. Quos ipse directe pertransivit, ac secus cornu altaris gressum figens, dimissis obstinatius in terram luminibus, divinorum tantummodo celebrationi animo intendebat. Quem interea Rex non parum curioso et pene continuo aspectu considerabat. Cum ergo ad trinam invocationem Agni qui tollit peccata mundi, jam pacis osculum sacerdos dedisset cuidam Archiepiscopo qui Regi de more pacem erat allaturus, Rex usque ad gradus ei obvius processit, susceptumque ab eo signum acceptæ pacis per immolationem cœlestis Agni, cum humili reverentia Episcopo Lincolniensi per oris sui osculum porrexit. Ita Princeps ille illustrissimus venerationis obsequium quod sibi Archiepiscopus parabat deferre, ipse potius Episcopo sancto studuit exhibere. Nam ad ipsum alacriter perrexit, et nil tale suspicanti et attentius Deo supplicanti, honorem ipso Domino utique id disponente impendit, ut impleretur quod Dominus ait : Glorificantes me glorificabo.

Osculum ab eo jocose petit.

Pax inter divina inter utrumque conciliatur.

DE GRATIA REGIS NON INFLATUR.

Ubi supra c. 6.

V. « Quod Hugo, inter quælibet læta et tristia, inter cuncta prospera et adversa, Domini semper gloriam quæsierit, cum tota indesinenter vitæ illius series docuerit, etiam id quod sub articulo hujus de quo loquimur diei gessit, luce clarius pate-

fecit. Nam cum post terrores multiplices ac vexationum plurimarum acerbitates ei diutius intentatas, subito et insolito eum sublimitas regia honorare dignata fuisset, soliditas pectoris ejus neutro tentationis jaculo vel ad momentum cessit, quominus calcata humani favoris gloria, hoc indeclinabiliter exequeretur quod profuturum ad Dei gloriam sagacissimo mentis acumine prævidisset. Explicito itaque superius memorato sacri altaris officio ad Regem accessit, super indignatione ipsius contra se citra meritum suum excitata, pauca sed fortia expostulavit ; et quod in illum nihil penitus aliquando deliquisset, evidentissima ratione propalavit. Quibus Rex cum in contrarium nihil referre potuisset, crimen hujus offensæ in Cantuariensem retorsit Archiepiscopum, qui sibi multoties sinistra de eo litteratorie suggessisset. Quæ simul veritate vacua fuisse, promptissima rationum facilitate convincens Episcopus : O Rex, inquit, honori Dei et saluti animæ meæ ac tuæ, tuisque utilitatibus nunquam prorsus vel in modico obviavi. Ita indignatione regia sedata, regiis xeniis Episcopus honoratur, et a Rege hospitandi gratia, in castellum quod vocitabatur *Portus gaudii*, * quod ipse recenter construxerat in quadam insula non procul sita, destinatur. Rogabat vero ut die sequenti ad se veniret, et ita cum gratia et favore suo ad propria post iteratum cum eo colloquium remearet. Quod ille gratanter audiens se in crastino reversurum promisit.

ANNUS 1197

* Portinjoye

« Verum pro salute animæ ipsius pastorali pietate pie curiosus, apprehensa ejus manu a sede sua ipsum elevans, pertraxit seorsum usque ad locum prope altare. Ibi denique sedere eum monens, cum et ipse pariter sederet, sic eum secretius alloquitur : Noster es, inquit, parochianus, Domine Rex, nobisque ratione pastoralis curæ pro anima vestra, quam universitatis Dominus proprio redemit cruore, in tremendo ipsius judicio respondere oportebit. Volo igitur ut mihi dicatis qualiter se habeat status interior animæ vestræ, ut ei consilium vel auxilium, prout superna adjuverit aspiratio, efficaciter possim adhibere ; jam enim unius anni spatium elapsum est

Regi monita dat salutis.

ANNUS 1197

ex quo vobis alias locutus fui. Cui cum Rex diceret conscientiam suam sibi bonam esse fere in omnibus, nisi quod odio laboraret hostium quos injuriosos pateretur et nequiter infestos; Episcopus ait : Si per omnia Dominatoris omnium gratiæ placueris, facile inimicos tuos aut pacatos efficiet aut expugnatos subjiciet, verum summopere tibi cavendum est ne tu, quod absit, Autori tuo in aliquo injuriosus existas, ac etiam in proximo quidpiam inique committas ; dicit enim Scriptura quod : Cum placuerint Domino viæ hominis, etiam inimicos ejus convertet ad pacem; cum de contrario alibi dicatur: Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos; et iterum Vir sanctus de Domino dicit: Quis unquam restitit ei et pacem habuit? Qua in re, de te vero, quod quidam mœstus loquor, jam publicus rumor est quod nec propriæ conjugi maritalis tori fidem conservas, nec Ecclesiarum privilegia, in præficiendis maxime sive eligendis earum Pastoribus, illibata custodias. Dicitur enim, quod sane peculiare crimen est, quod pecuniæ seu favoris interventu, quosdam ad regimen animarum promovere soleas. Quod procul dubio si verum est, pax tibi a Domino concedi non potest. De iis itaque Regem pro tempore admonitum diligenter et instructum, et de aliis quidem se penitus excusantem, de aliis opem intercessionis suæ sedulo flagitantem cum benedictione dimisit, et ad hospitium sibi regia provisione delegatum lætus secessit.

Proverb. 16. 7.

Sapient. 5. 21.

Job 9. 4.

A REGE LAUDATUR.

VI. « Rex interea de eo cum suis loquens et virtutem animi ejus multa laude concelebrans : Vere, inquit, si tales, qualis iste est, essent passim et cæteri Episcopi, nullus contra eos Regum ac Principum attollere præsumeret cervicem. Tunc ei a suis suggestum Consiliariis fuit, quatenus per eum in Angliam literas destinaret, in quibus a magnatibus terræ alicujus modi subventionis auxilium flagitaret. Quas ea de causa illum deferre potissimum consulebant, quod procul dubio favorabilius a cunctis exciperentur, si per tantum sibi nuncium allatæ fuissent. Nonnulli etiam sperabant hoc Episcopum libentius executurum, ut inde regio favore ulterius

commendari potuisset. Verum ut ait Sapiens : Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum. Protinus siquidem per Regis domesticos omnia hæc sibi innotuerunt ; suggerentibus autem sibi Clericis quatenus in re tam facili pareret alacriter regiæ voluntati, ille cum magna aspernatione verba eorum respuit dicens : Absit hoc a me ; nec enim proposito, sed nec officio meo istud congruere potest. Non est meum portitorem fieri regalium literarum. Non est, inquam, meum exactionum hujuscemodi vel in modico existere cooperatorem. Num latet vos quod semper velut nudato ense supplicat iste potens ? Et hæc præsertim potestas cum petit jugiter, premit. Verbi gratia nostis quod blandis quidem sollicitationibus primum alliciant, quos demum asperrimis coactionibus non ad quod ipsi volebant, sed ad quod sibi placuerit conferendum impellant. Sæpe etiam invitos id exequi cogant, quod semel ultroneos aut ipsos ac eorum Prædecessores fecisse noverunt. Non me contingat talibus immisceri, quibus cum dispendio proximi gratia comparatur Regis terreni, et indignatio succedenter incurritur omnipotentis Dei. Monet igitur Regis Consiliarios, ut procurent ne sibi talia injungantur, unde contradicendo regiæ deliberationi, ipsius denuo gratiam ipsum necesse sit aliquatenus demereri. Quæ ut Regi innotuerunt, statim mandavit ei quatenus ad suam cum Dei benedictione Ecclesiam rediret ; nec ad se mane ut condixerat veniendi laborem sumeret, sed pro eo ad Dominum bono animo indesinenter oraret. Sic ille in nomine Domini a curialium laqueis liberatus, Dominum magnifice cum suis omnibus benedicens, ad sua cum gaudio remeavit.

ANNUS 1197

Proverb. I. 17.

Angliam repetit.

QUID ANTEQUAM AD REGEM ACCEDERET EI CONTIGERAT.

VII. « Non autem videtur supprimendum silentio, quod divinitus ad consolationem sociorum ejus contigisse interpretati sunt, qui tunc cum eo ad Regem, ut præfati sumus, pariter venerunt. Cum enim ad primos gradus capellæ, ubi Missarum solemniis Rex intendebat, venisset Episcopus, chorus prosam de Beato Augustino decantans, hunc voce altisona versiculum decantabat : Ave, inclyte Præsul Christi, flos pulcherrime. Hæc primum vox ingressis fores castelli ab

ANNUS 1197

editiori loco emissa, stuporem simul et confidentiam sociis intulit Christi Præsulis ; quæ licet de alio prolata esset Præsule, hanc tamen quasi de suo in tali hora proferretur Antistite ipsi comites acceperunt pro omine ; auxitque lætitiam hujus præsagii alius continuo versiculus sub ingressu eorum in capellam decantatus. Sic enim ingredientibus illis ad Regem, voce consona ab universis interpositis Episcopis et Clericis fortius est proclamatum : O beate, o sancte Augustine, juva catervam hanc. Ita illi geminata consolatione animæquiores effecti, a nimiæ dejectione formidinis in spem superni juvaminis cœperunt respirare. Nec enim injuste quidem formidinis causam, talis ira Principis eis videbatur incussisse, cum

Proverb. 19. 12.

juxta dictum Sapientis : Sicut fremitus leonis, ita et ira Regis. Terruerat enim eos, cum recenti exemplo Saresberiensis Episcopi innumeris contumeliis et damnis afflicti, duorum præcipue nobilium virorum, comitis videlicet Willermi co-

Duo aulici Regis in eum iram denunciant.

gnomento Marescalli et comitis de Albamara relatio. Hi namque tertia antea die apud Rothomagum accesserunt ad Episcopum, et per quantas injurias furor Regis in præfatum Pontificem efferbuisset, quanta et Lincolniensi Episcopo minatus fuisset, illi exponentes, supplicabant quatenus eis quæ viderentur expedire ad sui ipsius commodum, Regi per eos intimanda ad ejus animum mitigandum, de causa sua vel negotio insinuare dignaretur. Asserebant enim sub jurejurando, quod mallent totis facultatum suarum viribus pacem ei redemisse, quam eveniret ut juxta motum furoris sui regia in eum immanitas desæviret. Nec solum, inquiunt, quia vos fidelissime diligimus talia prosequimur ; verum etiam quia tam nobis quam Domino nostro Regi et suis omnibus, timemus non mediocriter in hoc casu. Nulli enim dubium esse potest quin ipsum quam celerrime ultio percellat, si vestram, quod Deus avertat, indignis exagitare injuriis præsumpserit sanctitatem. Erimus quoque nos et amici nostri in opprobrium et in dejectionem, dimicantibus adversum nos inimicis nostris.

Generosa ac prudens ejus responsio.

« Talia prosequentibus Episcopus respondit statim : Gratias

ANNUS 1197

quidem immensas benevolentiæ quam habetis erga nos referimus toto mentis affectu. Optime vero novi quod præ cæteris in sua præsenti vexatione, cui satis compatimur, Domino nostro Regi estis necessarii ; unde etiam novi quod vobis præ cæteris ad compensationem tenetur impensi servitii. Nolo igitur ut pro me cui adeo irascitur verba aliqua faciatis, ne si vobis duriora responderit, in ejus obsequio reddamini segniores ; aut si vos pro me exaudierit, se se pro vobis magnum quid gessisse reputans, ad retribuendum vobis bona quæ meremini, ipse inveniatur aliquantulum remissior. Id tantum, si videtur, dicere ei poteritis, quod ut eum inviseremus ad partes istas venimus. Cui si libuerit ut ipsum videamus, per quemlibet ex suis nobis significet quo loco debeamus occurrere ei. His ab eo dictis, nobiles illi viri prudentiam simul et magnanimitatem ejus admirantes, plurimum ædificati abierunt ad dominum suum, hæc omnia renuntiantes eidem. Qui et ipse non parum hæc illius verba miratus, et animo repente per omnia fere erga illum nutu divino immutatus, protinus jubet ei renunciari quatenus sequenti die tertia apud castrum superius nominatum occurreret ei. Quod ordine prætaxato etiam factum est.

Ejus sapientiam ipse Rex miratur.

VIII. « Vix sancto Hugone in Angliam reverso, cum necdum ad Ecclesiam suam pervenisset, idem Rex contra Regem Francorum prope Gisortium impetu facto, captis plurimis optimatum illius, ipsum in fugam egit. Tunc et Comes Nivernensis in fossatum castelli dejectus, aquis invectus interiit. Hujus autem triumphi seriem mox Lincolniensi Episcopo significans, et ut pro eo oraret sicut cœperat suppliciter exorans, nomina quoque et numerum virorum fortium quos ceperat litteratorie expressit. Scribens inter cætera et asserens quod etiam ipse rex Philippus satis de fossato bibisset, in quod cecidisset quidem fuga præcipiti, nisi cita suorum ope subvectus evasisset interitum. Hunc autem honorem atque trophæum ei cœlitus concessum meritis sancti Præsulis, multi etiam suorum affirmabant, quem ipse pro Domino, pristina simultate omissa, decreverat impensius venerari. » Hactenus Acta.

VICTORIA DE FRANCIS AB EO RELATA S. HUGONIS PRECIBUS TRIBUITUR.

ANNUS 1197

Hæc quæ supra de fuso Philippo rege Franciæ a Richardo in Actis legimus, ad annum sequentem a scriptoribus referuntur, quæ tamen hoc anno narrare debuimus ex necessaria ejusdem facti connexione.

DISCORDIA INTER ABBATEM MACERIARUM ET PRIOREM LUVIGNIACI ORTA SEDATUR.

IX. Hoc anno orta dissensione inter Abbatem Maceriarum Ordinis Cisterciensis in diœcesi Cabilonênsi et Bosonem Priorem cartusiæ Luviniaci, hic nolens Abbatem vocare in judicium, adiit Cistercium tempore Comitiorum generalium ejusdem Ordinis; ibique delata querela, arbitros concordiæ non recusavit quatuor Abbates quos Capitulum generale nominavit, nempe Burnonem Montispetrosi, Herbertum Buxeriæ, Benignum Albæripæ et Arnaudum Longivadi. Ab his igitur dicta est sententia pro Cartusiensibus Luviniaci, quam Garnerius episcopus Lingonensis et antea abbas Clarevallensis, iisdem comitiis præsens, hoc confirmavit diplomate :

« Ego Garnerius Dei gratia Lingonensis episcopus, notum facio præsentibus et futuris, quod cum discordia verteretur inter Abbatem de Maceriis et Fratres de Luvigniaco pro quatuor sextariis olei quos Manasses prædecessor meus dedit Fratribus Luvigneii in eleemosynam, quod oleum Fratres de Maceriis tenentur reddere eisdem Fratribus annuatim ad Divionem et ad mensuram Divionis in domo Cisterciensium infra octavas Purificationis, pro possessione de Blagneio quam tenent ab Ecclesia Lingonensi, sicut in charta a prædicto monasterio Fratribus Luvigneii facta continetur ; Abbate de Maceriis nolente reddere, Prior Luvigneii Cistercium venit præsente communi Capitulo, conquerens de jam dicto Abbate. Tunc in præsentia mea dati sunt ei judices quatuor, Burno de Montepetroso, Herbertus de Buxeria, Benignus de Albaripa et Arnaudus de Longovado, qui visa dicta charta, per diffinitivam sententiam quatuor dictos sextarios ad Divionem reddendos esse judicaverunt, Abbate de Maceriis reddere sicut dictum est in præsentia mea et coram promittente. Quod factum, ut pax perpetua sequeretur, scribere feci, et scriptum sigillis quatuor prædictorum Abbatum confirmare.

ANNUS 1197

Et adhuc ut firmius maneat, præsenti scripto sigillo meo confirmato reconfirmo. Actum anno Incarnationis Domini MCXCVII. Cistercii, tempore Capituli generalis. »

Paulo post idem Boso Prior, solitudinis amans, regimen dimisit et in claustro privatus obiit tertio Idus Decembris, ut legitur in Calendario hujus domus.

AYMO ARCHIEPISCOPUS TARENTASIÆ NOSTRI ORDINIS MORITUR.

X. Obiit etiam hoc anno Aymo de Briancone, ex monacho Cartusiensi ante novem et decem annos creatus archiepiscopus Tarentasiæ. Adfuerat Conciliis Lateranensi anno 1179 et Ticinensi anno 1186. Privilegia suæ Ecclesiæ a Friderico Imperatore obtinuit, quæ Henricus successor postea confirmaverat anno videlicet superiori. Cæterum Angelus Tarentasiæ antistes, Vicarius Imperialis in Italia, eodem anno sententiam tulit in favorem Episcopi Vercellensis, de quo Ferrarius in Catalogo Præsulum ejusdem Ecclesiæ. Sed forte idem est cum nostro Aymone qui in citatis tabulis Angelus vocatur. Mortuo Aymoni successit Joannes et ipse alumnus Majoris Cartusiæ, ubi Aulam dicitur ædificasse.

ITEM TERRICUS CONVERSUS SYLVÆ BENEDICTÆ.

XI. Creditur etiam hoc anno obiisse Terricus sive Theodoricus, Conversus Sylvæ Benedictæ, quem vidimus annis superioribus non semel occupatum in rebus Ecclesiæ et Ordinis apud Summos Pontifices et Imperatores procurandis. Quidam scribunt eum fuisse Friderici Imperatoris filium nothum vel fratrem ; quem saltem constat in seculo adhuc positum, multa apud eumdem valuisse autoritate. Factus etiam Cartusiensis eadem potitus gratia, ab ipsomet Imperatore multa bona obtinuit in augmentum dotis Domorum Sylvæ et Durbonis. Denique postquam dignos pœnitentiæ fructus fecisset in præfata eremo Sylvæ suæ professionis, collectis bonorum operum manipulis, ad beatam migravit immortalitatem.

ET PETRUS CANTOR AMICUS ORDINIS CART.

Histor. Universit. Paris. secul. 4.

XII. Ex viris nostro Ordini amicis, eodem anno defunctus est vir singularis doctrinæ et eminentis pietatis Petrus Cantor, sic dictus ex dignitate qua potiebatur in Ecclesia Parisiensi, nam verum illius cognomen semper latuit. Hic in libro qui a sui principio *Verbum Abbreviatum* dicitur, de Cartusiensibus

ANNUS
1197

Pet. Cantor, Verbum Abbr. cap. 28.

sui temporis sic loquitur: « Si sanctus Ordo Cartusiensium in holocaustum hic etiam oblatorum Deo, a labe mundi per abstinentiam et macerationem carnis purgatorum, et jam volantium super pennas ventorum, nonnisi in festis et profestis speciali officio intitulatis audet conficere, quomodo tu peccator sacerdos intrepidus audes tam sancta irreverenter tractare! » De eodem insigni Doctore multa scribit præclare Cæsarius Heisterbacensis qui eodem tempore florebat, dicitque eum factum novitium apud Cistercienses infra annum probationis obiisse, nempe hoc anno ut legitur in Chronico Roberti Antissiodorensis.

JESU CHRISTI

ANNUS 1198.

Innocentii PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 1.	Ann. 115.	Ann. 19.

I. MILLESIMO centesimo nonagesimo octavo Redemptoris, cum Indictione prima ineunte anno, scilicet sexto Idus Januarii, Cœlestinus Papa ex hac vita migravit, cum nondum sui Pontificatus annos septem implesset. Præter epistolas quas eum ad S. Hugonem scripsisse suis locis diximus, alterius extat fragmentum in Decretalibus Gregorii Noni quod tale est : « Cœlestinus Lincolniensi Episcopo et Priori de Pontefracto. Dilectus filius R. Præpositus nobis exposuit quod, cum Eboracensis Archiepiscopus eum multis gravaminibus afficere non cessaret, promisit ei certam quantitatem pecuniæ se daturum ut ab ipsius desisteret læsione. Verum dictus Archiepiscopus post receptionem pecuniæ super dignitatibus et beneficiis ejus, ab ejus molestia non quievit. Ideoque discretioni vestræ mandamus quatenus, si res ita se habet, Archiepiscopum reddere quod accepit (si eum contra promissionem suam venisse constiterit) compellatis. » Hæc Cœlestinus ; quæ si conferas cum his quæ diximus ante quatuor annos, hanc epistolam eodem tempore scriptam fuisse facile conjicies : si tamen ea Archiepiscopum spectant, non Archidiaconum, ut quædam habent exemplaria.

CŒLESTINUS PAPA PLURES EPISTOL. SCRIPSIT AD SANCT. HUGONEM.

Baron. ad hunc an. n. 1.

Extravag. de Simon. cap. Dilectus, 28.

Ad hunc usque Cœlestini annum, tomum suorum *Annalium Ecclesiasticorum* duodecimum perduxit sempiterna dignus memoria cardinalis Baronius, tertium decimum pro-

ANNUS 1198

mittens, quem tamen morte præventus edere non potuit. Ejus rationem et viam hactenus tenuimus in disponendis Jesu Christi annis, quos postmodum eodem quantum poterimus tenore persequemur.

Ipso die quo defunctus est Cœlestinus, communi omnium consensu electus est Innocentius tertius, annos triginta septem tantum natus, sed probis moribus, eximiisque a natura et gratia sibi concessis virtutibus ipsos seniores longe superans. Ejus in propaganda Religione curas et labores, sicut tota Ecclesia experta est, ita et nos ejus paternam sollicitudinem sentiemus in augendis fovendisque Instituti nostri observantiis, et præsertim in promovenda fundatione cartusiæ Trisulti, quam ab eo Ordini nostro adscribi videbimus.

EI ITERUM IRASCITUR REX.

II. Vidimus anno superiori S. Hugonem post pacatum Regem in Ecclesiam suam cum gloria et pace rediisse. Verum non diu post, et quidem hoc præsenti anno, quidam malevoli ejus felicitatem æque non patientes Regem iterum adeunt, novisque machinationibus iram ejus indignationemve in sanctum Præsulem acerbius incendunt. Sed ipse nescius ignave cedere inimicorum insidiis in damnum suæ Ecclesiæ, etiam miraculis suam constantiam roborat. Totius rei seriem accipe ex illius Actis.

Lib. 5. c. 7.

Novum æmulorum in eum commentum.

« Contabuit inter hæc in semetipso collisus serpentis livor antiqui, et de gloria fidelis servi Dei æmulorum ejus fraudulenta molitio confusa erubuit. Equidem doluit victam se in machinationibus suis defecisse, nec machinari tamen, spe quidem vincendi iterum, prætermisit ; unde cum autore suo diabolo desperabilius denuo vinceretur. Jam vero metuens, ex desperatione concepta, in ipsum adeo evidentissimæ sanctitatis verticem *, insidiarum suarum directe et evidenter laqueos intendere ; per sibi cohærentium saltem membrorum insertationem *, ad illius nititur læsionem novis et exquisitis fraudum cuniculis prorumpere. Excogitato itaque versutæ subtilitatis irrefragabili, ut putabatur, machinamento, suggeritur Regi plurimos esse inter Ecclesiæ Lincolniensis Canonicos, qui redditibus innumeris locupletes, auro etiam et

* *Al.* verticem.

* *Al.* incantationem vel insectationem

argento prædivites, citra gravaminis jacturam, non modicas pecunias suis quivissent scriniis inferre. Hujusmodi vero ingenio, eas, inquiunt, facile erit ab eisdem extorqueri. Scribat Dominus noster Rex Cantuariensi Archiepiscopo, ut de gremio Lincolniensis Ecclesiæ duodecim viros prudentia et consilio præeminentes, eloquentia etiam præditos, quos ipse noverit vestro servitio esse idoneos, ad vos destinare festinet, qui rebus opportunis sufficienter instructi, vestra possint negotia propriis illorum sumptibus in Curia Romana, in Alemania atque Hispania, nec non et alibi quo eos censueritis destinandos, competenti solertia expedire.

ANNUS 1198

« Quid pluribus immoramur? venit tandem nuntius Archiepiscopi ad Episcopum, ei ex parte illius præsentans duodecim paria literarum totidem Ecclesiæ suæ personis eminentioribus porrigenda, sigillo Archiepiscopali inclusa. Attulit etiam Episcopo speciales literas, in quibus prædictarum tenor literarum juxta formulam superius comprehensam exprimebatur. In eadem vero charta, regia pariter autoritate et sua mandavit, quatenus literas singulas illis ad quos erant scriptæ mitteret, quos ad suam quoque præsentiam destinaret paratos, juxta formam Regii mandati, ad ipsum quantocyus Regem transfretare. Iis cognitis, illi specialius turbabantur qui tunc ibidem præsentes inventi sunt, et ad invisam se audierunt expeditionem accersiri. At Episcopus ad audita nihil respondens (erat enim hora prandii), ad mensam accessit jam paratam. Clerici inter prandendum invicem mussitantes, timere se asserunt ne duriora Episcopus nuntio responderet; cum non pontificali severitate, sed potius lenitate submissa in casu tam formidoloso opus esset. Experiendum primitus si forte blandiente supplicatu Dominus Cantuariensis posset deliniri, qui, si velit, consilium istud in melius facile commutaret. Hæc illis mutuo conferentibus, advertit citius Vir robusti pectoris formidinis eorum diffidentiam. Unde nullius eorum super formanda responsione consilium expetivit. Sed continuo ut surrexit a discubitu, ad nuntium qui venerat hæc prosecutus est : Nova, inquit, nec hactenus sunt audita

Duodecim Lincolnienses Canonici ad regia negotia procuranda ab archiepiscopo eliguntur.

Nuntio turbantur.

Eos Hugo abire non permittit.

ANNUS 1198

tam ea quæ autoritate regia, quam et illa quæ sua nobis voluntate injunxit noster dominus Archiepiscopus. Sciat tamen me nunquam literarum suarum portitorem fore vel fuisse; nec clericos nostros regiis aliquando servitiis obligasse aut obligaturum esse. Prohibui etiam sæpe Clericis alienis in Episcopatu nostro beneficiatis, ne in publicis functionibus, ut est in distrahendis forestariis et aliis in hunc modum administrationibus, sese seculari clientelæ obnoxios auderent efficere; quosdam etiam in hoc minus obedientes salutaribus monitis nostris, beneficiorum suorum privatione diutina castigavi. Qua igitur ratione, de intimis Ecclesiæ nostræ visceribus evellere debemus, quos ad regia obsequia mittere jubemur? Satis sit domino nostro Regi quod certe in periculum animæ suæ, professionis suæ officio prætermisso, negotiorum illius executores ad se Archiepiscopi clerici jam ex integro devolverunt. Quod tamen si parum ei videtur, veniet cum suis en iste Episcopus, veniet audire jussa ejus ex ore ejus, et juxta eadem jussa illius, quod justum fuerit promptissime exequetur. Tu vero tuarum duodenarium literarum, quas nobis attulisse te dixisti, tecum asporta, inde quod libuerit actitaturus. Hæc vero universa quæ tibi loquor, Domino nostro Archiepiscopo seriatim enarra; ad postremum vero ei dicturus, quod si ad Regem hoc ordine ituri sunt clerici nostri, cum eis pariter et ipse ibo. Nec enim ipsi sine me modo ibunt, nec sine ipsis alias ivi ego. Hæc enim Pastoris boni ad oves suas et bonarum ovium ad Pastorem ratio est, ut nec iste illas incaute exponendo dispergat, nec illæ istum temere fugiendo aberrent. Iras ad hæc spirabat bajulus literarum; erat enim curialis clericus, in hoc ipsum, ut tali fungeretur legatione, de industria assumptus: eratque ut dabatur intelligi fastu innato tumidus, sed tumidissimus ex afflatu spiritus curialis. Qui cum pararet minas evomere, quas anhelitu præcordis tumore intercluso vix sufficiebat proferre, intercidit verba virosa Episcopus, recedere eum quantocyus jubens; qui protinus ita turbatus et confusus abscessit. Misit vero quosdam ex suis viros prudentes Episcopus ad Archiepisco-

Quid archiepiscopo mandaverit.

ANNUS 1198

Ejus consilio fraudulenter assentitur archiepiscop.

pum, rogans et monens quatenus permetiri dignaretur, in edictis hujusmodi, Ecclesiæ immunitatis quam tueri tenebatur evidens præjudicium, nec suæ in talibus præberet ullatenus autoritatis assensum. Quorum ille precibus sive rationibus, specie tenus potius quam medullitus flexus, rancore parumper dissimulato, quem palam ex inobedientia, ut dicebat, suffraganei sui se concepisse memoraverat, cum autoritas simul et ratio certa præscribat nunquam debere per obedientiam malum fieri cum debeat interdum bonum omitti, spopondit se provisurum, (quatenus voluntate regia licuisset) ut præsens negotium ad pacem Domini Lincolniensis aut sopiretur funditus aut modestius ordinaretur.

EJUS POSSESSIONES FISCO ADDICUNTUR.

III. « Verum non in longum locum habuit quies pacis repromissæ. Emissis enim post ista publicis edictis, jubentur possessiones Episcopi Lincolniensis in manus recipi regalium exactorum. Quod ut audivit Episcopus : Nonne, inquit clericis suis, vere dixi vobis, quod vox quidem hominum istorum, vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau ? Verum ut ea quæ gesta sunt summatim percurramus, illi quibus fuit demandata executio edicti tyrannici, ex nimia formidine primo supersedere mandato, suggerentes Regi quanti esset periculi tam jubentibus tam exequentibus, quidquam unde incideretur in maledictionem viri illius attentare. Manifestum quidem esse quod cuicumque ille maledixisset, malediceret Dominus, et maledictio ut dicit Propheta citius devoraret illum. Erat tunc in exercitu quidam Ructariorum Princeps, vocabulo Marchadeus, homo per omnia belluinæ sævitiæ perditæque conscientiæ, vir ad quodlibet scelus et sacrilegium præceps. Rex igitur nil aut parum motus ad meliora per ea quæ a suis executoribus crebro ei suggerebantur : Meticulosi sunt, ait, Anglici isti ; mittamus itaque Marchadeum qui ludere noscit cum Burgundiensi illo. Cui statim amicorum suorum quidam ait : Necessarius est, Domine Rex, Marchadeus guerræ vestræ. Cæterum operis illius et obsequio certissime fraudabimini, si efficiatur anathema Lincolniensis Episcopi. Quod Rex nequaquam sibi expedire affirmans, plusque ipsius

Is. 24. 6.

Vix reperiuntur qui eas occupare velint.

ANNUS
1198

Regis immane sacrilegumque præceptum.

periculum quam suum proprium reformidans, illum quidem, ne periret, mittere supersedit. Sed unde exitiabiliter periclitaretur, committere non expavit nec præcavit. Cuidam ergo Officiali suo, nomine Stephano de Travehan, viro utique fideli et timorato, nostro etiam Pontifici satis devoto, dedit in mandatis ut sicut vitam suam ac membra diligeret, bona Lincolniensis Episcopi absque dilatione in manus suas reciperet. Qui tandem regio metu coactus, misit quosdam ex suis ad terras, vel quæcumque mobilia Episcopi reperissent, ut cum villis et castellis ipsius occuparent.

Occupantur Hugonis bona.

Quibus primo ad recipiendum oppidum *Lafort* tendentibus, occurrit forte non longe a Burgo sancti Petri comitatus Episcopi : cujus illi occursu territi diverterunt paululum de via, et accersitis quibusdam de clericis exposuerunt eis quanta minatus fuerat Dominus Rex Domino ipsorum, quod distulisset Episcopum dissaysire, et quod inviti metuque supremi discriminis astricti ad id exequendum modo irent. More igitur tertii quinquagenarii a Rege perfido missi ad Eliam, isti quoque humiliantes supplicabant obnixius, ut illis mediantibus misereretur animabus eorum verus ille servus Dei, ne propter ejus offensionem quam timebant ultio cœlestis consumeret eos.

Apparitorum in eum pietas.

Orant ut potius regiam mitigaret animositatem, ne detrimenta cumularentur undique, etiam insontibus, et a merito contentionis inter Regem et Pontificem motæ prorsus alienis. Spondent interim se pro viribus illibatas servaturos res illius. Petunt quatenus suspendat ad tempus sententiam excommunicationis, qua et Regem amplius exacerbari, et suam eorum proveniret innocentiam periclitari.

Horum excusationem non admittit.

Hæc ubi Episcopo innotuerunt: « Non est, inquit, eorum servare res nostras ; exeant tamen, et res non tam nostras quam Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis Mariæ, ut eis videbitur, tractent et invadant. Hæc dicens, protulit e sinu fimbriam stolæ lineæ qua collo suo, dum iter ageret, semper appensa utebatur sub capa sua, eamque manu agitans : hoc certe, hoc, inquit, fimbriæ restituet nobis usque ad extremum obolum, quidquid isti duxerint rapiendum ; veniensque in villam

suam Borefordenam appellatam, ubi etiam literarum Episcopalium supradictus portitor ad illum venerat, ubi etiam de tuenda libertate ecclesiastica divini per quemdam clericum oraculi præmonitionem, ut dudum supra commemoratum est, acceperat. Jussit continuo literas fieri, quibus præcipiebatur Archidiaconis et Decanis locorum in quibus constitutæ fuerant possessiones suæ, quatenus adunatis secum vicinarum Ecclesiarum presbyteris, mox ut in partes illorum pervenirent executores memorati, pulsatis campanis accensisque candelis, omnes illos subjicerent anathemati, qui res Ecclesiæ suæ contingere et injuste occupare præcipiendo seu obsequendo præsumpsissent. Iis in hunc modum dispositis, cum omnes pene sui metu et perturbatione vehementi fluctuarent, ille demum lectulo exceptus, ac si nihil inquietudinis pertulisset, suavissimum extemplo membra laxavit in soporem; nec enim ista ad intima cordis ejus unquam penetrabant. Ea namque nocte, ut constaret eum corpore etiam soporato, Deo mente vigili semper adhærere, *Amen* continuis fere per intervalla momentis ipsum audivimus resonare. Faciebat hoc cunctis pene noctibus, quod dictu mirum est, nihilque aliud ab ore dormientis aliquando insonuit. Hac vero nocte crebrius solito et intensius ac velut cum spiritus vehementis impulsu, *Amen* iterare non desistebat.

ANNUS 1198

Jubetque eos anathemate feriri.

Animus ejus turbari nescius.

IV. Jam vero, quod prætermittendum non fuit, in Capitulo Lincolniensi ad Regem se pro communi necessitate trans mare iturum prædixerat; jam filiis suis benedictione ad Missas ritu solemni data, illa scilicet qua benedicere jussi sunt filii Israel sacerdotes in lege per Moysen, quam ille in Benedictionali suo scribi fecerat; commendatus orationibus singulorum, atque libato invicem sancto pacis osculo, universos commendaverat verbis Apostolicis, Deo et verbo gratiæ ejus. Inde, ut præmissum est, directo calle ad manerium pervenerat supradictum, ubi cum paucis maneret diebus, suggeritur ei a Decano loci vicini, mulierculam quamdam in decanatu suo esse, quæ spiritum videretur habere pithonicum, plurimasque ad se divinando turbas pertrahere populorum. Indicabat

PRÆVIDERAT SE ITURUM AD REGEM.

Ubi supra cap. 8.

Pythonissam ad pœnitentiam adducit.

ANNUS 1198

enim passim furta a quibusdam admissa, et occulta quæque detegebat maleficia. Si vero ab ipso, ut idem dicebat Decanus, seu a quovis discreto et literato viro conveniebatur super hoc aut corripiebatur, mox importunæ linguæ volubilis dicacitate, arguentem eam quasi stupidum reddebat et elinguem ; sicque omnes verbositatis affluentia opprimebat, ut nullus eam evincere aut ei silentium valeret imponere. Ad hæc statim ille : Jam, inquit, non post multos dies Londonias adituri, cum per fines vestros transitum faciemus, illam loco opportuno adduces in occursum nostrum. Quod et factum est. Descendit itaque de equo suo visa muliere Episcopus. Astabat vero ibidem populi frequentia cum parvulis, qui manus impositione erant confirmandi. Muliere igitur præsentata, Vir Domini quasi cum indignatione obbuccans non tam miseram illam, quam ejus inhabitatorem occultum dæmonem : Age jam, o infœlix, inquit, quid nosti divinare nobis ? proferens autem dexteræ pugillum, implicitam in eo tenens extremitatem stolæ suæ : Dic, ait, sodes, quid habet clausum manus ista ? Hæc vero dicente Episcopo, statim velut exanimis corruit ad pedes ejus muliercula, paulo ante procax et cervicosa, nunc autem subito ad vocem virtutis tantæ, nec modo fandi sed et standi impotens effecta. Aufugerat enim internus habitator qui eam male vegetaverat, et illa remanserat sub manu sanantis medici salubriter debilis, quæ sub impetu perimentis morbi extiterat prius lethaliter fortis. Cum ergo ad vestigia ejus inclinata aliquandiu jacuisset, præcepit eam allevari. Tunc Decano interprete usus, ignorabat enim linguam rusticanæ mulieris, inquiri jussit qualiter divinationis peritiam accepisset ; quæ tenui et submissa voce, cum fuisset sæpius interrogata respondit : Nescio, inquit, divinare, sed misericordiam hujus sancti Episcopi imploro. Interim defixo in terra vultu procidit ad pedes ejus ; cumque imposita manu capiti ejus pro ea breviter orasset, data benedictione præcepit eam ad Priorem Hontedinensem, illarum videlicet partium Pœnitentiarium adduci, dans ei in mandatis ut veram ageret, præmissa confessione purissima, de omnibus peccatis

suis pœnitentiam ; quod etiam, ut postmodum accepimus, fideliter ipsa implevit. Præcepit vero ei ne ulterius præsumeret aliena maleficia divinare, sed propria assuesceret indesinenter mala lugere et accusare. Quæ ex hoc tempore adeo modesta apparuit et taciturna, cum prius garrula nimis extiterat et procacissima, ut hoc ipsum loco ingentis miraculi haberetur penes universos, qui mores illius universos agnoverunt.

ANNUS 1198

ALTERA MULIER A DÆMONE VEXATA.

V. « Huic loco, pro causarum necnon et personarum similitudine, alterius ab infestatione dæmoniaca ereptionem mulieris, virtutibus hujus Viri juste admirandam, reservavimus exponendam, licet diverso tempore celebratam. Intimaverat ei quodam tempore vir eximiæ eruditionis et doctrinæ, Bartholomæus* Exoniensis Præsul, quod dæmon quidam in specie juvenis abuti consueverat quadam infelici muliercula in sua diœcesi constituta; quam etiam asserebat, tam sibi quam et aliis venerabilibus personis, detestabilis hujus passionis suæ ærumnam flebili sæpius confessione propalasse, consilium quo eriperetur ab obscœno oppressore studiosius inquisisse, jejuniis insuper et varia maceratione carnis, peccatricia sua membra fere usque ad internecionem perdomuisse. Hæc vero omnia simul, nihil sibi contra odiosum et improbum amatorem contulisse; in talibus quoque non paucorum jam curricula temporum protraxisse. Hinc venerabilis Pater Hugo, pudoris pariter et pietatis instinctu, compatiens miserabili fœminæ et indignans impuritati dæmoniacæ : Cum jam ista, inquit, ut asseritis, contra peccatum suum contritione cordis, confessione oris, et corporis afflictione erigitur, nihil aliud demum superesse videtur nisi ut apud Clementiam piissimi Redemptoris pro ea instantius oretur. Episcopus autem Oxoniensis hoc se, secumque alios innumeros jam diu fecisse, sed nihil profecisse palam memorans, ipsum quoque ut pro ea dignaretur orare suppliciter flagitabat. Cui ille, hoc, inquit, non ego solus, sed quisquis fidelium devotissime facere debebit. Post hæc, digressis ab invicem Episcopis, cum sibi iterum occurrissent aliquanto tempore jam elapso, inquisivit sollicitus ille animarum liberator Episcopum illum jam su-

**Ex his corrige Godwinum qui mortem Bartholomæi refert ante annum 1186.*

Quid consilii a S. Hugone acceperit.

ANNUS 1198

perius memoratum, qualiter res se haberet circa oviculam gregis sui, quam pestifer ille lupus tam immaniter laniaverat; cui Pontifex illius ereptionem nunciavit.

POSSESSUM A MALO SPIRITU LIBERAT.

Ubi supra cap. 9.

VI. « Exigit casus recens ut solemne miraculum, virtute Domini per fidelem ipsius famulum patratum, jam nunc recenseamus. Id quidem paulo superius, temporis ratione quo gestum est, debuisset exponi, si omnia quæ de tanto Patrisfamilias operario innotescere necesse est, nostro crederemus obsequio posse evolvi. Verum nos, ut præfati sumus, ea potius quæ ædificant ad æmulationem virtutis, quam ea quæ incitant ad plausum admirationis de tanto virtutis exemplari prælibare cupientes, istud cum aliis satis innumeris sub silentio pene præterivimus, in quo tamen opere plus eminet quod devotum provocet ad virtutem, quam quod decursum excitet ad stuporem. Itaque nuper contigit, ut cum venerabili Domino abbate Waltraniensi* Richardo per villam vocabulo Chestreuntam abbatiæ suæ proximam transiremus, cujus ut plateas ingressi sumus, revocavit nobis ad memoriam hoc quod ante tredecim annos gestum conspeximus; eo siquidem temporis articulo quo regiæ insectationis procella, quam modo descripsimus, in Lincolniensis Ecclesiæ Pastorem semetipsum pro omnibus exponentem primum efferbuit, id accidit quod referimus. Ea itaque tempestate idem pervigil ovilis dominici custos, Londonias adiit cum Archiepiscopo cæterisque regni optimatibus super tanto negotio tractaturus, a quibus id solum consilii reportavit, ut pecuniæ ingentis summam a Clericis suis exigeret, quam ad sedandum Regis avari furorem, ei per aliquem ex suis celerius destinaret. Ait namque Archiepiscopus illi: Nescitis, domine Episcope, quod ut hydropicus aquam, ita dominus Rex sitit pecuniam? cui citius more suo Vir sanctus respondit: Plane etsi ipse hydropicus est, sed ego aqua non ero quam ille deglutiat. Discedens itaque a Londoniis ad suam festinus repedavit Ecclesiam; unde proponebat dispositis omnibus, ad Regem, ut supra dictum est, velocius transfretare.

**Forte Walthamensis ordinis Can. S. Aug.*

Validum ac vividum ejus responsum de Rege ad Archiepiscopum.

Horrenda energumeni descriptio.

« Sane igitur, die quadam Dominica, per villam memoratam

ANNUS 1198

quam Chestreuntam antiquitas nominari instituit, agebat iter, cum jam pene totus comitatus illius processisset, ipse cum sociis villæ medium ingressus, magno vulgi lamentantis clamore subito vallatur. Exoratur denique a populo confluente, ut quemdam convicaneum suum a sævissimo possessum dæmone sacræ consignatione dexteræ dignaretur benedicere. Quem ut vidit, aperto domus suæ ostio, interius jacere ligatum, mox spiritus totus infremuit, nec contentus illum a remotis benedicere, equo quem sedebat descendit ita dicens: O pro nefas! hæc utique non recte se habent. Cernebat namque dæmonis captivum supinum jacere, caputque ad postem, manus singulas ad singulos hinc inde paxillos humo altius defixos habentem religatas; pedes quoque pariter vincti palo erant astricti, ipsius autem oculi mirabiliter rotabantur in girum; os nunc in hanc, nunc in illam partem miserabiliter contorquebatur; nunc linguam in immensum protendebat ab ore; nunc dentibus stridebat; nunc hiatu faucium immanissime patulum gutturis meatum, ac si quoddam ingens barathrum et intuentibus horridum demonstrabat. Ad quem præsul velociter accurrens, facto super eum signo crucis inclinavit se et dexteram aliquandiu prope os illius tenebat oppansam, evangelicum interim Capitulum, scilicet *In principio erat Verbum*, voce suppressa percurrens. Cerneres interim miserum caput quod huc illuc indesinenter agitare consueverat; immotum habere et quietum, et, ut solent canes cum ad ictus timent castigantium, oculos subaspiciendo, cum quadam formidinis nota in partem variam meticulose dirigere. Percurso itaque Evangelio usque ad locum ubi dicitur: *Plenum gratiæ et veritatis*, erexit se Episcopus et patientem aliquandiu considerabat, qui repente in partem alteram vultum ab eo declinans, linguam more subsannantis ab ore produxit. Tunc indignatus ille strenuus potestatis adversæ debellator, aquam et salem ecclesiastico ritu celeberrime benedicens atque commiscens aspersit super illum; jubensque circumstantibus ut de aqua eadem ei in os mitterent, et dans omnibus benedictionem, equum ascendit et discessit. Benedi-

Evangelium S. Joannis contra vim dæmonis valet.

Proprii episcopi ignavia.

ANNUS 1198

cebant vero illi universi, asserentes quod suus Episcopus paulo ante eadem via descendens, cum vidisset dæmoniacum, nimio actus pavore equum ascendit, cui insederat calcaribus urgens, non solum absque subventione miserum relinquens, sed tamquam ipse furiis ageretur equo agente aufugerat. Vir autem ille ex tunc liberatus a dæmone, suam in posterum vitam in omnibus emendabat ; vacansque diutius per loca Sanctorum peregrinationi, pie cum aliquot annos vixisset devoto fine tandem quievit in pace. Hæc de consummatione illius in villa præfata, nuper a vicinis suis, qui se novisse dicebant curatum, memoriter accepimus, ubi quoque didicimus qualiter a dæmone correptus fuerat. Cum in mane die quodam in navi dormiret prope Londonias, quo navali vehiculo adduxerat ligna venalia, ubi mox ut eum spiritus malignus intraverat, tam socios suos quam propria membra dentibus et manibus discerpere et laniare aggressus, vix multo auxilio tentus ac vinctus, ac in navi ad trabem magnam astrictus, inde ad propria est revectus.

FUREM AD SUPPLICIUM TRACTUM E LICTORUM MANIBUS HUGO ERIPIT.

VII. « Sed redeundum est ad cœptum iter Pontificis nostri versus Regem, stylo jam currente exponendum. Cum igitur ut diximus, spiritu pythonico a muliere fugato, die sequenti territorium Sancti Albani fuisset ingressus ; ecce occurrit cum apparitorum turba quidam damnatitius qui ob commissum furtum, revinctis post tergum brachiis, ad promeritum trahebatur suspendium. Cæteris igitur ad benedictionem Pontificis expetendam de more suppliciter accurrentibus, ingessit se etiam vi qua potuit et vinctus ille, ruensque primum ad cervicem caballi ejus ac statim pedibus ejus procidens, misericordiam flebilibus vocibus inclamabat. Tunc Episcopus reductis confestim habenis, quisnam ille esset vel quid sibi vellet inquisivit. Cui dictum est a suis, rem ut erat agnoscentibus : Non vestrum est, Domine, de isto plura interrogare, quin potius sinite eum et pertransite. Dicebant enim ista metuentes ne illum, in sui et omnium suorum penes Regem periculum, tentaret eripere. Sed ipse eo magis causam inquirens, misericordiam interpellantis, ut eam plenius agnovit, voce alacri

dixit : Eia ! Benedictus Deus. Tunc ait ministris qui eum ducebant ad supplicium, redite nobiscum in villam et nobis istum dimittentes, Majoribus vestris et Judicibus nos eum vobis abstulisse renunciate ; nos enim vos securos faciemus. Qui resistere non ausi, ei hominem dimiserunt. Quem ille mox solutum a vinculis Eleemosynario suo commendavit. Qui ut hospitium est ingressus, convenientes ad eum Clerici sui et ministri monebant instantius, et exorabant ut permitteret Judices quod sui esset officii exequi circa reum suum. Dicebant namque : Hactenus, Domine, nullus juste contra vos sive Rex, sive quisquam alius vobis insidiatur, aut justam aut justo similem reperire potuit causam. Si vero sententiam forensium Judicum, jam latam, jam executioni demandatam, vestra duxeritis autoritate Pontificali irritandam, dicetur ab æmulis quod in ipsam Regis coronam deliquistis et quia in reatum incidistis læsæ majestatis. Quibus ille : Novi, inquit, magnanimitatis vestræ confidentiam, sed accersantur huc ad nos Judices isti (jam enim stabant quærentes loqui ei) et audietis, inquit, sermones illorum et nostros. Quibus ad suum consessum admissis, sic eis est locutus : Nostis, o viri prudentes, hanc sanctæ matris Ecclesiæ nostræ ubique terrarum prærogativam esse, ut quibuscumque periculum damnationis declinantibus et ad eam confugientibus securitatem præstet et incolumitatem conservet. Quibus id se bene scire, idque jure observari debere respondentibus, adjecit ille : Si illud scitis, illud, inquit, nihilominus scire debetis, quod ubicumque fuerit Episcopus cum simul adunatis Christi fidelibus, ibi est et Ecclesia. Qui enim materiales lapides Ecclesiæ suo consuevit ministerio Christo dedicare, qui et lapides vivos, ex quibus verius constat Ecclesia per singula sacramenta, ut dominica templa ex eis fiant, habet sanctificare ; jure debet ubicumque fuerit, ecclesiasticæ dignitatis privilegio gaudere, et periclitantibus cunctis juxta illius formulam subvenire. Quod judices illi gratanter accipientes, antiquis et Anglorum legibus hoc ipsum recolentes fuisse expressum, sed nunc modernorum vel desidia Pontificum vel tyrannide Princi-

ANNUS 1198

Ubi Episcopus cum populo ibi est Ecclesia

ANNUS
1198

pum esse abolitum, habito super hoc tractatu ad invicem, locuti sunt ei in hac forma : Domine, filii et parochiani sumus vestri, vosque Pastor et Pater noster. Nos igitur contra privilegium vestrum venire vel disputare nostrum non erit, nec erit, si placet, vestrum in nostri periculum attentare quippiam. Proinde si istum liberatis, nos minime resistemus ; sed vobis si placet ne erga Dominum nostrum Regem periclitemur prospiciendum relinquimus. Tunc ille : Bene, inquit, et recte locuti estis. Ego igitur istum de manibus vestris tollo, pro qua violentia ubi oportebit sufficienter respondebo. Sic reus lætus evasit, liberque Londonias cum Episcopo venit, et inde quo libuit indemnis abiit. Episcopus vero ad Proceres Regis in Scacario* præsidentes accessit, eosque ut indemnitati Ecclesiæ suæ, sub ejus præsertim absentia, benigne prospicerent amicabiliter exoravit. Qui ei reverenter assurgentes, et quod petierat obtemperanter se facturos pollicentes, compulerunt eum multis precibus ut secum vel ad momentum resideret. Quibus ille vix acquiescens sedit tandem. Unde illi exhilarati : Jam, inquiunt, triumphaliter gaudere valebimus, qui diem vidimus quo ad Regis Scacarium Lincolniensis sedit Episcopus. Ad hæc ille secum erubescens continuo surrexit, osculum porrexit universis dicens : Jam et ego de vobis triumphabo, si post libatum pacis osculum, in Ecclesiam meam quidquam admiseritis minus pacificum. Quod illius factum et dictum nimium admirati, mutuo loquebantur dicentes : O admirabilem prudentiam viri hujus ! Ecce quam de facili præscripsit nobis, ut neque jussi a Rege sine magno dedecore ei debeamus molesti existere. Quibus ille benedictione data recessit et Regem adire proponens, post hæc citius in Nortmanniam transfretavit. »

**Curia ubi res fisci aguntur.*

Londoniis honorifice a Proceribus recipitur.

Mira dicendi libertas.

Ad Regem in Normanniam transfretat.

Hactenus Acta. Quid porro S. Episcopo acciderit in via, anno sequenti dicendum reservamus.

LAMBERTUS CARTUSIENS. ET EPISCOPUS MAURIANENSIS MORITUR.

VIII. Hoc anno fatis fungitur Lambertus, ex monacho Cartusiensi episcopus Maurianensis, postquam per viginti et duos annos Ecclesiam suam eruditione et pietate exornasset. Anno 1179, cum quatuor aliis Episcopis nostri Ordinis pro-

fessis, adfuerat Concilio Lateranensi. De eo agunt noster Molinus et ex eo Theophylus Raynaudus et alii.

ANNUS 1198

DESIDERIUS EPISC. TOLON. PROFESSUS NOSTRI ORDINIS.

IX. Per id tempus florebat Desiderius episcopus Toloniensis, quem ex gravibus conjecturis credimus ex Præposito ejusdem Ecclesiæ, primum Cartusiensem habitum induisse apud Vernam, ex cujus Prioratu ad Episcopatum videtur evectus. Id nostri Vernenses statuunt sequentibus probationibus. Anno circiter 1170, Petrus episcopus Tolonensis et Desiderius ejusdem Ecclesiæ præpositus, una cum Canonicis Tolonensibus, huic Cartusiæ dederunt quicquid infra terminos continebatur; nec ultra Desiderius reperitur ut præpositus, sed alter dictus Gaufridus hac dignitate fungebatur eodem tempore quo Desiderius erat Prior hujus Domus. Anno siquidem 1174, 7 Idus Junii, Fulco Massiliensis episcopus, assistente Petro Tolonensi episcopo, transactionem factam inter cartusiam Montis Rivi et homines de Melna a suo prædecessore Petro episcopo, confirmavit Bertrando Priori, Honorato Sacristæ, etc., in præsentia et testimonio Desiderii Prioris Vernæ, Gaufridi præpositi Tolonensis, Petri Boneti Canonici Tolonensis, et aliis ex chartulario Montis Rivi, in quo præfatus Gaufridus præpositus adhuc invenitur anno 1180, et Desiderius Prior Vernæ usque ad annum 1183; quo quidem anno, translato Petro Gyrando episcopo Tolonensi ad sedem Arelatensem, discimus ex Sammartanis Ecclesiæ Tolonensi præfectum fuisse quemdam Desiderium, quem verisimile tenemus fuisse præfatum Priorem, qui eo ipso anno desiit præesse huic Domui. Præterea in chartulario Montis Rivi ad annum 1187 hæc leguntur : « Desiderius episcopus Tolonensis creditus ab utraque parte ac si jurasset, dixit quod ipse erat cum Fulcone episcopo Massiliensi apud Montem Rivum, etc. Ipse Petrus de Auronivis dixit, quicquid agatis ego vendo honorem meum pro mille ducentis solidis illi Monte Rivo, etc. Et sunt decem anni elapsi. Et hæc fuerunt acta in claustro ante ecclesiam, etc. » Si igitur, ut in hoc instrumento ponitur, sunt decem anni elapsi a præfata venditione, ipsa venditio debuit fieri anno 1177, quo anno Desiderius erat Prior, qui et annis præ-

ANNUS 1198

teritis et sequentibus reperitur sæpe adfuisse in Domo Montis Rivi cum præfato Episcopo Massiliensi; unde et nostri Vernenses conficiunt eum quoque præsentem fuisse prædictæ venditioni. Factus vero Episcopus sæpe morabatur in hac et Montis Rivi Domibus. Anno 1186, præsens fuit donationi factæ Montis Rivo per Guillelmum de Signa; et sequenti, ut vidimus supra, testimonium dixit de venditione honoris Petri Auronivis. Anno octogesimo octavo, duabus donationibus eidem Domui Montis Rivi factis chirographum suum apposuit. Anno nonagesimo secundo, feria quinta post Caput Jejunii, morabatur in hac Domo Vernensi, et annis, superiori die 23 junii in Monte Rivo, et præsenti iterum in Vernensi; tuncque arbiter delectus est cum Piniacensi Præposito in litigio Imberti archiepiscopi Arelatensis, Arberti abbatis, et Gervasii de Fossis uti docet Pancarta nigra Piniacensis. Posthac nulla de eo invenitur mentio, unde creditur circa idem tempus obiisse.

JESU CHRISTI

ANNUS 1199.

Innocentii PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 116.	Ann. 20.

I. ANNO Redemptoris millesimo centesimo nonagesimo nono, Indictione secunda, Innocentius Summus Pontifex sancti nostri Hugonis fidens integritati et animi constantiæ, quam maxime in rebus solebat exhibere, causam Sylvestri Giraldi Menevensis electi ei commisit ; etiam præcipiens ut eidem impenderet consecrationem, quamtumvis renitente Huberto Cantuariensi archiepiscopo, qui Sylvestrum episcopum inaugurare recusarat. Nihilominus idem Sylvester Sedem postea dimittere cogitur, factus forsan monachus Cartusiensis ut ex quibusdam jam alibi diximus.

SYLVESTRI MENEVENS. EPISC. CAUSA S. HUGONI COMMITTITUR.

Rog. de Hoveden ad an. 1199.

II. Interea Hugo jam in Nortmanniam appulerat, Regem iratum citius aditurus, quem in itinere constitutus audivit defunctum. Pergunt Hugonis Acta id singulatim his verbis enarrare :

HUGO AD REGEM PERGIT.

« Circa id temporis, Rex jam expeditionem direxerat versus Comitem Engolismensem, cui injustum, ut dicebatur, bellum parabat inferre ; inter ipsum vero et Regem Francorum ab armis interim quiescendum præscribebant regales treugæ, quas indixerat nuntiatæ jam tempus Septuagesimæ. Cum ergo pervenisset Episcopus in Neustriam, in terra illa, ob præsentiam maxime Legati domini Papæ qui in illis partibus erat, tribus fere septimanis moratus est. Inde circa principium Quadragesimæ Andegavis profectus, in quodam manerio

Lib. 5. cap. 16.

ANNUS 1199

Abbatis S. Nicolai non longe ab urbe Andegavensi non minoris temporis spatio perendinavit; Regis præstolatus reditum a locis remotioribus in quibus ipsum bellicis vacantem tumultibus adire nimis videbatur importunum. Interea a viris Religiosis rogatus Ordinis Grandimontensis, qui in vicino degebant loco, Ordines apud eos celebravit. Qui obnixius dum peteretur ab archidiacono Exenefordensi, nomine Waltero, quatenus juvenem ut videbatur satis idoneum notumque ipsi Episcopo, et charum ipsius Archilevitæ familiæ, ad gradum promoveret subdiaconatus, nulla ratione acquievit, sed pro eo intercedentes non sine quodam motu indignationis compescuit; quod quidem mirati sunt universi qui aderant. Sed paulo post, eodem Clerico culpis exigentibus lepræ contagione terribiliter perfuso, rei eventum considerantibus satis claruit Virum Dei quid futurum esset in spiritu prævidisse, in quo noluit benedictionem sacræ Ordinationis deperire.

Quidam ab eo e sacris ordinibus repulsus lepram incurrit.

III. « Manente autem Episcopo in loco præfato, audiebatur passim Regem in contemptores suos minari grandia et sæva moliri, unde et comitem prædictum evertere penitus festinabat. Perhibebant nonnulli quod Lincolniensem Episcopum simul et clerum suum inter illos computaret, quibus ob contemptum suum gravia quoque rependere quantocius festinaret. Talia de homine ferocissimo audientes Clerici, non mediocriter timebant sibi. Erant sub ipso tempore, apud urbem Andegavensem, ex clericis Herefordensis Ecclesiæ præeminentiores quædam personæ præsentes, pro eligendo Episcopo ad Regem venire disponentes. Erat unus ex his memoratus Walterus, qui et archidiaconus et canonicus erat Ecclesiæ Lincolniensis et præbendatus in Ecclesia Herefordensi. Quem dum in Episcopum ejusdem loci quidam præficere exoptarent, metuebant ne simultate præsenti, qua adversus Lincolniensem Ecclesiam Regis intumuerat animus, sui desiderii præpediretur effectus. Communi igitur consilio, Herefordenses cum Lincolniensibus, assumptis secum Decano cum Præcentore Andegavensi necnon et quibusdam ipsius Ecclesiæ

EI DISSUADENT AMICI NE AD REGEM IRATUM ACCEDAT.

Canonicis, ad Episcopum pariter convenientes, summis ei nisibus conati sunt persuadere quatenus propter malitiam dierum, ut suus Archiepiscopus crebro præmonuerat, tempus redimendo nuntios ad Regem destinaret, sumptuum cunctæ pecuniæ summam se daturum sponderet, ac tali compendio seipsum a labore dispendioso et sollicitudine anxia absolutum, ad suam Sedem quantocius remearet. Jam, inquiunt, non modo regnum sed et regiones singulas bellicus hinc inde fragor concutit, turbantur populi, urbes et vicos metus invadit : nihil jam tutum, non civitas ad habitandum, non ager publicus ad viandum, in brevi nec manere in his locis securum erit, nec abscedere liberum. In talibus totum pene diem usque ad vesperam consiliarii isti, nostro Job non parum onerosi, detrivere. Jam et isti a tribus locis convenerant, ut hoc illi persuaderent sive consulerent, et his quoque eum consolarentur. Hic vero solus, non solum contra homines tres sed contra totidem hominum turbas indesinenter repugnans, rationes eorum vacuas rationabiliter ostendebat. Hoc enim non, ut illi sentiebant, tempus redimere sed perdere et quidem turpissime, astruebat : ubi dignitas et Ecclesiæ libertas laicali adeo substerneretur satellitio, ut nec personis nec possessionibus ecclesiasticis ecclesiastica quies et tranquillitas concedatur, nisi pretio importabili pro Laicorum arbitrio hodie pax redimatur quæ crastino rescindatur. Et ille quidem talia de redemptione tali sentiebat et proferebat. Nobis vero jam satis factum est conspicabile, quia per hujusmodi exactiones ille Spiritu Dei plenus prævidērit in Ecclesia Anglicana paulo post eventurum; qui in præsentiarum videmus expulsis et in exilium trusis Monachis, Religiosis, Clericis, Episcopis et Archiepiscopis, non partem quamlibet sed universitatem bonorum suorum, laicorum cessisse rapinis. Cum ergo vehementius imminerent consiliatores memorati ut, procrastinatione remota, statim acquiesceret consilio jam diutissime reprobato; ille nimio affectus tædio quod cernebat eos, quanto in proposito pertinaces, tanto eis nisi mox cederet animo impacabiles, invitum tandem colloquium ita conclusit : Jam, inquit, fratres, quoad præsens ista

ANNUS 1199

ANNUS 1199

sufficiant, jam mane inspirante Domino in unam et bonam conveniemus sententiam, quam ipse ad nominis sui gloriam novit uberius profuturam : nox enim habet consilium ut frequentius experimento docti sumus. Illis post hoc recedentibus, afflictus et spiritu anhelus confitebatur se vix unquam in tam brevi tantum tædium pertulisse. Sedit vero meditabundus aliquandiu, omnipotentem Dominum intimo cordis affectu exorans ut perplexitatis tantæ nodum effugeret, quatenus et illum minime offenderet, et amicos et filios nequaquam vel aspernando eorum sententiam scandalizaret. Laxatis autem membris demum in soporem, cordis ejus intima Deum somniare cœperunt. Tunc post longas visionis almifluæ delicias, hanc cœlitus emissam vocem audivit : Mirabilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ ; benedictus Deus. In hac voce somno excitatus stratum deserit, solitoque citius ad confessionem, quam die quolibet Sabbati faciebat, accessit, in qua se vehementer reprehendebat super quantulacumque titubatione hesterna, quod vel spem convenientiæ suæ noxia consulentibus prærogasset ; spero tamen, inquit, quia confitenti sibi et deflenti iniquitatem meam propitietur mihi Dominus noster clemens et pius, et juxta omnia mirabilia sua eruet nos a præsenti angustia.

Cælesti visione reficitur.

Psal. 67.

MORTEM REGIS AUDIT AB ABBATISSA FONTIS EBRALDI.

IV. « Ecce autem in brevi post hæc, venit ad eum venerabilis Abbatissa de Fonte Ebraldi, indicans ei secretius Regem telo balistæ percussum, ancipiti sorte inter confinium vitæ et lethi fluitantem, dies jam aliquot in nimiis doloribus prætериisse. Quantum vero recolere possumus, Rex ipsa die jaculatus est ictu lethali, qua S. Hugo episcopus adeo cruciatus fuit importunitate sinistri consilii. Eo autem interstitio temporis quod nuncium et ictum intercessit Regii vulneris, nemo, et unde mirabamur, ei quidquam loquebatur super diffinitione tam ardui tamque ingentis negotii. Ipse vero sub silentio præstolabatur salutare Dei. Decanus interea et Canonici Andegavensis Ecclesiæ rogabant eum quatenus, instante die Dominica Palmarum, divinum apud eos exequeretur officium, quod suus Pontifex a curia nondum redierat Romana, ubi

nuper episcopalem perceperat consecrationem. Quibus ille acquiescens, cum jam præcedenti Sabbato ad urbem tenderet memoratam, medio itinere occurrit ei Clericus quidam, nomine Gilbertus de Lacy, verbis certissimis annuncians Regem mortis jam debitum exolvisse, quem et die sequenti ad vestigia patris sui Henrici, ad monasterium Fontis Ebraldi tradendum innotuit sepulturæ. His auditis altius ingemuit, seque ad locum designatum in obsequium funeris mox suis intimavit esse iturum. Quod ne faceret eorum pene universitas dissuadere tentavit. Ubi autem pervenit ad urbem, agnovit circumquaque hos percrebuisse rumores, passimque viantibus violentias inferri et rapinas undique exerceri. Nam et suorum quidam qui ab Anglia ei sumptus afferebant, in manus prædantium inciderunt, qui eis quadraginta marchas argenti abstulerunt. Suadebant igitur amici una cum domesticis ne seipsum et suos talibus exponeret tumultibus, quin potius in civitate resideret, quousque Regi defuncto Princeps legitimus succederet, per quem violentorum nequitiam comprimi eveniret. Asserebant namque plurimi tantam esse eorum perversitatem, quod non magis deferrent Pontifici quam personæ cuilibet laicali. Quid vero, aiebant, vobis suppeteret consilii, si, quod Deus avertat, in remota solitudine vectaturis et vestibus vos per istos contingeret spoliari ? Ad hæc ille, ut vere justus qui tanquam leo confidens absque terrore fuit, imo et illato semper terrore constantior infit : Satis utique patet quanta in hoc itinere timenda, sed timidis, occurrere possunt. Verum mihi multo magis timendum existimo, ne Domino quondam et Regi meo meam ignaviter videar subtrahere in tali articulo præsentiam, nec fidem vel gratiam mortuo reservare* quam vivo semper devotus exhibui. Quid enim si nobis molestiam intulit, dum sibi a malignis adulantium consiliis minus cavit ? certe sed præsentiam meam nunquam nisi cum summo excepit honore, nunquam me inexauditum dimisit, cum ei ore proprio super negotiis meis aliqua suggessi. Si quid in absentem deliquit, obtrectantium livori, non suæ id debuit pravitati sive malitiæ ascribi. Reddam igitur vicem

ANNUS 1199

* *Al.* reservem.

ANNUS 1199

pro viribus meis, mihi sæpius ab eo impensis honoribus ; nec per me stabit quin ejus exequiis devotus assistam. Si pergenti prædones occurrant, si equos tollant, si vestes auferant, eo expeditius pedes incedam quo fuerint vestium sarcinæ leviores. Si et pedes compedibus constringantur et incedendi facultas denegetur, tunc primo legitime excusabitur absentia corporalis, cum non suo vitio sed alienis remorata fuerit obstaculis.

REGINAM INVISIT ET CONSOLATUR.

V. « Hæc dicens, relictis in civitate sociis et universa pene supellectili sua, uno tantum ex minoribus clericorum suorum, et uno cum paucis ex clientibus monacho secum pergentibus, ire cœpit. Audiens vero reginam Berengariam in castro morari quod *Beaufort* vocatur, divertit a via publica et per horrida sylvarum loca, ut eam super viri sui consolaretur interitu, ad memoratum oppidum pervenit, locutusque ad cor viduæ mœrentis et ad animam pene consternatæ, miro modo spiritum ejus delinivit. Quam optimis sermonibus ad habendam in adversis tolerantiam, in prosperis cautelam informans, celebrata ibidem Missa ac benedictione solemni Reginæ cum aliis matronis quæ aderant multa ex devotione impertita, continuo recessit. Pervenit autem ipsa die ad oppidum, quod *Saumur* dicitur, exceptusque est cum lætitia et occursu festivo ab oppidanis illis, et apud prædictum Gilbertum de Lacy, tunc scholis ibidem vacantem, nimiis devictus ejus precibus mansit, liberalissime exhibitus. Sequenti mane dominica, videlicet prima die, venit ad monasterium Fontis Ebraldi obviosque habuit in ipsis foribus ecclesiæ regii funeris portitores. Quo demum honorificentissime juxta magnificentiam regiam tradito sepulturæ, rediit denuo ad hospitium prætaxatum. Inde per triduum continuatim ad monasterium pergens supradictum, Missarum et Psalmorum replicatione, tam Regibus ibi sepultis quam fidelibus cunctis in Christo quiescentibus, veniam imploravit et lucis perpetuæ felicitatem. »

Regis funeri adest apud FontemEbraldum.

Error auctorum circa diem obitus Richardi corrigitur.

Omnes fere Autores scribunt Richardum Regem obiisse die duodecima Aprilis, quem tamen ex prædictis constat jam ante aliquot dies defunctum, sepulturæ traditum fuisse Dominica

Palmarum, quæ hoc anno in diem undecimam ejusdem mensis incidit. Sed quia officium exequiarum cum insigniori pompa peragendum, in diem lunæ (qui fuit duodecimus) propter Dominicæ Palmarum solemnitatem differri potuit, idcirco forsan obitus illius in calendario Fontis Ebraldi ad eumdem tantum diem descriptus fuit : unde verisimile est diem anniversariam pro die mortis ab Autoribus signatam fuisse. Donationes et privilegia Domibus Withamiæ et Ligeti ab Henrico fundatore concessa, ipse Richardus confirmaverat ; quod et post eum fecit Joannes frater ejus et in regno successor. Hic, paulo post fratris obitum a proceribus tanquam legitimus regni hæres susceptus, sanctum Hugonem statim accersivit, a quo non adulatoria verba sed salutis monita audivit. Sic enim habent Acta :

ANNUS 1199

VI. « Feria vero quarta jam dilucescente, frater Regis Joannes, cognominatus *sine terra,* susceptus est apud Chinonem a proceribus quibusdam Anglorum ipsum castrum servantibus, ut præesset omnibus loco fratris sui. Familia quoque Regis defuncti ibidem constituta, se ad ipsum contulit ipsa die. Præstiterat enim solemne juramentum, quod testamentum Regis defuncti fideliter exequeretur ; quod præterea legitimas priorum consuetudines justasque terrarum populorum leges, quibus erat præficiendus, inviolabiliter observaret. Rex quidem modico ante obitum suum tempore terris omnibus quas habuit ipsum destituerat, eo quod acceperat ipsum cum Rege Francorum in sui præjudicio conspirasse. Qui sub ea tempestate qua Rex occubuit, apud nepotem suum Arthurum in Britannia fuit. Fratris vero nece audita Chinonem venit cum paucis, misitque statim ad B. Hugonem episcopum in burgo supradicto consistentem et repatriandi commeatum præstolantem, suppliciter exorans quatenus suam ei celerius dignaretur exhibere præsentiam. Ad cujus sibi occurrentis in via conspectum, ille gaudio gavisus immenso, admisso equo, relicto comitatu universo, ei obvius processit, eumque veneratus rogavit ut ab eo minime discederet, sed pariter reversurus secum in Angliam, in transmarinis partibus individuum sibi

A JOANNE REGE RICHARDI SUCCESSORE ACCERSITUR.

Lib. 5. c. 11.

ANNUS
1199

Cum quo rediit ad Fontem Ebraldum.

contubernium exhiberet. Quod ille se nequaquam facturum prolatis rationibus insinuans, venit tamen cum eo usque Samur, cum prius visitasset apud Fontem Ebraldi busta regalia, patris scilicet et fratris ipsius. Ubi quæ tunc gesta sunt, cum sint notitia et imitatione digna, non videntur desidioso silentio supprimenda. Cum enim novus ille tantarum gentium dominus, plurima stipatus Nobilium turma, ostia Chori propria manu diutius pulsans, ingredi vellet ut sepulchra videret prædictorum, seque orationibus sanctæ illius commendaret Congregationis, responsum accepit a duabus reverendæ gravitatis sanctimonialibus : quod nulli mortalium liceret aut conventum inspicere aut septa interiora adire nisi sub præsentia Abbatissæ suæ. Illius, inquiunt, reditum opperiri vobis oportet, quæ mox de itinere speratur reversura ; nec durum reputet Excellentia vestra quod nec intuitu illius Ordinis nostri Statutum infringimus : in hoc potius dignæ memoriæ genitor vester imitandus censeatur, qui in viris Religiosis id quam maxime venerabatur, si tradita sibi majorum instituta rigida et inviolabili devotione observarent. His prolatis, Virgines illæ prudentes pulsantem Principem compescunt et excludunt ; clausis diligenter foribus, ad socias revertuntur. Is vero ad Episcopum conversus rogabat eum quatenus petitionem suam, pro suffragiis illarum apud Dominum obtinendis, ancillis Christi exponeret, plurima etiam bona quæ eis conferre disponebat propalaret. Cui ille : Nostis, inquit, quod satis adversor omne mendacium ; cavebo igitur mihi ne labiis meis promissa vestra enunciem, nisi hæc certissime a vobis impendenda præsumerem. Jurat ille non modo quæ tunc promittebat impleturum, sed pro tempore et loco hæc se abundantius cumulaturum. Quod tandem S. Hugo episcopus sanctimonialibus ipso adstante exposuit, ejusque auspicia precibus earum meritisque commendans, data universis benedictione una cum ipso discessit.

Monialium constantia in servandis Statutis.

PRÆCLARÆ HUGONIS ADMONITIONES AD REGEM.

VII. « Cui plurima jam de pietate in Deum, de clementia in subditos, de justitia in universos disseruerat. Qui ad omnia se paratum animoque promptum et devotum contestans, ei tan-

quam patri et præceptori se ex integro pariturum semper affirmans, totius sui moderationem ejus sanctitati attentius commendabat. Cui etiam inter amicæ confabulationis verba, productum ex sinu lapidem, inclusum auro et collo suo appensum ostendit, asserens hunc cuidam progenitorum suorum cum tali fuisse pollicitatione cœlitus donatum, quod nunquam privatur avitæ dominationis amplitudine, si quis successorum suorum ipsum meruisset possidere. Ad hæc vero sanctus Episcopus Hugo confestim respondebat : Non, inquit, in lapide insensibili fiduciam ponatis, sed tantum in lapide vivo et vere cœlesti Domino Jesu Christo, huic fundamentum cordis vestri, huic spei vestræ anchoram firmissime imprimatis : hic enim solidus et vivus lapis, ut sibi omnes resistentes conterit, ita et sibi innitentes defluere non sinit, sed ad altiora semper attollens ipsos, ad ampliora etiam promerenda dilatando extendit. Cum vero ad porticum jam pervenissent ecclesiam egressuri, ubi imago extremi examinis, quo electi a reprobis secernuntur, eleganter satis pro modulo humani exprimitur artificii opere sculptoris, Episcopus comitem, futurum in proximo Regem, manu pertraxit ad lævam judicis, ubi Reges cum suis insignibus inter damnatos audituri sunt : Ite maledicti in ignem æternum, a gehennalibus tortoribus rapiuntur in Tartarum ; tunc ait Episcopus : Istorum ejulatus et interminabiles dolores et cruciatus vobis indesinenter animus repræsentet, hæc perpetua supplicia vobis ante cordis oculos assidue versentur. Horum malorum recordatio doceat vos, quanto sui dispendio aliis ad tempus modicum præficiuntur regendis hominibus, qui seipsos male regentes sine fine cruciandi dæmoniacis subjiciuntur spiritibus. Hæc dummodo vitare licet, semper expedit formidare, ne cum non licet, jugiter postmodum contingat tolerare. Dicebat quoque celaturam seu picturam hujuscemodi in ipsis ecclesiarum aditibus congrua satis ratione prætexi, quatenus intraturi et pro necessitatibus suis Dominum rogaturi, hanc summam et supremam necessitatem suam esse sciant, ut impetrent veniam pro delictis ; qua impetrata securi permaneant a pœnis, et gaudeant in deliciis

ANNUS 1199

Matth. 25. 41.

ANNUS
1199

Tempus quo auctor hæc scripserit.

sempiternis. Et quidem sanctus Episcopus talia prosecutus est. Sed O utinam Joannes, qui usque in diem hunc quo annus jam quintus decimus elabitur ex quo hæc dicta et facta sunt, omnia videtur oblivioni dedisse quæ illa die vidit, audivit, promisit et dixit; O, inquam, quæ tunc fecit et dixit, utinam vel nunc sero recordetur, et licet id penitus a pluribus desperetur, ad evadendum perpetuum interitum animetur. Cum enim in Deum et proximum, cum in Clerum et populum tanta commiserit, ut esse videatur plaga ejus incurabilis et excessus irreparabilis; et ipse tam oculo mentis obturato quam corde obdurato, nec quæ præsentialiter patitur sentit, nec quæ postmodum pati meretur intelligit, confusionis* suæ atque dejectionis dispendia. De quo jam, teste toto pene mundo, illud impletur quod Scriptura dicit: Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Utinam vero imminens vexatio det ei intellectum, ut saltem tunc studeat æternam vitare calamitatem, cum temporalem funditus amittit potestatem; et de sinistra in dextram se transferat Supremi Judicis, cum experietur quid habeat ponderis judicium quod parvipendit ecclesiasticæ severitatis: id enim se facturum, in loco superius memorato, asseruit. Transiens quippe et manu secum trahens beatum Episcopum ad partem oppositam, et ostendens Reges speciosis insignitos coronis, angelico ductu tendentes in gaudium superni Regis: hos, inquit, domine Episcope, potius monstrare debuistis, quorum exemplum atque consortium sequi et assequi habemus in votis.

* *Al.* confusionis ex hoc nunc suæ atque dejectionis, incurrit certa dispendia.

QUAM PARUM INDE REX PROFECERIT.

VIII. « Tam vero in gestu et affatu, paucis posthæc diebus, humilem se ostendebat et submissum, ut videretur excedere modum. Occurrentibus sibi obiter mendicis ac fausta imprecantibus, corpore incurvato ac capite altius demisso gratias diligenter referebat; salutantes se pannosas aniculas et mitissime resalutabat. Et vero post triduum, lætificatos non mediocriter ex his tam Episcopum quam et alios ista conspicientes, ex aliis gestis et dictis incongruis multo amplius contristavit. Ex quibus, gratia compendii plurima supprimentes, pauca referimus ut conjiciat prudens auditor ubi talem perpen-

ANNUS 1199

derit radicem, qualem æstimare liceat ex eadem arbore fructuum fertilitatem. Cum igitur die sanctissimo Resurrectionis dominicæ, oblaturus ex more ad manus accessisset sancti Episcopi Hugonis altario assistentis, aurea ei numismata a cubiculario suo, sicut mos regius exigebat, bis sena dabantur in palma. Hæc ille stipatus undique haud modica turba Nobilium, cum staret ante Episcopum diutius intuens et quasi ludendo agitans, tam diu offerre distulit, quousque omnes eum intuentes mirarentur. Tandem Præsul motus ob hujus gestum tali hora et tali loco : Quid, inquit, ita respicitis ? Qui ait illi : Istos sane aureos intueor, mecum reputans quod ante hos dies paucissimos si tenuissem eos, non vobis illos offerrem, sed meæ potius crumenæ inferrem. Indignatus ad hæc Vir Dei et vice illius vehementer erubescens, ut erat mentis piæ et cordis generosi, protensum ad se retraxit brachium suum, nec illius aurum contingere passus nec suam dexteram ore tam avaro sustinens osculari. Tremens vero in seipso et caput suum movens in eum : Jacta, inquit, quod tenes et recede. Qui in pelvim argenteam, in quam oblata congerebantur, nummos ipse projiciens abscessit. Nihil vero de oblatione sibi quisquam eorum qui Episcopo adhærebant, in aliena unquam ecclesia, nisi forte ubi ecclesias dedicaret, retinere præsumpsit; dicente sæpius ipsi satis injustum videri, si ab ara alterius illi quicquam temporale asportarent, qui de gratia ipsum locum custodientis spiritualem mentium alimoniam ibidem percipiant*. Hoc quoque tam in propria quam in aliena ubique diœcesi observari a suis faciebat. Nihil de ista ergo suorum quilibet oblatione quicquam accepit. Videbatur autem quibusdam quod Dominum in hoc imitaretur fidelis et prudens servus ejus : ut enim Dominus ad Cain et ad munera ejus olim non respexit, ita modo servus Domini quod muneris oblatorem non immerito improbavit, ejus vel munus tangere contempsit.

Ejus impietatem in ipsa missæ celebratione castigat Episcopus.

Oblata sibi in alienis ecclesiis nunquam accepit.

* *Al.* participant.

IX. « Qui verbum Domini astantium multitudini prædicare exorsus, cum de bonorum seu malorum Principum moribus et præmiis post futuris multa dissereret, dum ab aliis devote

CONCIONATUR PUBLICE CORAM REGE.

ANNUS 1199

acclamaretur sibi, memoratus Principum ille primus qui mane comedunt, tam materiam quam moram sermonis non æque ferens, ter misit ad eum flagitans obnixe ut sermoni metam ponat, divina percelebret, quatenus sibi post tanta jejunia vesci concedat. Sed fortis Evangelizator noster, qui super montem excelsum conscenderat, vota illius et mandata despiciens, quin et vocem fortius exaltans, multitudinem maximam auditorum tam diu pane spiritualis doctrinæ cibare non destitit donec, cunctis acclamantibus plurimisque illacrymantibus, ad digne percipiendum Panem sacramentalem qui de cœlo descendit et dat vitam mundo, eos pro tempore sufficienter informaret.

Regis impietas inveterata.

Princeps vero utriusque refectionis, cibi scilicet doctrinæ et sacramenti expers, carnem suam criminibus saturare festinans mentis jejunia non curabat. Neque enim ipso sacratissimo die Paschæ, sed nec sequenti festo Ascensionis Dominicæ, quando in Regem promotus est, sacræ communionis mysteria percipere acquievit. Ferebatur quoque a familiaribus ejus, quod ex quo discretionis annos attigit illius nunquam particeps extiterit. Post hæc octava die, dum apud Rothomagum inter sacra Missarum solemnia Ducatus susciperet insignia, cum solemni more ei daret Archiepiscopus lanceam in manus vexillum ferentem, quo Duces Neustriæ honoris sui investituram solebant percipere : ille audito tumultu applaudentium et pueriliter cachinnantium adolescentium quorumdam sodalium suorum, ut erat Divinis parum intentus animo, ad eos post tergum levitatis instinctu conversus, dum jocantibus et ipse arrideret, hastam quam minus firmiter apprehenderat decidere permisit in terram ; quod ei ominis fuisse signum infausti consona pene universorum qui aderant interpretatio asserebat. Jam vero hujus rei præsagium clarius enitescit, dum illo enerviter lasciviente, non solum Ducatum Northmanniæ, sed et cum aliis Provinciis et Comitatibus, Aquitaniæ etiam ditionem amisit, etc. Sed ad Hugonem nostra qualiscumque oratio recurrat.

SUAM REPETIT ECCLESIAM.

X. « Sciendum itaque ipsum Hugonem vere mundi exulem et cœli civem, et tunc quam maxime præsentis incolatus sui

ANNUS 1199

Ubi supra c. 12.

dispendia exhorruisse, cœlestisque habitationis desiderio flagrasse: ex quo plenius animadvertit optatam a quibusdam regni mutationem ad deteriora vergere, et speratam status ecclesiastici meliorationem in adversum cedere. Ad Ecclesiam suam quantocius censuit repedandum, quatenus saluti commissarum sibi solertius provideret animarum, sibi etiam liberius ex uberiori fructu pietatis omnimodæ ad superna gaudia exquireret commeatum. Valedicens itaque memorato Principi, recessit ab eo feria secunda Paschæ; cumque pervenisset ad villam quamdam in qua hospitari decreverat, quam incolæ *Flecam* vocant, ingressus ecclesiam, Missam celebrare parabat. Et ecce illo nondum sacris vestibus induto, turbati ad eum recurrunt ministri sui, nuntiantes equos et rhedas ipsius ab illius loci custodibus retineri, quosdam etiam ex sagmariis suorum a prædonibus abduci. Erant vero in comitatu ipsius dominus Gilbertus Roshecestriensis episcopus* et clerici diversorum locorum quam plurimi. Qui omnes unanimiter rogabant eum quatenus prætermissa, ob tantæ necessitatis et perturbationis eventum, Missarum celebratione, Evangelio sibi contentus foret; utque quomodo se et suos expediret a tantis periculis. animum intenderet. Qui nihil turbatus ex iis quæ a raptoribus gerebantur, sed nec motus ex iis quæ a comitibus suggerebantur, ut surdus et mutus ad audita cœptis tantum insistebat. Nec simpliciter et plane contentus officium peragere, imo sandaliis, tunica, et dalmatica cum cæteris insignibus utens, utque universos divino præsidio communiret, Pontificalem benedictionem agendis interserens, Missam more solemni quam devote peregit. Omnibus igitur rite completis, dum sacris se exuit induviis, accurrunt ipsius loci magistratus in ecclesiam, suppliciter et obnixe veniam postulantes quod impedire suos vel turbare præsumpsissent. Spondent quoque obsequia si dignetur pernoctare in loco, sin autem duxerit ulterius procedendum, conductum ex suis ad loca tutiora pollicentur. Quos ille satis hilariter allocutus, ut erat spirituali jucunditate ac cœlesti repletus convivio, conductum eorum non respuens, continuo ab eis recessit. Ipse quoque cum

Ejus animus adversis casibus invictus.

* Gilbertus Episcop. Roffensis.

ANNUS
1199

TURBULENTUS NUNCIUS HUGONEM TURBARE NON POTEST.

universo comitatu ad monasterium S. Petri in suburbio Cenomanensi constitutum pervenit.

XI. « Sequenti diluculo, dum matutinale Deo exolvit officium, et longas ex more solito recitari facit lectiones, tumultus ingens a mœnibus civitatis increpuit. Milites namque cum manu armata directi a Comitissa Britanniæ et ejus filio Arturo insultum fecerunt, ut Joannem prænominatum caperent, qui nocte quidem ipsa illuc advenerat, sed præsentiens insidias sibi paratas, ante lucis exortum clanculo pertransierat. Hæc ut primum agnovit Girardus quidam ex clericis S. Hugonis episcopi, turbulenter satis et anxie studuit quæ didicit enuntiare, orans ut officium quod agebat breviatis lectionibus percantaret, quatenus discursantium manus armatorum, dubia adhuc sub luce facilius declinando, cum sociis qui jam præcesserant, instantem diutius* perageret dietam. Verum ut hunc turbinem impavidus excepit, sic tranquille cum omni diligentia debitos Deo hymnos persolvit ; nec plane ad insipientiam sibi. Nam dum moraretur, affuit ejusdem loci Abbas qui illum eques præcessit, et per semitarum compendia illæsum deduxit ultra civitatis suburbana. Ex iis vero qui ipsum præcesserant, plures intercepti atque detenti sunt ab hostili violentia. Reliquit autem ibidem, in custodia Abbatis prædicti, rhedas suas cum equis aliquibus et varia supellectili, quæ simul omnia præfata Comitissa ad civitatem ipsam sequenti die adveniens, ad ipsum deduci fecit, orationibus illius seipsam et filium suum studiose commendans. Ipse vero Sagiensem tendebat ad urbem.

Arturi comitis Britan. conatus in Regem.

* *Al.* citius.

A Comitissa Britann. Hugo honoratur.

« Acceperat quoque relatione plurimorum, Abbatem de Persein* optimis esse studiis præditum probisque moribus valde insignitum. Audiens quoque illius cœnobium non procul a via qua pergebat esse constitutum, cupiens Viri Dei notitiam sibi comparare ejusque orationibus seipsum commendare, nec temporis inquietudine nec itineris potuit longitudine revocari, quin ad ipsum requirendum alacri devotione properaret. Per devios itaque suisque omnibus ignotos calles, cum paucis suorum ad diu quæsitum demum venit monasterium, reliquis servientibus et sociis recto itinere ad urbem præmis-

* *Persenia filia Cistercii.*

sis, quo erat ipse hospitium subiturus. Cum agnovisset vero Abbatem tunc esse absentem, celebrata Missa discessit, totum videlicet expendens piæ devotionis unguentum in ipso capite Justorum, scilicet Domino Jesu Christo, quod participare decreverat cum membro ipsius, et servo fideli admodum et honesto.

ANNUS 1199

« Jam vero post hæc, omni ablato cujuscumque difficultatis obstaculo, Ecclesiæ suæ gremio lætus excipitur, pacem exoptatam filiis reportans, multo quidem sudore sed multiplici honore comparatam, et toto ipsius vitæ suæ spatio duraturam. Occurrebant vero ei undique, non modo ex civitate et in civitate et diœcesi sua, turbæ lætantium et applaudentium tanquam duci eximio sublimiter triumphanti. Verum quoque plurimi in Nortmannia, in Anglia autem ex populo et ex Clero prorsus innumeri, unanimiter ei conclamabant : Benedictus qui venit in nomine Domini. Ipse vero totum Deo et nihil sibi tribuens, benedicebat Dominum qui semper in omnibus suos triumphat in Christo. » Hactenus Acta.

Lætus a suis excipitur.

XII. Hoc anno, in cartusia Montis Dei, memorabile pœnitentiæ publicæ exemplum actum est circa quemdam virum nobilem nomine Gerardum..... Hic propter graves Nostris a se illatas injurias, excommunicationis fulmine ab Archiepiscopo Remensi perculsus, pœnitentia tandem ductus accessit ad Montem Dei, ubi tam ipse quam omnes sui sceleris participes, detractis vestibus nudatisque humeris, ab unoquoque Monachorum cum virgis disciplinam acceperunt ; tum denique Remos pergentes, ab eodem Archiepiscopo absolutionis beneficium præsente Engelberto Priore obtinuerunt. Hujus vero historiæ veritatem ex ipso concordiæ instrumento audiamus :

EGREGIUM PŒNITENTIÆ PUBLICÆ EXEMPLUM.

« Noverint tam præsentes quam futuri, quod ego Sigebertus Mosomensis abbas, et ego Theobaldus decanus Bellimontis, missi a domino Willelmo venerabili Remorum archiepiscopo Apostolicæque sedis Legato, ut Fratrum Montis Dei terminos inspiceremus diligenter, vidimus fossatum illud, quod disterminat fines eorum a Gerardi militis finibus, pro quo et illis adversabatur, citra metas finium suorum plurium pedum

ANNUS
1199

Monachi Montis Dei de suo jure cedunt.

spatio institutum esse ; quod certum est præfatos Fratres fecisse ut magis de proprio jure cedere viderentur, quam aliorum fines invadere. Signa etiam perantiqua in modum crucis, fagis et stipitibus impressa et adhuc manentia, propriis oculis ego et Decanus jam dictus et duo ex monachis nostris H. et P., necnon et camerarius S. Remigii P., et Prior Vallis S. Petri R., similiter et Guido de Vonc et Robertus de Conde milites, et Prior Montis Dei cum cæteris quam plurimis Fratribus suis, homines etiam terræ quibus ad plenum veritas innotuit, inspeximus ; et visis prædictorum Fratrum chartis et diligenter perlectis, quas a magnificis viris habent Innocentio scilicet atque Eugenio Summis Pontificibus, et venerabili Odone ipsorum fundatore, necnon et Manasse Registensi comite, pro certo omnes testificamur, quod per omnia limitatio Montis Dei possessionum prædictis chartis concordet, nec in eis aliquis juris aliquid habeat. Audivimus et a Gerardo milite supradicto, coram nobis et multis testibus errorem suum cognovisse, et quod nihil omnino juris infra Fratrum prædictorum possessiones habebat vel clamabat. Quicquid enim prius tam ad se quam ad suos homines, tam in nemore prædicti loci quam cæteris possessionibus pertinere dicebat, mendaciter et fallaciter se id egisse recognovit ; et quicquid in eis clamabat liberum dimisit et quietum, atque omnibus erga prædictum locum renuntiavit querelis. Ego etiam jam dictus Abbas audivi eum apud Montem Dei juramento firmasse, quod bonam pacem de cætero prædictis Fratribus teneret, nec ulterius molestaret eos, nec aliquid infra terminos eorum constitutum vendicaret vel ab aliquibus faceret sive permitteret hominibus vendicari. Hoc etiam juramento firmaverunt nobis et Decano prædicto, et Luca Mosomensi et Willelmo de Setonia presbyteris præsentibus et audientibus : Alaidis conjux sæpedicti Gerardi, Joannes primogenitus ejus, Havidis et Helvidis ejus filiæ, Garnerius, Robertus Esculs ejus filii, pro alio lactente, qui dicitur Gerardus Lochez, mater assensum fecit et sub juramento firmavit quod cum ad intellectum veniret juraret quod et cæteri. Hoc et homines Gerardi juraverunt, et ipsi cum

Gerardus fatetur vim nostris sine causa fecisse.

Gerardo pœnitudine ducti pro forisfacto, quod prædicto loco intulerunt, virgarum verberibus coram multis se disciplinari fecerunt. Ego etiam et sæpe dictus decanus Th., cum ex præcepto Domini Remensis terminos Montis Dei vidissem et authenticis eorum scriptis concordantes invenissem, audivi illic Gerardum sæpedictum solemne juramentum fecisse, quod de equis ablatis, vel cæteris damnis aut injuriis Monti Dei irrogatis, dicto Domini Remensis per omnia staret, nec ullo modo juramenti sui sacramentum violaret. Asseruit et nobis audientibus, quod quicquid damnorum vel molestiarum prædicto loco intulisset, magis paupertatis necessitate coactus fecisset, quam ut aliquid justæ querelæ se adversus præfatos Fratres habere ostenderet. Hæc ego Sigebertus dictus Mosomensis abbas et Theobaldus decanus Bellimontis et cæteri prædicti viri sub testimonio veritatis, certa et rata esse testificamur et affirmamus, et sigilli nostri impressione munire curavimus. Actum et recognitum, anno Dominicæ Incarnationis 1199. »

Virgis cæditur cum consortibus sceleris.

JESU CHRISTI

ANNUS 1200

Innocentii PP. III Ann. 3.	Ord. Cartus. Ann. 117.	Jancelini P. Cart. Ann. 21.

S. HUGO ARBITER PACIS INTER ARCHIEPISCOPUM ET MONACHOS CANTUARIENSES.

I. MILLESIMUS ducentesimus adest Domini annus, currente Indictione tertia, quo Innocentius Papa omnimodam pacem Anglicanis Ecclesiis conciliare studens, sanctum Hugonem Lincolniensem et Eustachium Eliensem episcopos cum Samsone abbate S. Eadmundi judices constituit, qui diutinas sopirent controversias quæ a multis annis Hubertum archiepiscopum et Monachos Cantuarienses ab invicem dividebant. Sed quia B. Hugo diffinitioni causæ interesse non potuit, quod a Rege in Gallias evocatus Majorem deinde Cartusiam adire decrevisset, vices suas commisit viro æque docto ac justo Rogerio Bolnestonensi decano Ecclesiæ Lincolnensis, de quo jam alibi diximus. Ab his judicibus sedatum fuisse dissidium Rogerius de Hoveden scribit, sed exacerbatos patris et filiorum animos mutuo reconciliare solus potuit S. Hugo, qui a Cartusia redux, jamque morti propinquus, accersitis arbitris, sententia concordiæ confirmata, pacem mirum in modum reformavit ut loquitur autor Vitæ ejus, qui rem sic recenset post verba quæ de Balduino præfati Huberti antecessore super simili negotio ante tredecim annos retulimus.

V. supra ad an. 1187.

Balduinus Archiep. capellam ædificat.
Vita S. Hug. lib. 3. cap. 12.

« Idem quoque ejusdem Balduini successori Huberto in opus simile gestienti, et vir fidelis prædixit et verum finis induxit. Nam et ipse haud procul a Londoniis, capellam, instar prioris quæ secus Cantuariam diruta fuit, fretus regia

potestate erexit ; clericos in ea præbendarios sub Decano, secularium more canonicorum, aut per seipsos aut per interpositas personas ministraturos instituit. A quibus jam circa locum pluribus constructis ædificiis, protracta in longum inter patrem et filios, Archipræsulem et Monachos, lite amara; multis etiam personis electissimis, tam monachis quam e clericis, febribus in Romana urbe ob iter sub hoc intestino bello extinctis; viri tandem magnanimi inconsulta molitio eodem, ipso demoliente, in pulverem redacta est. Fecit hoc quoque tam invitus quam confusus, Apostolica nimirum severitate compulsus. Ad postremum vero, jam Viro Dei Hugone per ultimam vitæ mortalis ægritudinem ad æternam præparatæ felicioris vitæ incolumitatem tendente, ipso simul arbitro et cum Judicibus suis a Summo delegatis Pontifice, pax inter prædictos reformata est; mirum in modum in hoc exultante et divinæ Clementiæ gratias referente eodem veracissimo filio pacis. Gratulabatur namque impensius, quia instar beatissimi Martini Turonensis archiepiscopi, cujus semper et amator devotus et strenuus imitator esse meruerat, hanc virtutem suarum bonam fecisse consummationem, qua pacem Ecclesiæ redditam reliquisset. »

ANNUS 1200

Inde lis orta inter eum et canonicos.

Capella auctoritate Apostolica diruitur.

Hugo pacem inter eos conciliat.

Nunc Historiæ series et majestas exposcunt ut priusquam ulterius agamus de gloriosa sancti Præsulis morte, ea quæ anno præsenti ab eo gesta sunt, ex eisdem Actis quæ sic habent, prosequamur :

II. « Expleto jam uno post Regis coronationem anno, ad petitionem illius transfretavit iterum B. Episcopus, ut interesset colloquio ipsius habendo cum Rege Francorum, in quo demum pax reformata est. Videbatur sibi tunc opportunum tempus invenisse Vir Dei ut Domum inviseret Cartusiensem. Habuerat sane jam diu in votis ante vitæ præsentis excursum, locum semper amatum adire, statumque Ordinis præsentialiter intueri, et Gregis illius ut pusilli ita et sanctissimi aspectu et affatu, interna sua desideria ab æternis tumultibus aliquantulum respirando uberius refovere. Optabat profecto sarcinæ etiam pastoralis curæ ex integro (si daretur facultas) renun-

IN GALLIAM TRANSFRETAT A REGE ADVOCATUS.

Ubi supra lib. 5. cap. 13.

Cogitat aliquando de sua abdicatione.

ANNUS 1200

ciare, ne mundanis litibus diffiniendis sub prætextu spiritualis officii, ordine (ut memorabat) præpostero, totis ferme diebus cogeretur inservire. Jam urbium Prætores vel Præsides et Ecclesiarum Præsules eo fere solo distare dicuntur, quod isti continue, illi diebus interpolatis, forensibus vacant litigiis. Illis interdum licet rei familiaris suæ utilitatibus consulere, istis vero animarum suarum negotia vix quandoque permittitur tractare. Sollicitaverat jam secundo vel tertio aures Summi Pontificis per internuncios super hujuscemodi cordis sui proposito ; sed ille nullatenus acquiescens, non modo petitionem ejus repellebat, sed et petitionis mediatores durius objurgabat. Omnium sane difficiliores ac magis arduas negotiorum decisiones, quas inter fines totius Angliæ autoritate discuti contingebat Apostolica, Episcopo delegabant Lincolniensi quotquot suis temporibus Ecclesiæ præsederunt Romanæ Pontifices Summi. Personæ nihilominus quæque et mediocres et infimæ, quantum de meritis præsumebant causæ suæ, tantum coram eo contra suos adversarios optabant litigare. Illos enim, sive viribus sive armarentur dolis, sub examine judicis justissimi, et veritas facilius convincebat et æquitas citius percellebat. Nam et hoc quoque donum acceperat a Deo, ut sicut eo nemo æqui et recti tenacior, ita nemo inveniretur de facili qui eo videretur velocior sive acutior in discussione veri et falsi. Quod in eo attendentes hi qui peritiores in jure et in ventilationibus forensium sive ecclesiasticarum causarum exercitatissimi habebantur, miraculis ascribebant ; dum ille talium insuetus et quasi legum nescius, omnium præcelleret acumina et ingenia prævolaret Jurisperitorum.

Quanti eum fecerunt Summi Pontifices.

FIT PROTECTOR PUPILLORUM.

III. « Vidi quemdam in Londoniensi civitate præpotentem, Jordanum de Turre vocitatum, quem autoritate litterarum Domini Papæ in jus traxerant pauperes et pupilli duo, sub tutoribus adhuc agentes, super iniqua detentione quarumdam domorum hæreditaria successione sibi competentium. Causam vero ipsam in forum ecclesiasticum titulus (cui Jordanus dicebatur inniti) adduxerat usurarum. Hic die sibi præ-

ANNUS 1200

fixa, non quasi litigaturus, sed quasi litis progressum discussurus, ad episcopum Hugonem venerabilem multo stipatus agmine propugnatorum potius quam Advocatorum accessit. Cui dum litteratorie simul et viva voce preces inhibitionesque obtulissent stipatores sui, tam ex parte Domini Regis quam ex aliarum sublimium potestatum, nec non et civium communiter Londoniensium, ne in causa ipsa procederet, quia si faceret hoc, ut asserebant, in suæ urbis præjudicium redundaret ; cum Assessores ac domestici Episcopi subsistendum esse in causa unanimiter decernerent ; ille intra semetipsum paululum deliberans, hac demum voce oppressorem opprimit pupillorum. Meminerat enim pius ille Pater orphanorum Scripturæ dicentis : Pupillo tu eris adjutor. Ait itaque : Revera, Jordane, quamquam mihi semper extiteris carus, nunquam tamen tibi contra Deum deferre valemus. Verum quia niti contra tot et tantos fautores tuos, non modo parvulis istis, imo et nobis ipsis istisque nostris conjudicibus constat esse inutile : quod sumus acturi, nolumus te latere. Pro meipso tamen loquor, liberabo animam meam. Scribam igitur Domino Papæ, quod tu solus in terris istis ejus jurisdictioni contradicis, ejus autoritatem solus tu evacuare contendis. Hac ille sententia, ac si Parthica * sagitta feriretur, præcordialiter tactus, nimirum intelligens quanti foret ponderis relatio ista in auribus Summi Pontificis præsertim emissa ab ore tanti nominis Viri, tractare cœpit incontinenti cum suis, super restitutione facienda destitutis nec exitum alias inventuris : verba quippe Viri justi, sicut stimuli et sicut clavi in altum defixi, non dico cedere sed nec attingi quidem quiverunt rationibus aut blanditiis viri in generatione sua prudentissimi. Mox igitur conquerentibus ad condignum satisfacit ; nec sine enormi, ut asseruit, dispendio sumptuum quos in fundo ipso expenderat. Sic una brevisque Viri justi allegatio, obtinuit quod vix unquam crederetur obtinere posse causidicorum quantalibet multitudo. Licet vero in similibus persæpe casibus naufraganti subsidium præstaret innocentiæ, indignam Pontificis opera reputabat sollicitudi-

* *Al.* pertica *vel* sagitta.

Verborum illius efficacia.

Indignam episcopo censet curam frequentiorem terrenorum.

ANNUS 1200

nem, quæ sæpius circa terrena et transitoria quam circa cœlestia et æterna versaretur. Portabat vero sed in angaria crucem hujusmodi actionum, de solius merito obedientiæ, excusationis magis suffragium quam præmium rei commendabilis expectans. Verum hæc innumeris verborum et gestorum ejus non est necesse astrui documentis, quæ tamen scribenti ad manum satis occurrunt : cum talis animi hunc extitisse sit in hoc irrefragabilis approbatio, quod ad proprium Scaccarium sive computum reddituum sive expensarum suarum nunquam residere, nunquam hujuscemodi domus propriæ ratiociniis dignatus sit intendere. Quod vero Episcopum domui suæ debere esse præpositum monet Apostolus, ita implendum dicebat, et ita implebat, ut viris fide et discretione opinatissimis hæc opera imponerentur : de quibus (dum irreprehensibiliter se haberent) tamquam de seipso confideret; secus vero agentes, quod diu quidem latere non poterat, incontinenti amoveret. Nec enim privato erga quemlibet eorum, quibus dispensationes rerum crediderat, amore tenebatur; quos fides et industria poterat commendare assumebat, non quos quævis arctior necessitudo ad perperam quid agendum, ut assolet, poterat animare.

Locum explicat Apostoli.

ITER VERSUS BURGUNDIAM AGGREDITUR.

IV. « Verum iter ejus versus Burgundiam prosequamur. Licentia igitur a Rege et Archiepiscopo apud Castrum de Andeli petita et accepta, prima* mensis Maii, quæ fuit feria quarta, proficisci cœpit. Quod vero ut in ipsis jam primum fervescentis ardoribus æstatis tanti laborem itineris aggredi non timeret, eum non impetus carnis et sanguinis, ut quidam vaniloqui garriebant, sed revera spiritus ageret, hinc satis claruit quod loca Sanctorum reliquiis aut religiosis servorum Dei conventibus celebria, non solum in ipso itinere præsentia, vel itineri etiam contigua, verum quoque plurimum remota devotus adivit. Quia enim tempus instabat jam colligendarum frugum, quod ille annis singulis sanctæ vacationi dare consueverat, ut dum alii materiali fructu frumenti, vini et olei, suas exteriores satagerent implere apothecas, ille interius spiritualibus horum bonorum copiis multiplicari potuisset :

* *An. 1200 prima Maii occurit feria secunda, non quarta.*

decrevit modo totum illius temporis spatium in religiosa fatigatione expendere, et, sicut consueverat, ad Ecclesiæ suæ (agri scilicet Domini) culturam et sationem, tempore jaciendæ sementis redire. In primis itaque ad Meolentum sanctum adivit Nicasium, archiepiscopum quondam Remensem, quem suppliciter veneratus est, auro etiam ei oblato ; de capite ipsius os insigne, quod manibus propriis extraxit, cum ingenti lætitia consecutus est. Sane cum niteretur aliquem ex dentibus dicti Nicasii, cujus nudum in manibus tenebat caput sanctissimum, avellere, et sibi pro benedictione tenere, nec illud efficere potuisset, misit digitos in nares ipsius quæ semper Christo bonum odorem spirare consueverant, summa cum facilitate eduxit ossulum valde speciosum, quod Martyris geminos oculorum orbes interjectu sui discriminare consueverat. Hoc munus adeo pretiosum, auspicantis Deitatis munere susceptum, digna cum devotione complexus, spem concepit uberiorem quia in viam pacis et salutis dirigeret eum Dominus ; prosequente se se favore pariter tanti Pontificis qui sibi hoc dignatus esset de suis intimis artubus erogare : quod ipse nunquam ante destitit inter sacratissimos oculos fixum habere.

ANNUS 1200

Meolenti reliquias Sancti Nicasii obtinet.

V. « Iturus exinde venerandus Præsul Hugo Parisios, ad Beatum divertit Dionysium. Cum vero apud ipsum, ut dicere cœperamus, haud breves protraxisset moras (dum ad singula quæ sibi ostendebantur sacra, nec non ad universas ibi quiescentium Sanctorum memorias, larga fudit orationum libamina), jam vicum illum egresso innumeræ occurrebant Clericorum turmæ. Catervatim enim ruebant de civitate obviam universali scholarum consultori, ut de illo quidam versificator insignis ait, universarum pene Nationum scholastici coram cernere cupientes, per quem, post sanctum Nicolaum, comparabilia erga Clericos agnoverant exerceri beneficia. Cunctis itaque advenienti in nomine Domini applaudentibus, his oculo et alloquio, his aspectu solo cum benedictione illius glorianter perfruentibus, a nonnullis ad hospitium urgentissime invitatur. Sed dum omnibus in hoc

THESAURUM ABBATIÆ S. DIONYSII INVISIT.

Parisios accedenti obviam venit scholasticorum caterva.

ANNUS 1200

Hospitio utitur Raymundi cognati sui.

satisfieri non posset, uni tantum qui pridem sollicita prece impetrare hoc satagerat, sese hospitem non negavit. Erat hic ipsius, ut dicebatur, cognatus, nomine Raymundus, vir multa honestate conspicuus, ab ipso in canonicum Lincolniensem, ac demum Archilevitam Leycestriensem promotus. Qui ne a tam nobili stemmate generosi sanguinis degenerare videretur, ut semper æmulatus fuerat libertatem spiritus quam in tanto agnoverat patrono, longe post decessum Præsulis beatissimi, cum tempore interdicti Anglicani omnes fere Ecclesiarum Rectores (quos tamen in exilium barbaricus Regis furor minime adhuc coegerat), interveniente pecunia, bona sua redimerent a manu laicali; ipse pene solus spontaneum potius elegit et diutinum subire exilium quam sponsæ Regis æterni, sanctæ videlicet Ecclesiæ, libertatem ad nutum Regis terreni indigne quantum in se fuit subjicere servituti. Cui tamen juxta fidei et devotionis suæ meritum nutu divino pie retributum est, ut qui divitias multas amplumque honorem pro justitia postposuit, absque nota dedecoris et obligatione criminis, divitias et honorem quem habuit continue retinuerit. Honore quidem in immensum cumulato ex tam honorabili facto, et divitiis minus sibi quam cuivis residentium et male redimentium sociorum suorum hactenus nec imminutis, sicut omnibus imitandæ virtutis exemplum ita quam pluribus necessariæ stipis præstitit adminiculum. Nos quoque sub eadem tempestate, dura exulandi necessitate proscriptos post mortem B. Hugonis, ipsius liberalitas trimestri fere dierum circulo humanissime fovit, multisque in suo secum precibus detentos hospitio honorifice exhibuit. Hæc nos de hospite, tanti hospitis susceptore, nemo quasi per excessum breviter commemorasse nobis succenseat. Non possumus itaque, sicut nec debemus, quam vidimus et experti sumus bonitati ipsius minime perhibere testimonium. Sed nec ista scribendo longius recedimus a proposito; qui magistri recolentes insignia, discipuli pariter recensenda existimamus præconia : gloria siquidem patris est filius sapiens, et laus discipuli refunditur in magistrum. Sic et Ar-

Quis ille Raymundus.

Æmulus et verus imitator S. Hugonis.

Post mortem illius exilium patitur propter justitiam.

Auctor hujus vitæ eodem tempore exul factus.

chilevita strenuus suum exornat Episcopum, ut Sixtum Laurentius, Valerium Vincentius, Pontius quoque Cyprianum. Revera, sed neque Hugoni gratior unquam gratia ulla fuit quam videre filios suos ambulare in veritate, maxime si parati invenirentur pro ipsa veritate adversa æquanimiter tolerare, vel usque ad mortem pro ea viriliter decertare; sed jam cœptam de Episcopo Historiam prosequamur.

ANNUS 1200

VI. « De Archidiacono hæc ista tetigisse sufficiat, qui theologicis vacabat tunc auditoriis in supradicta Parisiaca civitate, sicut et ea quidem tempestate quando cum eo morati sumus in præfata nostra relegatione. Venit autem in hospitium illius invisere Episcopum illustrissimæ indolis adolescens, Regis Francorum filius et hæres Ludovicus, qui proxime sumpserat in conjugem * Regis Anglorum neptem ex sorore Hispaniarum, videlicet regina Blancha *. Venit autem et cum illo nepos præfati Regis Arturus, Galfridi comitis Britonum quondam filius. Hos pariter complexus Hugo pius, cuique illorum monita saluberrima dulciter instillabat. Ludovicus vultu placidus iis quæ dicebantur avide intendebat : Arturus aspernanter id maxime admittebat quod de dilectione et pace ad patruum Regem Anglorum habenda admonebat. Interea Ludovicus Pontificem orat, ut novam nuptam quam duxerat invisere dignaretur. Quod ille benigne annuens, ita pedibus suis ad proximum Regis palatium ivit, afflictamque quodam recenti casu adolescentulam verbis paucis in tantum exhilaravit, ut statim mœrore postposito quo diebus aliquot lugubris incedebat, et vultum et animum de cætero gereret lætissimum. Posthac cum Trecensem pertransiisset comitatum, venit ad eum vir quidam voce miserabili misericordiam ipsius implorans. Fatebatur se, culpis suis exigentibus, excommunicationis sententiam ab ipso excepisse ; unde cum metu continuo interitus, crebris jugiter infortuniis urgebatur. Sententiæ causa ista fuit. Fuerat idem aliquando custos quarumdam villarum Comitis Leycestriæ, quo tempore fur quidam in ecclesiam confugit villæ quæ vocatur Terabelya *, cujus ipse villicus fuit. Dominus autem fundi (est autem

SANCTUS HUGO A LUDOVICO POSTEA REGE FRANCIÆ VISITATUR.

* Ergo falluntur qui matrimonium hoc rejiciunt in an. 1201.

* Vocabatur Leonora.

Et ab Arturo comitis Britonum filio.

Ludovici conjugem invisit et consolatur.

Insigne pœnitentiæ publicæ exemplum.

* *Al.* Terakebya.

ANNUS 1200

fundus ipse in Episcopatu Lincolniensi) præcipuus habitus fuit in bellicis rebus, linea vero sanguinis generosi potioribus Regni Proceribus jungebatur. Hinc Regis favore comitatus, non minus suis quam sibi nonnulla præter jus usurpandi fiduciam vindicabat. Officiales itaque illius contra Scripturæ monita dicentis : Noli esse justus nimium, in hominem quærentem Ecclesiæ misericordiam, sævam exercentes justitiam, ipsum dolo productum de Christi ecclesia suspendio peremerunt. Tunc vero Episcopus in transmarinis agebat. Unde reversus et quod factum fuit cognoscens, sententiam excommunicationis generalem in autorem et complices hujus maleficii promulgavit. Reliquis ergo, qui super hujusmodi sacrilegio cauteriatam gerebant conscientiam, ecclesiasticæ humiliter se subjicientibus disciplinæ, hic vero, satisfactionis abhorrens districtionem et relinquens Angliam, ad Dominum suum confugit in Neustriam. Siquidem compulsi sunt illi qui necem intulerant fugitivo, nec non et illi qui proditione illum de septis ecclesiæ pertraxerant, omnibus vestibus exceptis femoralibus nudi, jam putrefactum hominis cadaver effodere, feretroque impositum, a suspendii loco humeris ita nudis in villam per unius fere milliarii spatium reportare. Ad omnium quoque limina ecclesiarum hujus vici, a cunctis illius Capituli presbyteris verberati, circumportati corporis membra jam putredine tabefacta propriis manibus, ut dictum est, nudis semper corporibus, in cœmeterium Basilicæ unde vivum eduxerant, sepelire sunt coacti. Post hæc Lincolniam nudis pedibus adire, ac præ foribus singularum tantæ civitatis ecclesiarum latera flagellis exponere, et his similia hiemali præsertim tempore ad tolerandum satis aspera, jussi sunt perferre. Hæc iste de quo agitur ferre non sustinens, cum unus esset ex illis, Angliam maluit exire. Cæterum juxta sententiam beati Job : Qui timet pruinam, irruet super eum nix ; et sæpe periclitatur morbo qui non patitur aspere tractari a medico. Nec dissimiliter huic ex suo ipsius cessit consilio. Qui enim reatus sui noluit correptionem sustinere, dum adhuc status integritatem potuit retinere,

Horrenda pœna eorum qui immunitatem Ecclesiasticam infregerant.

Job 6. 16.

ANNUS 1200

ingruentibus hinc inde super eum adversitatum procellis, eousque damnis afflictus est et variis incommodis, ut, sicut asserebat, eum tæderet vitæ suæ. Domino quoque suo præstare se obsequium arbitratus dum recalcitrare contra Episcopum nisus est, adeo sibi gratiam Domini sui senserat ex hoc ipso sublatam, ut nec in suo officio sineret permanere eum, nec in suo aspectu libenter eum vellet apparere. Qui reversus tandem in se, quem censuit fugiendum medicum jam credidit expetendum. Quem dum anhelus et anxius demum invenit, ab ipso et medelam jam in remotis posito vix percepit, quam in vicino oblatam percipere contempsit. Subiit tandem lætus septennis sarcinam pœnitentiæ, qui breviorem contempserat adimplere. »

Redit ad se profugus excommunicatus

Cui Hugo septemnem pœnitentiam imponit.

Deinde narrat autor quomodo ad Abbatiam S. Antonii divertit; quæ quidem retulimus annis 1084 et 1119. Statimque adventum ejus apud Gratianopolim et Cartusiam sic describit:

VII. « Hugonis itaque adventus, mox ut Gratianopolitanis innotuit, universi pariter obviam ruunt Viro in partibus illis votis omnium expetito. Quem suo cum Antistite, viro admodum venerabili, extra urbis mœnia susceptum, per urbem mediam floribus et palliis varioque decore ob ejus specialiter reverentiam splendidius coronatam, usque ad S. Joannis ecclesiam Cathedralem cum canticis lætitiæ et solemni deducunt processione. Erat autem Natalitius dies ejusdem Præcursoris Domini, post unicam mundi Domini Dei genitricem, tam Ordinis Cartusiensis quam Episcopi nostri specialis advocati. Missam majorem Hugo celebrans maxima cum devotione, sermonem fecit ad populum miræ suavitatis nectare conditum. Sicque geminatam lætitiam et annuæ solemnitatis et primæ post episcopatum suæ visitationis, civibus quondam et fratribus suis salubris alloquii gratia cumulavit, ut pane lacrymarum universos pene cibaret, dans eis potum in lacrymis, in mensura. Tanta denique cum humilitate talique ex devotione suffragia orationum ab universis expetiit, exiguitatem sui et indignitatem exaggerans, quem superna

EPISCOPUS GRATIANOPOL. OBVIAM HUGONI VENIT.

Ubi supra cap. 14.

S. Hugo populo concionatur.

ANNUS 1200

Fratris filium baptisat.

dignatio de stercore elevatum collocasset in sublimi, ut ab omnium oculis exitus aquarum educerent lacrymis distillantes oculi sui. Baptisavit quoque ipsa die puerum jam septennem, filium militis strenuissimi Willelmi de Avalim fratris sui, quem de sacris fontis Præsul Gratianopolitanus suscepit. Cumque patruus ipsius pueri vehementer instaret ut nomine suo, Petrus vocari debuisset, suggerente præsentium scriptore, respondit ei Hugo : Nequaquam sed Johannes vocabitur. Præjudicat enim tibi et loci et diei præsentis Patronus. Hunc nihilominus Johannem, miræ indolis puerum, hic item Scriptor in ecclesia Blesensi *, posito alphabeto super altare S. Johannis Baptistæ, prima paulo post elementa perdocuit litterarum. Peregimus autem tantæ solemnitatis diem cum ejusdem civitatis episcopo, a quo tam splendide nobis exhibita sunt quæcumque jura hospitii exigebant, ut videretur modus iste excedere modum. Diceres tunc hospitalitatem * Burgundionum ipsam quoque vicisse luxum effusionis Anglicorum. Inde summo mane sequentis diluculi tendentibus nobis Cartusiam, majorem pene itineris partem pedibus conficere cogebamur quos equi vehebant ; ascensus enim continuos per ardua et confragosa montis latera, equi sessore vacuo vix explicabant. Burdones vel asini hunc liberius permeant callem. Episcopus autem, necessitate suadente conversus in peditem, nimio licet sudore lassesceret, et spiritu tamen promptus et alacer socios meando lassabat. Id autem sollicitius providebat, ut dormientibus tempore meridiano Fratribus, ad ipsos perveniret. Cavebat summopere ne suus adventus quietem illorum saltem modice infestaret.

* *Al.* Belicensi.

* *Al.* dapsilitatem.

Itineris ad Cartusiam descriptio.

EPISCOPUS CUNCTA MONACHI INSTITUTA EXEQUITUR.

VIII. « Mansit apud eos, imo inter eos, tribus continue septimanis quasi unus ex eis. Horis maxime nocturnis, psallentium nunquam choro Fratrum absens. Nunquam dormiebat nisi in cella solitaria et semper solus. Quo etiam tempore quantum ibi hauserit quantumve sparserit, ex vicaria collatione virorum sanctorum, dulcedinis spiritualis, nemo a nobis expectet literis explicari. Id namque ne verbis quidem posset effari, vel ipsemet qui rebus ipsum meruerat experiri. Venie-

ANNUS
1200

bant illuc gratia visendi eum Episcoporum nonnulli, clerici quoque et laici quam plurimi. Pauperes in vicina commorantes parochia, ad eum quasi ab olim conclamatum et jam redivivum parentem proprium confluebant certatim, quos ille non impari affectu complexus et deosculans, amicabiliter cognoscentes se recognoscebat. Cum quibus et familiaria colloquia communicans, parvulo illi se docebat et factis et verbis consimilem, quem Magister mitis et humilis suis proposuit in Evangelio imitandum Discipulis. Cumulabat vero affabilitatis gratiam manus munere non parca, quia vigebat in eo pariter et lingua eucharis et dextera liberalis. Mansit quoque apud inferiorem, ubi Conversi habitant, habitationem diebus aliquot; ut ipsos satiaret ab uberibus consolationis, et ipse vicissim ex eorum colloquiis et moribus disciplinatis epularetur quasi ab introitu gloriæ gentium. Horum enim nonnulli a lata mundi via actionum digressi, illamque arctam et arduam viam quæ ducit ad vitam ingressi, spe felici expectabant aditum paradisi. His præterea diebus, certis horis, sese pauperibus ad videndum eum confluentibus exponebat, cum quibus ita socialiter verba conferebat, ut inter eos residens solo monstraret habitu monachali, quod non esset aliud quam unus ex illis. » Deinde narrat autor quæ de Episcopo Genevensi referemus anno 1205.

Hugonis lingua eucharis et dextera liberalis.

Conversos etiam visitat.

Pauperibus se videndum exhibet.

Omnibus omnia factus.

« Post spatium autem trium hebdomadarum, Episcopus noster sciens esse scriptum : Relinquet homo patrem et matrem et adhærebit uxori suæ, ad Ecclesiæ curam quam olim desponderat redire proponens, præter alia donaria, pignora inæstimabiliter pretiosa, Ecclesiæ a cujus uberibus in virum perfectum coaluerat, jam ultimum vale faciens jamque discedens, ad perpetuam sibi memoriam dereliquit. Habebat in scriniis capsulam argenteam, quam in Basilicarum dedicationibus circumferebat in manibus, numerosis Sanctorum Sanctarumque Reliquiis plenam. Has vel ipsemet, vel ipsorum custos scriniorum Monachus et Capellanus ejus, plerisque in locis acquisierat. Sed Episcopus per se perquisitas viro religiosissimo Cartusiæ sacristæ, coram Priore et Fra-

Per tres hebdomadas in Cartusia moratur.

Discedens pretiosa et argentea pignora ecclesiæ largitur.

ANNUS 1200

tribus, tradidit in loco illo conservandas; Monacho autem suo suas dimisit ad proprium monasterium apportandas. Verum quia de Sanctorum Reliquiis fecimus mentionem, non videtur otiosum si ad gloriam Sanctorum vel ædificationem legentium, breviter adhuc de eis aliqua referamus. Cum vice quadam a partibus transmarinis venisset Lincolniam, annulum more solemni in munus obtulerat super altare Beatæ Virginis finaliter ibi conservandum : cujus oblationis post oblitus et immemor, ipsum Cartusiensibus cum cæteris dari reliquiis imperavit. Cum vero ad memoriam reduxisset ei Monachus suus, ipsorum sacrorum custos, factam ab eo pridem donationem, annulum jussit Ecclesiæ Lincolniensi restitui; capsulam vero ex auro et gemmis fabrefactam, quæ apud Lincolniam erat in scriniis ejus, eis mittendam dedit, in qua reponerentur collatæ ipsius Reliquiæ; quod eodem Monacho satagente, post excessum Viri sancti impletum est. Expleta vero largitione præfata, Episcopus ad inferiora Conversorum habitacula continuo descendit. Die postera Cartusiæ, Dei benedictionem imprecans et suam largiens, corpore tenus discessit a loco, in quo jugiter corde permansit et animo.

PRIORATUM SS. DOMNINI ET MAXIMI VISITAT

IX. « Rogatus autem sæpius instantissime a viro devoto et strenuo, Priore S. Domnini et S. Maximi, quatenus Domum quam regebat, præsentiæ suæ dignaretur accessu lætificare, ad ejus cellam divertit; qui eum una cum Fratribus suis suscipiens obviatione solemni velut Angelum Domini, egit cum eo diem solemnem in cordis lætitia et exultatione spirituali. Disponebat vero Episcopus invisere Villam Benedictam, sic enim vocatur Cella in qua religionis sacræ libavit primordia. Dictante vero ratione itineris, perrexit prius ad castellum quod fuerat patris sui, in quo mansionem habebant et non modicam dominationem duo ipsius germani, Willelmus et Petrus. Hi semper Hugonem, utpote milites strenui, ita ad virtutis cursum incitare gaudebant, ut qui solet admisso subdere calcar equo. O quoties isti, non solum Episcopo sed et consiliariis ejus, et præsentes suggesserunt

Ad castellum fratrum suorum divertit.

et absentes mandaverunt, ne in falsorum fratrum seu crudelium dominorum persecutionibus animo lassaretur. Asserebant quoque malle se natum ipsum non fuisse, quam eum contra natales ingenuos ad depressionem libertatis ecclesiasticæ, vel ad momentum animo degenerante, cessisse. Ad hoc igitur hospitandi gratia veniens, non istorum solummodo, sed Nobilium, mediocrium et infimorum, loca vicina incolentium, uniformi congratulatione suscipitur; a quibus et biduo ibidem detinetur. Die demum tertia, ad Canoniam pervenit Villæ Benedictæ quam loci incolæ *Ville Benoist* vulgariter dicunt. Nec dictu facile quantum suus adventus præstitit tripudium, non solum ejusdem loci incolis, imo et omnibus circumquaque vicinis. Dedit autem ibidem Bibliothecam decem compararatam marchis argenti. Invisit etiam cellulam cujus, ut supra diximus, prioratum quondam adolescens gesserat, quæ nominatur ad Sanctum Maximum. In his vero locis vallabant eum viri decrepiti et senes cano capite, anus etiam incurvæ et mulieres annis provectæ. Ab his Hugoni applaudentibus, Hugonis rudimenta inter eosdem, velut lilium quondam germinantia, miris attolluntur præconiis. Asserebant ipsa quoque illius primæ adhuc ætatis initia, quadam insitæ virtutis lingua, futuræ sanctitatis in eo prænuntiasse insignia.

ANNUS 1200

Ab eis ad bonum animatur.

Villa Benedicta.

Prioratus S. Maximi.

« At ille castrum repetens de Avalim denuo prænominatum, una ibidem nocte quievit. Unde jam festinato in Angliam tendens, ad Bellicensem altera metatione devenit urbem. Ibi cratem dimidiæ manus Præcursoris cum tribus digitis, medio scilicet et binis inferioribus, cute adhuc nitida vestitam suscipere meruit osculandam, quam discooperire nudamque videre a pluribus retro annis nemo audebat. Verum pedissequus et vernula ejus, peculiari flagrans amore sui patroni fiduciamque erga ipsum nactus ulteriorem, hoc facere minime formidavit : congaudentibus sane canonicis ipsius Ecclesiæ quod virum reperissent tantæ puritatis qui hoc attentare dignissime potuisset; præmissa tamen confessione, absolutione et oratione subjuncta, reverendum illud sanctuarium tegmine

Reliquiæ S. Joann. Bapt. apud Bellicium.

Quas nullus nudas videre audebat,

Discoopertas Hugo fidenter osculatur.

ANNUS 1200

nudatum, cunctis præsentibus, palam inspiciendum ostendit. Ipsos quidem articulos qui tetigerant sanctum Dei verticem, ipse digitis tangere, osculis lambere non verebatur. Data quoque cæteris, qui circum circa proni adorabant, benedictione, ipso in sublime illos porrigente nosque desuper in crucis modum eis consignante. De quodam panno purpureo atque vetustissimo, qui diutissime huic sanctuario illud tegendo inhæserat, non modicam portionem incidit, quam suo Monacho summa cum devotione amplectendam dedit. In hoc autem itinere quatuor Ordinis sui Domos adivit : Cartusiam videlicet, Arveriam, Luvigniacum et Vallem S. Petri. » Quale vero apud Arveriam cum S. Artaldo colloquium habuit, dicere reservamus ad annum 1206. Pergunt Acta :

Quatuor Domos Ordinis visitat.

TRIDUO APUD CLUNIACUM MORATUR.

Ubi supra cap. 15.

Disciplinæ regularis observantia.

X. « Omittimus Cluniacum, et quam devote modernarum Religionum fontem adierit, quam reverentissime a tanta illius sanctæ multitudinis frequentia exceptus sit, quanta ejusdem Congregationis instantia triduo secum morari, et vires post laborem compulsus sit resumere. Cujus loci disciplinam in choro, in claustro, in refectorio, inter eos familiariter conversans, Missam celebrans et cum eis pariter convescens, cum plenius attendisset ac plurimum commendasset, sic demum ait : Vere si locum hunc, ut modo, prævidissem, cum necdum Cartusiam adamassem, suum me Cluniacum monachum fecisset. Quiddam inter cætera ibidem speciale vidit et laudavit, quod idcirco huic paginæ breviter inserimus, quia a beato Benedicto institutum, ab omnibus ubique locorum monachis neglectum miramur et quasi oblivioni traditum. Agens namque de suscipiendis hospitibus, in Regula sua beatissimus Benedictus inter cætera dicit : Legatur coram hospite Lex divina, deinde omnis exhibeatur ei humanitas. Quod erga nos Cluniacenses hoc ordine compleverunt. Post susceptionem Episcopi cum processione festiva, perceptamque illius benedictionem, ipsum Domnus Prior in locutorium deduxit et cum eo sedit, assumptis pariter et Senioribus de conventu circiter duodecim. Unus vero assistentium Fratrum codicem regulæ Pastoralis beatissimi Gregorii Papæ,

ANNUS 1200

quem ad hoc ipsum manibus allatum tenebat, aperuit ; procedensque in medium, capitulum unum aperte et distincte ad intelligendum percurrendo legit. Quo completo, innuente Priore, finem lectioni fecit et Episcopus similiter ad nutum Prioris, dicto *Benedicite,* loquendi præsentibus licentiam dedit. Sed et Cistercium cursim pertransimus, quo divertit ut Missarum solemnia in præclara festivitate Assumptionis Dei genitricis celebrare posset. Gallia namque universa, præter quædam privilegiata monasteria, ea tempestate sub Interdicto erat. Deinde voti compos effectus, et Fratrum loci illius orationibus commendatus, Claramvallem quoque visitavit. Miserat siquidem sanctæ recordationis Joannes, Lugdunensium quondam archiepiscopus, in occursum ejus quosdam venerabiles viros obnixe supplicans, quatenus sibi in loco commoranti prænotato, olim desideratam præsentiæ suæ copiam exhiberet, qui jam ævo gravis officio curæ pastoralis renunciaverat, retentis duntaxat jussu Summi Pontificis insignibus pristinis, in illo sancto cœnobio sacræ contemplationi sedulus vacabat. Sciscitanti autem Episcopo quibusnam scripturis meditationis suæ negotia potissimum devovisset, ita respondit : Psalmorum, inquit, meditatio, sola jam penitus totum sibi me vindicavit. Ex his quotidie recens et continue demulcens interioris hominis palatum, mihi refectio indeficiens jugiter innovatur. Post hæc, monasterium S. Remigii secus Rhemensium civitatem situm, sanctitatis suæ magnifice lætificavit accessu. Ubi moratus per biduum, librorum antiquorum copiam ibi repositam mirabatur ; modernorum desidiosam exprobrans incuriam qui non solum Patrum studia in condendis libris atque scribendis æmulari detrectant, sed neque relegere neque reverenter saltem tractare a Patribus elaboratos codices sacros student. Hic vasculum quoque, per columbam cœlitus delatum beato Remigio, miratus et veneratus est ; in quo jugiter ad unctionem Regum Francorum sacri Baptismatis copia rediviva exuberat. Cum autem pervenisset ad castrum S. Audomari, quod a portu Witsandiæ millibus decem abjungitur, ibi parumper a fatigatione

Cistercium.

Gallia sub Interdicto.

Joann. quondam Lugdun. Archiep. apud Claram vallem visitat.

Per biduum in Abbatia S. Remigii hospitatur.

Ibi sanctam ampullam veneratur.

Castrum S. Audomari.

ANNUS 1200

diutina ante maris ingressum duxit respirandum. Erat inde haud procul situm monasterium Ordinis Cisterciensis, Claramarascum ab incolis vocitatum, instabatque post triduum gloriosa solemnitas Nativitatis perpetuæ Virginis matris Dei Mariæ. Nolebat ergo elongari a loci vicinia, in quo divina celebrare licebat, ante festum adeo præclarum ; ne forte aura dissentiente, in Angliam ad hoc celebrandum minus tempestive occurreret.

PRIMUM ÆGROTAT.

XI. « Ipsa autem die qua ad S. Audomarum venit, venam sibi incidi fecit, quo liberius et alacrius, post expletæ observantiæ tempus quod in phlebotomia quies vindicare solet, celebritatem desideratam percoleret. Jam enim diebus aliquot, in membris singulis et corpore suo toto, gravedinem cum acuto quodam dolore senserat accrevisse. Post minutionem vero adeo incontinenti hæc ipsa molestia est augmentata, ut de mensa ad quam discubuerat, cum vix modicum quid gustasset, cæteris adhuc edentibus, abscedere et lectuli quietem adire sit compulsus. Quem mox ut cervicem reclinavit, sudor infudit affluentissimus, qui die ipsa tota cum maxima parte noctis fluere non cessavit. Tantum quoque cibi fastidium mox incurrit, ut per illud triduum vix quidpiam gustaverit. Circa vespertinas autem Horas, in Vigilia Festivitatis memoratæ, profectus est ad cœnobium prænominatum ; ibi, uno tantum Monacho et Converso uno ex suis secum retento, pernoctavit : reliquos cum equis omnibus ad hospitium unde venerat redire jussit ; satis, quoad licuit, resistentibus Abbate et Fratribus illius loci, et universum ejus comitatum secum summopere detinere certantibus. Episcopus autem in Infirmaria quiescere præelegit. Deputati sunt in obsequium ejus duo Fratres qui nimia devotione ejus famulatui insistebant, a quibus cum nihil escæ sumere cogi potuisset, pedes sibi abluendos et officiosissime fovendos et extergendos compulsus est exhibere. Nec multum post, alter eorum in Abbatem, alter in ejusdem loci Priorem favente Deo promotus, post mortem Præsulis Christi, nos in exilii nostri præsentis excursu, ad eos parumper digressos humane satis recognovere.

In valetudinario Clari-Marisci decumbit.

ANNUS 1200

In crastino autem penultimam Christi Pontifex celebravit Missam.

Penultimam celebrat Missam.

« Qua devotissime expleta, jejunus a cibo corporali hospitium suum repetiit in villa supradicta, ubi rem prodigiosam, quæ tunc innotuit, paucis explicamus. Pistor quidam farinam die Dominica consperserat, triverat atque fermentaverat, unde sequenti nocte panes quoque venales coxerat ; quos dum mane sequentis feriæ protraheret ex clibano, panis unus in pavimento fortiter allisus fracturam fecit, unde mox sanguinis rivus, qui panem circumquaque infecit, effluxit. Quo pistor viso, tale portentum expavit vehementer ; panem denique cruentatum comminuit, et per fracturas singulas cruorem liquidum stillare vidit. Fregit et panes alios atque alios, et in omnibus cruorem fracturas implentem aspexit. Conterritus itaque tam monstroso eventu, panes per unam fere hebdomadam, ne ab aliis viderentur occuluit. Sed interea mercenarii seu vicini ejus, id quod acciderat ad aures publicas detulerunt. Quid plura ? res demum oppidanis cunctis innotuit : unus ex his panibus Episcopo a convicaneis exhibetur. Frangebatur a nobis, sequebatur mox cruor fracturam ac si hominis seu vivi cujuscumque animalis caro incideretur. Hujus panis fragmen non modicum inde nobiscum in sinum detulimus. Erat autem panis fermentatus. Cocti pariter fuerant in clibano panes azimi et fermentati. Sed azimi in sua pura qualitate ostendebantur nihil prodigiosum habentes, fermentati omnes fundebant sanguinem, non secus ac si fractionem acciperent seu sectionem. Hinc sentiebant nonnulli punitam fuisse tali casu ostensam hominis cupidi temeritatem ; qui dum die Dominica præparasset quod sequenti feria maturius distraheret, dum panis azimus post seræ lucis crepusculum conspersus et coctus nihil admisit horrendum ; et ante vesperam contra religionis institutum in massam subactus et fermentatus panis, non quæstui profuit, sed actorem suum fecit ostentui. Plures siquidem ex his panibus per monasteria et ecclesias circumquaque missi sunt ad monimentum posteris, et præsumptuosis sa-

Sanguis e medio panis prodigiose perfluit.

Causa tanti prodigii, cupiditas lucri.

ANNUS 1200

crarum solemnitatum violatoribus ad correptionis documentum diligenter conservandum. At vero Matris ope misericordiæ, post celebratam, ut præfati sumus, in honorem ipsius Missam, famulus ejus et vicarius devotissimus ægritudinis levamen non modicum percepit. Exacta igitur solemnitatis die cum lætitia et exultatione, in crastino Witsandensem portum cum suis adivit.

NAVIM CONSCENDIT HUGO.

XII. « Sequentis vero diei aurora Episcopum cum suis navim conscendere vidit. Invocata autem summæ Dei genitricis Mariæ matre beatissima, videlicet Anna, aura quæ primo remissius spiraverat, carbasa repente implevit. Solent quidem universi marium transvectores, sicut maris stellam attendere Mariam ut cursum dirigat, ita Mariæ matrem precibus et muneribus corrogatis ambire ut currere queant, cum subsidentium * ventorum spiramina itineris commeatum negant. Huic vero, post ipsius natam, familiarius Hugo et devotius impendebat venerationis obsequelam, quæ ipsi vicissim in cunctis necessitatibus et periculis celerem rependebat opitulationem. Tunc quoque invocanti eam festina affuit, cursuque placidissimo littori optato celeriter appulsum adeo exhilaravit, ut confestim post pressas vestigiis suis arenas, ecclesiam peteret Missarum solemnia de sacro ipsius puerperio celebraturus. Quo certe ex facto satis patuit, quanta fuit in eo erga dominica sacramenta cordis devotio, quem neque marina jactatio, nec cum morbida valetudine inediæ per multos jam dies protracta maceratio, a divinorum celebratione potuerit cohibere. Astruxit plane continuata usque in finem sacerdotalis officii executione, quonam instinctu a primordio statim adeptæ discretionis, tanto sacerdotii amore flagraverit; qui inquirenti, sicut in præmissis retulimus, viro cuidam sancto an vellet sacerdos fieri, voce promptissima id magnopere velle se continuo responderet. Quod sane non idcirco voluit, ut inde inter homines quovis honore proficeret, sed ob hoc tantum ut eo magis magisque apud Deum et in Deum proficiendo, Deo tandem inseparabiliter inhæreret. Unde sicut pridem Monachus quoties de permissu Ordinis licuit, ita jam

* *Al.* succedentium.

S. Annæ auxilium experitur.

Statim post appulsum Sacrum facit.

In Ordine positus quoties licuit celebravit.

ANNUS 1200

Episcopus quoties possibilitati ratio occurrit, Missas celebrare nullo tempore prætermisit. Ex qua præcipue muneris sacri devotissima frequentissimaque perceptione, et singularem cordis munditiam et insuperabilem constantiæ cæterarumque virtutum firmitatem obtinere promeruit. Sed et invisibilium rerum et spiritualium mysteria secretorum inter ipsa reverenda Canonis secreta ei divinitus patuisse, familiares ipsius non latuit. Aliquando capellanum suum, quem pridie minuisse sanguinem sciebat, Missam celebrasse cognovit; quem tunc quidem blande corripuit, sed hæc iterum attentantem durius increpavit, districte prohibens ne ulterius id facere præsumeret, quia pericula ex tali præsumptione non semel accidisse sibique innotuisse memorabat. Verum ut cœpta procedat oratio, diem adventus sui in Angliam apud Dovuram, ubi applicuit una cum Clericis aliisque Domesticis et amicis, quorum ibidem turba non modica speratam et præcognitam ipsius præsentiam expectaverat, lætam lætus ipse cum lætis exegit. In crastino Doroberniam venit. Ibi Christi Basilicam mox urbem ingressus adivit, in qua primo ad Salvatoris aram, deinde ad singulas Sanctorum in ea quiescentium memorias, maximeque ad gloriosi martyris Thomæ mausoleum diutissime sed devotissime orans, seipsum et suos divino præsidio et patrocinio Sanctorum Dei attentius commendavit. Hinc Priore multisque Fratrum usque ad atrium exterius ipsum cum veneratione deducentibus, ad hospitium suum divertit. Illic Regis Justiciarii, necnon et plerique optimates regni, quos ad locum illum nescio quis tunc casus acciverat, Episcopum sanctum certatim invisere gaudebant, adventui ejus congratulando applaudentes. Quos ille magnanimi oris cordisque constantia consolari studuit, vultuque sereno dominica flagella servis Domini dulcia esse debere, et verbis docuit et sui ipsius exemplo declaravit. Cæterum ille summus Paterfamilias Deus, qui manum solverat ut eum succideret, falcem non retraxit a culmi succisione, quem ad messem album jam viderat; donec granum cœlestis apothecæ sinibus reconden-

Increpat eum qui minutus sanguine celebrarat.

Amicorum turbam obviam habet.

Allegoria.

ANNUS
1200

dum, ab ejus paleis excussum funditus ad horreum ab area transferret. Quid vero necessitates corporeæ, nisi paleæ ? quid culmus, nisi corpus ? Quid vero granum, nisi spiritus justi in messe dominica intelligitur ? Cujus quoque ager, mundus est ; area ejusdem, mundi pressura ; horreum, cœlestis Paradisus. Hujus sane prænuntia quædam messionis ei fuit oculorum sensim irrepens hebetudo, quæ pulveris et caumatis continuato ingestu, memoratæ profectionis tempore eorum aciem plurimum reverberabat. Qui crebro, suggerentibus nobis quatenus visui clarificando alicujus opem medelæ sineret adhiberi, una semper et eadem voce respondebat : Satis, inquit, oculi nobis isti sufficient, quandiu fuerit usus ipsorum necessarius. His igitur exterioribus parumper obtusis, necnon pristino decore exterius privatis, luminum interiorum de die in diem claritas limpidior reddebatur. Apud Cantuariam vero, ubi solent quorumdam levari ægritudines sæpius, adeo aggravata est ipsius ægritudo, ut inde Londonias non præter molestiam partim equitando, partim navali vehiculo deportaretur. Nihil tamen hoc suis votis adversabatur ; nec precibus quas in Christi templo devote libaverat, quod ei accidit, in aliquo obviabat.

Oculorum ejus hebetudo fit mortis ejus prænuntia.

Londonias appulit.

MORBO INGRAVESCENTE LECTO DECUMBIT.

Ubi supra c. 16.

XIII. « Nam ubi diversorium proprium, quod secus Londonium apud Vetus Templum possidebat, sanctus Præsul Hugo æger ingressus est, anhelantia febribus membra quies lectuli protinus excepit. Quod amicorum ipsius plurimi intuentes, mœstitia conficiebantur ; ipsoque audiente, divinam exorabant clementiam quatenus ipsum incolumem Ecclesiæ suæ filiis, ad ipsius jamdiu reditum valde suspensis, restitui juberet. Hos ille paucis blande consolatus, ait : Filiis nostris in Christo carissimis, sive præsens corpore sive absens, spirituali nunquam præsentia deesse valebo. Verum de valetudine mea ad præsens corporali, imo de meipso toto, Patris solius qui in cœlis est voluntas semper fiat. Transacta vero in eodem loco nocte una, postera die hæc ipsi qui scripsit ista locutus est : Hi, qui nos, inquit, temporaliter diligunt, imo et qui spiritualiter nos amplectuntur, vitam meam tem-

ANNUS 1200

poralem, quæ mihi revera jam pridem fastidio esse cœpit, satis cuperent prolongari; sed nobis sententia longe distans est, qui cernimus manifeste quam in brevi flebilis futurus sit status Ecclesiæ Anglicanæ. Melius itaque nobis est mori, quam vivere et videre gentis hujus imminentia mala et sanctorum. Nam procul dubio in posteris Henrici Regis impleri necesse est, quod Scriptura prælocuta est: Spuria vitulamina non dabunt radices altas, et ab iniquo thoro semen exterminabitur. Sed et Rex modernus Francorum sanctum genitorem suum Ludovicum ulciscetur in sobole prævaricationis, quæ thorum cum eo immaculatum repudiavit, ejusque æmulo Anglorum Regi impudica adhæsit. Quamobrem Gallicus ille Philippus regiam Anglorum ita delebit stirpem, quemadmodum bos herbam usque ad radices solet carpere. Nam a Gallis tres ipsius nati jam abrasi sunt: Reges videlicet duo et unus consul. Quartus qui super est, curtam habebit pacem cum eis. Scis vero quia post biduum Domini mei evangelistæ et apostoli Matthæi natale fiet. Dies ille mei quoque episcopatus natalitius erat; in eo, ut scis, unctionem suscepi pontificalem. Sæpius autem ab ineunte ætate ægrotavi, nec illam tamen unctionem quæ proprie dicitur infirmorum hactenus suscepi. Sola ex unctionibus quæ meæ possent congruere personæ, hæc mihi nondum est collata. Hanc igitur cras, in vigilia beati Evangelistæ promereri exopto. Jam ergo faciem Domini prævenire debemus et pura et vera confessione, ut ipso Domino annuente, tam venerabile sacramentum digne pro modulo nostro et salubriter pro dono suo contingat nobis percipere. His itaque memoratis, quidquid aliquando in se noverat accusabile, vel quidquid quolibet gradu ætatis, ordinis aut professionis sibi de se potuerat displicere, cœpit in conspectu Domini sub testimonio prius ejusdem, cui hæc loquebatur, Monachi et presbyteri sui, deinde adjunctis ei tribus reverendæ honestatis sacerdotibus, sollicite confiteri. Quorum primus Lincolniensis Decanus fuit; secundus Præcentor, qui cathedram ipsius post eum ascendit; tertius vero Archidiaconus Noranthoniæ, qui erat vir

Futurum statum Ecclesiæ Anglicanæ prævidet.

Sap. 4. 3. et 3, 16.

Ludovicum regem Franciæ, sanctum nominat.

Extremam petit Unctionem.

4 sacerdotibus per biduum totius vitæ noxas confitetur.

ANNUS 1200

vita utique et doctrina clarissimus. In hac confessione nec illa omisit, quæ innumeris pridem vicibus devotis viris compluribus fuerat confessus. Quorum quilibet fateri solebat, quod neminem eatenus vidisset, qui sicut vir iste seipsum nosset accusare : sic a se omissa, sic et indigne commissa, cum circumstantiis reatuum suorum prompte, acute, et plene sciret enumerare. In confitendo istud semper replicabat : Mala, inquit, mea, vera et sola et pura mala sunt : bona autem, si quæ sunt, non ita sunt, sed admixtione malorum impura et malis undique concreta ; et idcirco nec vera, nec simpliciter sunt bona. Celebrata igitur per biduum hujusmodi confessione, circa horam tertiam, in Vigilia memorata, Eucharitiæ ad se delatæ obviam nudis plantis, cilicio, tunica et cuculla vestitus processit a lectulo. Ante ipsum quoque tremendum, divinumque Sacramentum genua flectens et suppliciter adorans, diutius oravit ; commemorans infinita beneficia Salvatoris humano impensa generi, illique gratias inde referens, ac se, ut dicebat, nimis culpabilem ejus misericordissimæ pietati commendans ; ipsius denique patrocinium et auxilium usque in finem sibi adesse, nec se unquam deserere flebiliter implorans. Refectus denique vitæ æternæ dapibus, et Extrema Unctione in peccatorum remissionem delibutus, gratias egit Domino, dixitque nobis : Jam medicis et morbis nostris, ut poterit, conveniat ; de utrisque amodo erit in pectore nostro cura minor. Ei me commisi, illum suscepi, ipsum tenebo, ipsi adhærebo, cui adhærere bonum est, quem tenere beatum est, quem qui suscipit, cui qui se committit, validus et tutus est.

Nudis pedibus processit obviam V. Sacramento.

XIV. « Admonitus autem postea dum languor ingravesceret, ut etiam testamentum de more conficeret, ait : Tædet me sane hujus consuetudinis jam passim in Ecclesiam traductæ. Nam quoad animum meum, nihil omnimode aut possedi unquam vel possideo quod sentirem meum, vel non potius Ecclesiæ, quam regendam suscepi, proprium. Attamen ne fiscus solitus rapiat, si quid bonorum temporalium post meum obitum in episcopatu fuerit derelictum, jam nunc

MOREM TESTANDI VITUPERAT.

Attamen testatur ne fiscus bona pauperum rapiat.

ANNUS 1200

universa quæ videor possidere egentibus eroganda delego sub Domino Jesu Christo. Accitis itaque Decano et duobus Ecclesiæ suæ Archidiaconis, quæcumque in possessionum suarum facultatibus reperiri poterant, eorum provisione dispertienda egenis, ipsis tradidit. Post hæc orarium suum jussit afferri, quod cervici appendens, anathematizavit omnes illos qui de rebus suis aliquid fraudulenter deprimere, auferre violenter, liberamve facultatem exequendi quod jusserat prædictis executoribus denegare tentassent. Post susceptum vero munus Extremæ Unctionis, crescente in dies vi febrium, duobus continuo mensibus lectulo decubuit; quotidiana sæpius confessione, et quandoque sæpius repetita, levissimos cogitationum motus ac verborum excessus purgare festinans, si quando anxianti eveniret ministrantibus indignari. Orationi mens ejus semper intendebat, divinum officium utroque tempore, noctis scilicet et diei, studiose curabat horis statutis exsolvere, quas nec propter accessionem febrilis æstus aut præterire patiebatur aut prævenire. Psallebat et ipse, cum vires suppetebant, cum psallentibus, neglecte seu properanter legentes aut psallentes, mox voce terribili aut sonitu castigabat. Utriusque rei summa cura ei toto semper ævo fuit præcedenti, ut distincte et debito tempore Creatori persolveret laudes constitutas. Vicissitudinem standi et sedendi inter psallendum quamdiu valuit et ipse observabat, et suos observare clericos compellebat; ut dum unusquisque sedendo fatigata membra reficeret, alius stando et divinæ et Angelicæ præsentiæ reverentiam exhiberet. Cum magnis interesset Nobilium conventibus, aut decidendis præesset causantium litibus, sicut aliis moris est ad formandas interlocutorias interdum secedere : ita cum exigerent momenta progressæ litis, ad canendas divertebat Horas consuetas. In dedicationibus ecclesiarum et in celebrationibus Ordinum, mos ei dissimilis fuerat. Venit autem Rex visitare ægrotantem, cui ille nec modice quidem visus est assurgere vel assidere, cum necdum adhuc vires deessent ei ad sedendum in stratu suo, cum alimenta percipiebat. Rex ei compatientissime lo-

Anathema pronunciat in violatores testamenti.

Divinum officium horis statutis noctu diuque persolvit.

Visitatur a Rege.

ANNUS 1200

quebatur, exponens ei seipsum et sua ad beneplacitum ipsius exequendum. Illo autem (exclusis omnibus suis) ante jacentem diutius sedente, et blandis sermonibus multa prosequente, Episcopus fere nihil deferebat auditis. Regi tandem suos et testamenti sui executores, cum tota pariter Lincolniensi Ecclesia, protectioni ejus commendans, ipsi valefecit. Desperaverat profecto jam de maneria sua, quamobrem pauca ei loquebatur, ne perderet pulchros sermones suos. Metropolitanus quoque ipsius jacentem aliquoties visitans, quicquid humanitatis aut benignitatis posset pro viribus se exhibiturum pollicebatur. Cui ad postremum suggerenti, ut si ipsum verbo aut facto minus justo irritasset, aut læsisset, veniam ab offensa petere meminisset; ac demum profitenti quod suos sæpius animos acerbissime provocasset, et quod Pater spiritualis et Primas ejus haberetur, inde cordis pœnitudo veniæque necessaria videretur postulatio; ita respondit : Sane dum conscientiæ nostræ abdita quæque revolvo, quod vos sæpe ad iras provocaverim evidenter invenio, quid tamen pœnitendum inde mihi sit non perpendo. Sed quod sæpius et instantius hoc ipsum non egerim, mihi scio dolendum. Sed et crebrius solito, si diutius vobiscum vita ducenda restaret, id ipsum me facturum sub oculis cuncta respicientis Dei firmissime propono. Memini namque quia, ut vobis morigerarer, ea quæ vobis tacere non debuissem, quæque a Nobis si dicerentur æquanimiter non audirentur, sæpe sine numero ignaviter suppressi; sicque, mea culpa, vestram potius quam Patris qui in cœlis est offensam declinavi. Ex quo accidit quia multum in Deum deliqui, unde indulgentiam supplex inquiro; in vestram autem Paternitatem vel in Primatum vestrum, nec leviter nec episcopaliter deliqui.

Et ab Archiepiscopo Cantuariense.

Mira animi illius constantia et innocentia.

XV. « Postmodum, imminente sibi jam post dies quindecim lucis hujus die suprema, Gaufrido de Nogeres, nobilis fabricæ constructori quam cœpit a fundamentis in renovanda Lincolniensi ecclesia erigere, Hugonis magnifica erga decorem Domus Dei dilectio, talia cum eo contulit : Quoniam Domi-

NECESSARIA PRÆSCRIBIT AD DEDICATIONEM ALTARIS A SE CONSTRUCTI.

num Regem cum Episcopis et totius regni Primoribus Lincolniam in proximo ad generale colloquium conventuros accepimus, accelera et consumma quæ necessaria sunt ad decorem et ornatum circa altare domini et patroni mei sancti Joannis Baptistæ, quod etiam per fratrem nostrum Rolnensem* Episcopum cum advenerit, una cum cæteris Episcopis volumus dedicari. Nam et nos ipsi denuntiati tempore colloquii illic præsentes erimus. Optabamus sane nostro illud ministerio consecrare ; sed quia Dominus aliter disposuit, volumus ut priusquam illuc veniamus, excusatione remota, consecretur. Hæc ipsa verba et aliis quibusdam repetiit, dans in mandatis servientibus suis cunctisque majoribus ecclesiæ suæ, ut in exeniis vel in obsequiis suis, quantum possent, deferrent honorificentiam non solum Regi, sed et Episcopis, aliisque amicis Lincolniam adventuris. Urgere eum interea languor vehementius cœpit, geminatisque quotidie paroxismis, in solida ejus membra febrile sæviebat incendium ; vitalia et internorum medullas dysenteria exhauriebat diebus aliquot ante obitum ejus. Quæcumque circa exequias et sepulturam suam voluit expleri, nobis iterato insinuavit documento. Cineres, inquit, solemni ritu benedictos præparate, quos in crucis modum spargetis super locum terræ nudæ, in quo ponetis me cum instare videritis horam supremæ exspirationis meæ. Cilicium enim, more quorumdam, in Ordine nostro migrantium nequaquam substernitur : eo quippe quilibet moriens apud nos contectus esse debet, quo pridem vivens usus est et indutus. Hæc quidem loquebatur cilicio et tunica indutus, cuculla quoque supervestitus.

« His involucris potius quam indumentis nullo ægritudinis suæ momento caruit. Non ardor febris, non corporis tantus sudor, aliquid horum ei detraxit. Cilicium semel aut bis mutari sibi vix permisit, quod sudore ac si luto concretum, et restis more contortum, inter corpus et tunicam ejus laterum frequenti mutatione reperimus ; quod etiam cutem ejus enormiter abrasisse nescio quot in locis deprehendimus. Et quia noveramus Cartusienses plurimum infirmis cilicia ex

ANNUS 1200

* *Lege* Roffensem.

Et ad sepulturam suam.

Quomodo Cartusiensis monachus moriens tractatur.

Cilicio, tunica et cuculla semper indutus Hugo.

ANNUS 1200

consuetudine tollere, dicebamus ei : Domine, nimium lædit vos et exulcerat in continuis jacentem sudoribus hispida vestis hæc ? oportet vos illam exuere, et ea, juxta morem Ordinis dum ægritudo infestat, penitus carere. Ad hæc vero ille dicebat : Nolit Deus, absit istud ut fiat ; non enim lædit sed lenit nos vestis hæc, nec tam exulcerat quam juvat. Præcepit quoque scriptori præsentium dicens : Scio quidem nec Episcopum quemquam, nec Abbatem in istis locis reperiendum, qui debitum commendationis officium educendæ de carcere isto animæ meæ valeat impendere. Universos namque hujus terræ Prælatos edictum generale pertraxit Lincolniam. Mittes ergo pueros cum equis ad Westmonasterium, qui deducant septem vel octo Monachos ut celebrent vobiscum exequias nostras. Ad Decanum nihilominus S. Pauli verbis meis mittens, mandabis illi quatenus ex Clericis chorum frequentantibus copiosam huc dirigat multitudinem. Ita siquidem speciosas mihi persolvetis exequias. Cum vero tempus fuerit ut corpus exanime Pontificalibus induatur ex more, sociabis tibi unum ex sacerdotibus regularis habitus, qui tecum funus diligenter abluat et abstergat. In ecclesia namque Matrice Sanctæ Dei Genitricis non procul ab altari S. Joannis Baptistæ habeo sepeliri. Quamobrem exuvias corporis mundissimas oportet exhiberi, quas sudor tantus multo jam squalore infecit. Cave ne in hac parte quævis obrepat negligentia, qua loci reverendi dehonestetur dignitas sacrosancta. Frater Petrus, Conversus noster, aquam subministret abluentibus ; nullus omnino alius, ubi hæc fient, intersit. Cum ad ecclesiam Lincolniæ perlatum fuerit corpus meum, proferes ex scriniis nostris, quæ ibi sunt omnia vestimenta, in quibus Pontificalem suscepi consecrationem, a sandaliis usque ad mitram, funusque sepeliendum eisdem omnibus induetis. Sunt namque plana nec ambitiosa, quæ in usus istos hactenus conservavi. Annulis quoque suis ei præsentatis, unum modici ponderis, aureum tamen habentemque saphiri aquatici gemmam, nobis tradidit. Istum, inquiens, dum episcoparer, digitus noster excepit, istum dum sepeliar

Pulchre dictum.

Prævidet nullum Prælatum tempore mortis ejus affuturum.

Jubet corpus suum post obitum lavari.

Et eisdem vestiri indumentis, in quibus consecratus fuerat Episcopus.

ANNUS 1200

dextera hæc retinebit. Prospeximus nobis in hoc tunc, cum ad gradum istum accessimus, ut ordinatio et humatio nostra eisdem insignibus donarentur, quod videlicet viventem eisque utentem, humilitatis admonerent. Et circa extinctum tandem et tumulatum hæc fortuito reperientem quempiam, ad rapiendum ea sui pretio vel specie minime provocabunt.

ILLUD PRÆNUNTIAT QUANDOQUE TRANSFERENDUM.

XVI. « Eo igitur hoc persequente, audientibus significatum est quod post sepulturam primam corpus suum transferendum quandoque, ac proinde inspiciendum esse præviderat; quoniam quidem primitus in sepulchro duplici, plumbeo scilicet et lapideo, utroque solidissime obserato, recondendum; nec eum ibi videre quisquam nec sua sibi ornamenta præripere valeret. Ipsum vero sepulturæ suæ ita designabat locum: Ante aram, inquit, sæpe dicti patroni mei Præcursoris Domini, ubi congruentius videbitur spatium, secus murum aliquem ponetis me, ne pavimentum loci tumba, ut plerisque in ecclesiis cernimus, importune occupet, vel incedentibus obstaculum præstet aut ruinam. Cum vero durius vexaretur doloribus immensis, hujusmodi verba sæpius orando repetebat: O pie Deus, requiem præsta nobis! bone Domine Deusque verax, dona tandem nobis requiem. Qui semel ita consolantis voce diximus: Jam, Domine, quiescetis; tractus vero pulsus vestri jam finiri innuit accessionem istam. Ad hæc ille: O vere, inquit, beatos illos, quos vel extremi dies judicii requies inconcussa donabit! Ad quem vicissim dicentibus nobis: Hujus diem judicii illam Deo volente habebitis, qua istius carnis sarcinam deponetis. Ille e contra: Non, inquit, recte sentitis. Non enim judicii sed gratiæ et misericordiæ dies erit, qua ego defungar. Stupori magnæque admirationi fuit, inter multiplices cruciatus violentissimarum ægritudinum, invicta semper animi fortitudo. Ita se in lectulo, cum vellet, in latus aliud gyrabat; ita robuste incedens, cum secederet a lectulo, quo esset necesse ibat et redibat, ut congressum quemdam et conflictum cum infirmitate corporis, virtus animi ejus iniisse putaretur. Et dicebant medici hujusmodi gestus ejus intuentes: Vere spiritus hominis istius

Invicta animi illius fortitudo.

ANNUS 1200

sustentat infirmitatem ejus. Vere cum Apostolo insultare potest corpori mortis hujus, et dicere : Quando infirmor, tunc fortior sum et potens. Vox quoque ita succo plena virili ei fuit, ut licet submissior, subtilior tamen solito, satis audiretur.

Quam miro Deus ordine vitam illius direxerit.

« Lectionem post Martyrologium, de Joannis evangelio, ipsa quoque die qua decessit, propriæ vocis sonitu ita fecit terminari, ut in crastino ibi coram funere ejus ad Missam inciperet legi Evangelium, ubi pridie nutu ejus textus Scripturæ ejusdem desiit recitari. Quod postquam advertimus, glorificavimus Deum qui pulchro miroque ordine omnia ejus opera, vitamque totam usque in finem semper dirigebat. Erat namque de familiari confabulatione Salvatoris nostri et Marthæ ante suscitationem Lazari fratris ejus, quæ ita contexit : Dixit Martha ad Jesum, Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Cum autem alias canonicas Scripturas temporibus statutis, tum ad Matutinas, tum ad mensam suam annuatim relegi instituisset, quatuor Evangelistarum totidem libros post primam diei horam præmisso capitulo Martyrologii, quatuor anni temporibus, perlegi faciebat. Has enim lectiones etiam cum equitando iter ageret nullatenus omittebat. In quo religiosum Eunuchi illius studium æquiparasse aut etiam vicisse probatur, qui sedens super currum Isaiam legisse, Philippumque catechistam monitu angelico promeruisse prædicatur. Quod enim ille semel egisse commendatur in curru, hoc iste innumeris vicibus equo tantum vectus, continuo agebat usu. Ut autem liquido innotesceret nulla eum dejectione, vel inter vitæ suprema discrimina, solitæ magnanimitatis culmen deseruisse, hortatus est eum quidam ex amicis suis ad explendam peccatorum quantum sciret sufficientem confessionem, ita dicens : Quia, Domine, sicut ipse nostis, efficacior Deoque acceptior est illa confessio quæ specificat sigillatim omnia, quam illa quæ sub quadam generalitate includit singula ; et vos multo tempore ordinarius, nec non et delegatus judex plurimorum extitistis ; quantum memoria recolit, satagite confiteri quos vel quot ob

Joh. xi, 21.

privatum amorem sive odium promoveritis, ut assolet, in negotiis suis, aut depresseritis minus juste. Ad hæc ille verbum protulit, quod plurimis audientium gaudio pariter et miraculo fuit : Odio, inquit, seu amore, sed nequidem spe vel timore personæ aut rei cujuscumque, unquam a veritate judicii me scienter exorbitasse memini. Si judicando deviavi a recto, hoc propriæ ignorantiæ, aut certe assidentium crimen fuit.

ANNUS 1200

XVII. « Nec prætereundum inconsulte videtur, quod Vir totius semper vanitatis et superstitionis adversator, gustum potius carnium in extremis hujus ægritudinis quam esum, pro bono obedientiæ nequaquam repudiaverit. Suggerentibus namque amicis, et medicis asserentibus quia, hieme transacta, facilius curaretur si esculentioribus cibis affectum jam corpus et quartanis algoribus post alias febres congelascens foveri permisisset; jussit Archiepiscopus, et in remissionem peccatorum injunxit ei, ut in tali quoque dieta consilio medici parere deberet. Ille vero præscriptum objiciens Ordinis Cartusiensis, quo in commune omnibus morbidis et moribundis esus carnium inhibetur, id sibi illicitum fatebatur : sed ne multis immoremur, ad petitionem demum Clericorum suorum, de mandato quoque et sedula admonitione Cantuariensis Archipræsulis, susceptis per Domnum Robertum, tunc quidem Procuratorem ac paulo post Priorem Wittamiæ, Fratrum ejusdem loci hortatoriis epistolis ut suo Archiepiscopo incunctanter in hac ejus jussione pareret ; carnes ab adolescentia sua usque tunc nulla occasione a se prælibatas, in cibum sumpsit. Dicebat vero nobis : Sciatis quia nec desiderio nec remedio aliquatenus esse poterit adeo suasus iste carnium esus. Verumtamen ne tot venerabiles viros scandalizemus, imo ne vel ab illius vestigiis vel in morte jam positi recedamus, qui factus est usque ad mortem obediens, dentur nobis carnes. His enim nunc pro fraternæ dilectionis condimento libenter vescemur. Sciscitantibus autem medicis, quibusnam carnibus vesci placuisset, ita respondit : Pedibus, si vobis videtur, suillis, quos infirmantibus a sanctis quondam Patribus legimus fuisse concessos. Hos igitur appositos, vixque

EI SUGGERUNT MEDICI ESUM CARNIUM.

Jubet Archiepiscopus ut edat.

Hortantur Fratres.

Propter obedientiam, et scandalum vitandum consentit Hugo.

ANNUS 1200

Sed eas primoribus tantum dentibus degustat.

præviis dentibus attrectatos jussit amoveri ; similiter et de minutis volatilibus minimum quid gustavit. Solebat dum fuisset incolumis quosdam viros religiosos, maximeque Rectores cœnobiorum arguere, qui propter consuetudinem regularem Fratrum suorum, a carnibus omnimode ducerent abstinendum. Meminimus eum cuidam Abbati abstemio talia quondam dixisse : Tu, inquit, frater, a quo solatium et exemplum sumere debent subjecti tui, propter abstinentiam istam extraordinariam in utroque peccabis in eos. Tu quoque ipse non delicias resecabis tibi, sed mutabis ; et in hoc quidem superstitionis crimen et vanitatis non facile evadis. Tibi enim ab Officialibus aut legumina peregrina, aut pisces carnibus pretiosiores, et vice sagiminis varia condimenta pigmentis et caris confecta rebus parabuntur. Hoc discent exemplo subditi apposita sibi fercula rejicere, et condimentis coquorum semper novis inhiare. Qui vero nihil horum voluerit aut valuerit quærere, dum funditus appositas carnes tangere respuit, stomacho male confortato a mensis recedet. Quod dum sæpius egerit, primo insomnietas, denuo mentis torpor, postremo totius corporis imbecillitas, jam ad omnia spiritualis vitæ exercitia invalidus permanebit. Quale vero solatium a te suscipere illi sperabunt, qui diutino affecti tædio, nunquam mensæ tuæ consortium quidquam sibi allaturum recreationis certissime sciunt. Nam quod ego carnibus non utor, non tantum mei arbitrii est, quantum Ordinis decreti, cui semel cervicem subjeci. Quamobrem et in leges suas Ordo noster pauciores colligit, quia quod ille instituit, varie complexionata multitudo non capit. Vos e diverso qui multitudinem regere suscepistis, sicut moribus multorum servire juxta Legislatoris nostri sententiam debetis, sic multiplicibus eorum infirmitatibus condescendere et necessitatibus providere habetis. Et hæc quidem illi iste dicebat. Verum de his sententiam sapientis viri, hoc loco præter historiæ cursum breviter nos tetigisse, lectorem nostrum non pigeat, cum pariat quibusdam parum institutis non contemnendam formam necessariæ discretionis. »

ANNUS 1200

QUID CENSENDUM DE HUJUSMODI S. HUGONIS FACTO.

XVIII. Hæc Acta, quorum seriem juvat tantisper interrumpere, ut quæ ibi de carnibus beato Viro ex illius consensu ministratis legimus, paulo attentius consideremus. Ea cum tot talibusque circumstantiis et restrictionibus autor recenset, ut semper verissimum maneat, quod superius dixerat: nempe « eum a carnis et sanguinis omnimoda perceptione et sanum et ægrotum abstinuisse. » Hic autem Hugoni suggerunt medici, asseruntque facilius sanitatem recuperaturum, « si esculentioribus cibis affectum corpus foveri permittat. » Jubet Metropolitanus tamquam Superior. Objicit ille « præcriptum Ordinis Cartusiensis », sed Procurator Witamiensis admonet et hortatur ut Archiepiscopo pareat. Quid tandem « vanitatis et superstitionis adversator » inter malleum et incudem positus ? Pedes suillos ad vitandum scandalum petit sibi apponi, sed quos, « vix præviis dentibus attrectatos, jussit amoveri. » Sicque et præscriptum Ordinis et præceptum Metropolitani simul digessit. Nihilo tamen minus credimus sanctum Hugonem nunquam carnes gustaturum fuisse, nec Witamiæ Procuratorem illarum ei usum suasurum, si tunc Statutum illud celebre extitisset (quod tantum postea extitit) quo totus Ordo carnium esui coram Ecclesiæ Prælatis renuntiavit, ut ad annum 1254 dicemus. Sed quæritur nunc an Monachus factus Episcopus, in carnium comestione a Regula monachali eximatur ? Respondit olim Glossa in Canonem Innocentii *de Monachis,* non videri quod eximatur; rationem affert, quod « Canon tantum infirmitatis causam excipit in Monachis. » Cum igitur non liceat Monacho Cartusiensi vesci carnibus in quacumque infirmitate, consequens esse videtur neque id ei postquam factus est Episcopus, licere. Et quidem ita censuit Nicolaus Albergatus, cardinalis Ordinis Cartusiensis, qui carnium esum etiam in postremo mortis articulo constanter rejecit; imo nec potionem pingui aliquo temperatam sustinuit haurire, ne tantopere adamata et observata hactenus Ordinis sui instituta, re ulla violaret, ut asserunt Autores coevi qui de eo scripserunt. Id congruit doctrinæ sancti Thomæ docentis, Religiosum factum Episco-

An Cartusiensis factus Episcopus teneatur abstinere a carnibus.

S. Thom. 2. 2. q. 185. artic. 8.

30 *b*

ANNUS 1200

pum ad observantias teneri quæ pontificali Officio minime repugnant, sed magis valent ad perfectionis custodiam. Quæ vero sint hujusmodi observantiæ declarat cardinalis Cajetanus in hunc S. Thomæ locum his verbis : « Aliquæ observantiæ manifeste afferunt utilitatem perfectioni Pontificali, ut castitas, paupertas, abstinentia, jejunia moderata, abdicatio honorum et hujusmodi. » Alii Theologi distingunt observantias substantiales ab accidentalibus. Ad quam vero earum nostra ab esu carnium abstinentia respectu Episcoporum referenda sit, quamquam nostræ non sit parvitatis decidere ne ullas Episcopali sublimitati statuere leges videamur, nihilominus constanter asseveramus Cartusienses Episcopos ab ea lege non esse absolutos. Fatemur quidem cum Choppino eos a Regulis et Statutis, quoad obligationem legalem et ejus coactionem, tutos esse ac immunes ; sed non quoad morale vinculum ipsorum Statutorum, quæ servare debent, licet a pœnis ipsorum liberi. Quamobrem Innocentius III quemdam Monachum ad episcopatum assumptum, tanquam votifragum et observantiæ regularis oblitum acriter reprehendit, quod picturata cella chirotecisque sericis uti, amplo galero caput tegere, et carnibus usque ad saturitatem publice vesci cœpisset : maxime cum et Pontificalis dignitas eum a voto non absolveret. Sed Hugonis persequamur Acta.

Monast. lib. 1. pag. 99.

Epistol. Innoc. III, lib. 3. Epist. 9, apud Mol.

SACRÆ EUCHARISTIÆ VIATICO MUNITUR HUGO.

XIX. « Sed jam quæ restant de boni Doctoris nostri recessu a nobis, ut cœpimus, explicemus. Pridie quam migravit a corpore, ut frequenter prius singulis septimanis consueverat, viaticum percepit Corporis et Sanguinis Christi. Sexto decimo Calendas Decembris, feria quinta, jam die advesperascente, cum sentiret vires sibi magis magisque deficere, misit quosdam de servientibus ad Priorem de Westmonasterio, alios etiam ad Decanum S. Pauli ; pro accersendis, sicut pridem jusserat, Clericis et Monachis in obsequium funeris sui. Post hæc, imposita diutius vertici nostro dextera sua, commendavit nos et universos filios suos Deo voce sua pene suprema. Nam percepta benedictione ipsius, diximus ei tertio, antequam verbum aliquod ex ore ejus elicere possemus : Rogate

Dominum ut Pastorem Ecclesiæ vestræ provideat ei profuturum. Ad quod tandem ait : Deus id faciat. His ab eo dictis, nudari fecimus pavimentum coram eo, et crucis effigiem, sparsis ibidem cineribus benedictis, expressimus; quam ille, digitis e contra benedicens, capite demisso adorare nitebatur. Tunc, cum ab eo satis invite tali hora recederemus, ne tamen minus plene die ultimo divinum audiret servitium, cui adeo diligens studium omni pridem tempore consueverat exhibere, hymnos qui ad Completorium solent dici, cœpimus decantare. Cumque ad illum psalmi locum veniretur ubi dicitur : Clamavit ad me et ego exaudium illum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum; illo ita fieri innuente, expositus est in medio et cineri impositus : psallentibus autem nobis festinantius vultu placidissimo spiritum sensim colligebat, quem tunc in manus Conditoris tradidit cum psallentium chorus Canticum Simeonis recitare cœpit. Sicque, tam prophetico quam evangelico claruit testimonio ; quia dum crebro, ut prædiximus, rogantem pacem sibi dari, Dominus exaudivit. Probatum quoque et illud verissime est, quod ipse prædixerat : quia dies defunctionis suæ, non sibi foret dies Judicii ipsum qualibet amaritudine percellentis, sed dies potius misericordiæ delictum omne dementis et ignoscentis, gratiæque leniter in pace ipsum refoventis : præstante Eo qui misericordiam et veritatem eum diligere in veritate in omni vita sua fecit, quique ei gratiam et gloriam in vita et in morte dedit, Jesu Christo Domino nostro per quem gratia et veritas facta est. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus, benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

ANNUS 1200

Cineres benedicit quibus imponendus erat.

Psalm. 90.

Placide obiit.

XX. « Cum duorum jam mensium spatio, Lincolniensium gloria Hugo, artus febre jugiter, ut præmissum est, fatiscentes spiritui servire coegisset, Martini Turonensium gloriosi antistitis festivitas cœperat imminere. Hujus ille in omni vita sua cultor et æmulator peculiaris extiterat. Frequenter quoque in oratione sua et ipse patroni sui verba usurpaverat, omniumque uni vero Deo hæc cordis labiorumque suo-

FUERAT S. MARTINO DEVOTISSIMUS.

Ubi supra c. 17.

ANNUS 1200

rum vota precator supplex profuderat : « Domine, jam satis est quod huc usque certavi, et si parcis diutius anxianti, bonum est mihi : fiat, Domine, de me voluntas tua ; cui si non resultat in hoc voluntas tua, fiat ut sub tempore festi Domini mei sancti Martini, optata post varios et immensos labores messis concedatur mihi ; sub istius, si placet, ducis et signiferi tui, o Rex gloriæ, festo triumphali quo de mundi hujus Principe triumpho potitus extremo ad te pervenit, et me licet immeritum ad te jubeas accersiri. Hujus me, Domine, suffragiis commendatum et fultum præsidiis, a castris tuis ad palatium, a spe ad speciem contuendam gloriæ tuæ jubeas citius emigrare. » Talia itaque non semel audientibus nobis, Hugo non sine multis gemitibus orando ingeminabat. Nos quoque scientes quam devota semper æmulatione Martinum coluisset, quam alacriter in festivitatum Martini celebrationibus extitisset, quam dulce habuisset virtutes ejus referre, imitari mores et studia sectari, satis timebamus ne forte consequeretur suæ petitionis effectum, nosque desertos et desolatos morsibus exponeret rapacium luporum. Nec vero aliter quam timebamus evenit. Justus namque Dominus justitias dilexit in justo suo, et iniquitatum nostrarum meritis æquitatem, quam eis deberi vidit, vultus ejus retribuit. Confisi tamen de pietate justi Domini, et opitulatione justi servi sui, viciniora saluti demum consequi nullatenus desperamus. Nam etsi ad momentum indignationi subjecit nos, sed non in finem affliget nos supplicantes servos suos, nec continebit in ira sua misericordias suas misericors et miserator Dominus. Verum de tribulationum nostrarum præmiis, juste quidem etsi minus plene iniquitatum nostrarum meritis respondentibus, stylus interim sileat; et Hugonis potius, ut cœperat, vel balbutiendo triumphos explicet, narret trophæa, et B. Martini virtutibus, S. Hugonis cognationis insignia memoret. Hugonem namque Martino de quo agimus etsi per omnia conferre fortassis pertimescimus, ipsum tamen ei in vita et in morte multifaria ratione comparabilem claruisse aperte videmus. Quod expressius commemorare nobis qui-

Deum rogaverat ut circa illius festum moreretur.

Hugonis cum S. Martino comparatio.

dem non pigrum, lectori vero credimus fructuosum. Igitur Martini ab adolescentia inter eremum et monasteria vivere animus semper fuit, fuit et Hugonis. Martinus in adolescentia, Hugo in pueritia, repudiatis militaribus pompis tyro Christi efficitur. Martinus vero, ut militaret Christo frementia militum castra deseruit; Hugo ut expeditius adhæreret Christo, Clericorum contubernia dereliquit. Martinus signo crucis, non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetraturum se obtulit securus : penetravit similiter et Hugo armatorum cuneos, evaginatos contra se vibrantium gladios, non quidem semel, sed vicibus multis. Martinus Pontificatus arcem invitus, ac contradicentibus superbis ascendit ; ascendit ordine pari et Hugo. Martinus in convivio presbyterum prætulit Regi superbo ; sepulturam pauperum Regibus Regumque conviviis prætulit et Hugo. Terrenum in diebus suis Martinus non extimuit Principem ; sed neque Hugo. Superstitiones ritusque sacrilegos longe lateque eliminavit ille : similiter eliminavit et iste. Martinus dæmonibus imperavit, imperavit et Hugo; ille super falsis rumoribus, et fama a dæmonibus septem conficta, veritatem ab energumeno studuit elicere ; iste ne pythonissa etiam vera divinaret studuit inhibere.

ANNUS 1200

Mira in Hugone oculorum temperantia.

« Martinus, qualibet pergens, oculos in cœlum semper figebat erectos : quod adeo mentalibus oculis agebat et Hugo, ut iter faciens ultra crinem equi cui insedisset, rem prorsus aliquam corporeis oculis fere nunquam videret. Unde constat quod Hugoni omni tempore contigerit, res quaslibet et juxta iter suum positas nulla curiositate perspexisse. Sed quemadmodum de quodam scriptum legitur Viro sancto, quia die pene tota secus ripam cujusdam stagni equitans ipsum stagnum minime vidisset ; ita et iste dum equitaret rem prorsus nullam, nisi casu demonstratam ab aliquo, oculis attendebat. Habebat jugiter ante se equitem equum suum præcedentem, et callium diverticula quæ sequeretur meatu proprio præmonstrantem. Contigit interdum ut inter hos, Præsulem videlicet ejusque ducem, quispiam commeantium

ANNUS 1200

medium se fortuito ingerens, dum ad partem alteram inflecteret vectorem suum, animal Pontificis de recto divertentem tramite per devia sequeretur; quod ubi advertebat præambulus ejus, sæpe stomachando aiebat : Improbe satis facit ipse; En! mihi furatus est Episcopum istum. Sed neque pedes vel eques, dum in villis propriis diutius quoque perendinaret, delectandi seu, ut assolet, uti se res quæque haberent visendi gratia, aliquorsum pergebat; quin potius lectioni, orationi vel honestis colloquiis vacans, Evangelicum illud implere curabat : In quamcumque domum ingressi fueritis, ibi manete, et ne inde exeatis. In aula, nisi semel finito mox prandio cum bibisset, nec ad momentum ulterius die illa residebat. Sumptis vero secum viris honestioribus qui refectioni interfuissent, in cameram secedebat; quos dapibus ante et potibus quemlibet gratiose et splendide saturasset corporeis, splendidius et gratius denuo reficiebat spiritualibus cibis, prolatis scilicet ex gestis aut dictis virorum illustrium, æmulandæ probitatis atque virtutis pro statu audientium variis exemplorum incitamentis.

Luc. 9, 4.

PONTII PINCERNÆ S. HUGONIS MISERABILIS EXITUS.

XXI. « In his quidem, imo et in aliis quæ enumerare nimis longum est, fuere similes sibi in vita et in conversatione Martinus et Hugo. Unde non immerito divinitus actum est, ut in morte quoque et in exequiarum decore, alter alteri quam simillime responderet. Martinus denique obitum suum longe ante præscivit, dixitque Fratribus dissolutionem sui corporis imminere, quia indicavit se jam resolvi. Hoc quoque præscire, dicere et indicare datum est Hugoni. Instante obitu, Martinus mergulos a flumine virtute verborum potenti abegit; Hugo, magna virtute fretus meritorum, quosdam testamenti sui lapidatores in reprobam quam meruerant mortem præveniens, eos in maledictionibus suis dedit. Cujus rei exempla historia licet hæc præterierit, tamen pincernæ ipsius, nomine Pontii, exitus miserabilis manifeste declaravit, qui Andegavis languens, tertio venditus prædonibus, demumque in doloribus nimiis expirans, vera fecit esse quæ proferimus. Possemus et de aliis notissima hujus rei testimonia proferre,

ANNUS 1200

nisi fastidio consulentes audientium, plurima gestorum ejus sub silentio transiremus. Hunc autem Pontium, in principio ægritudinis illius, graviter apud S. Audomarum offendisse novimus beatum pontificem Hugonem; itemque Londoniis morti jam vicinum; tertio Lincolniæ inhumane satis et avare in venerabile funus jam defuncti peccavit. Londoniis autem pro superbia ipsius et contumacia facie in faciem maledixit ei Sanctus Dei. At sanctus Præsul quia motum iracundiæ usque ad labia progredi permisisset, ut delinquenti ex malitia quamvis juste malediceret, statim facta confessione pœnitentiam egit. Quam tamen maledictionem ut benedictione sanaret, induci non potuit. Unde nos contristati, virum maledictionis hortari curavimus ut veniam delicti sui petere non tardaret. Sed ille pertinaciter salutis hortamenta deridens, suo de cætero Episcopum magis indigere servitio, quam se illius dominio asserebat. Talia isto furiose prosequente, perpendere promptum fuit quia æquitas incommutabilis rationis linguam regeret Pontificis. Qui licet seipsum de motu, ut putabat, illicito reprehenderet, emissæ tamen maledictionis jaculum, quod juste intorserat, ille perseverante in sua nequitia revocare non valebat. Ubi et hoc mirandum fuit, quia ejus pertinaciam licet absentis, nemine indicante, per seipsum Episcopus ipse cognovit. Hic vero ex mendico omniumque destituto amicorum solatio, ad maximas mox creverat divitias in domo ejus; paulatim ad majores officiorum provectus honores, ex puero servientissimo evaserat juvenis superbissimus. Sed quid, ad id quod ait ad mergulos S. Martinus, istius vel aliorum testamenta diripientium mortuorum pertinet comparatio? multum, inquam, per omnem modum; si tamen verba pensentur quæ in avium illarum detestationem protulit Martinus. Forma, inquit, hæc dæmonum est; insidiantur incautis, rapiunt nescientes, captos devorant, exsaturari nequeunt devoratis. Pernatabant totam Insulam Anglicanam mergi; hi scilicet insidiantes ægrotantibus, legata ante mortem testatoris rapientes; sed in eo quammaxime formam sibi induentes dæmoniacam, quod

Testamentorum violatores Hugo persecutus est.

ANNUS 1200

cum rapacem ingluviem assiduis urgerent capturis, captis tamen nesciebant saturari. Verum Hugo beatus, horum nequitiam semper more Martini aversatus, sæpissime framea spirituali confregerat molas iniquorum et de dentibus eorum rapuerat prædam. Summas post Regem regni Potestates ita sæpissime mulctaverat gladio Spiritus Sancti, ut proni vestigiis ejus provolverentur, ea quæ legatariis abstulerant restituere festinantes. Quorum insidias a rerum, quas ipse legaverat, contrectatione funesta cupiens arcere, proprio instinctu vinculo primum anathematis, ut supra dictum est, illos innodavit, qui tale quid vi, sive fraude, in ipsis rebus præsumerent attentare. Obtinuit ipse quoque tempore consequenti, ut in Concilio generali quod eo vivente adhuc apud Westmonasterium celebratum est, innovaretur sententia solemnis anathematis, non solum in sui, imo et in cujuslibet testatoris fraudatores legitimi testamenti. Huic Concilio et sententiæ Rex ipse assensum suum, cum Archiepiscopo præsidens, favorabiliter acclamando dedit.

Concilium generale apud Westmonasterium ad ejus instantiam eos condemnat.

S. MARTINUS ET S. HUGO IN MORTE SIMILES.

XXII. « Sed ut cætera de Martino et de Martini tunc famulo nunc autem socio, sermo iste percurrat, bonam virtutum suarum consummationem, reddita Ecclesiæ pace, Martinus reliquit. Hugo nihilominus non solum Cantuariensi Ecclesiæ, ut præfati sumus, sed regno utrique Anglorum et Francorum, pro qua eis ultraque mare pluries desudaverat, redditam pacem dereliquit. Martinus hinc migraturus prope assistenti diabolo dixit : « Nihil in me, funeste, reperiens; Abrahæ me sinus suscipiet » ; nec diffidentius de se, vel de suo exitu Hugo sentiens, constanter loquebatur : Non erit judicii dies qua ipse defungar, sed dies gratiæ et misericordiæ. Ubi enim quid suum improbus ille exactor repererit, non permittitur immunis ad requiem emigrare alieni retentor debiti, citra agitationem æquioris judicii. Ad puritatem vero et decorem funeris Martini, quibus et in morte ostensus est « gemma sacerdotum », id in Hugone ad funeris gloriam peculiariter actitatum est, ut vitro, sicut Martinus, purior et lacte candidior, rosis (quod de Martino tacetur) ver-

ANNUS 1200

nantior, hominum mille millibus ostenderetur. Sed de hoc inferius plenius dicetur. Nam de pompa funeris quid digne dicemus? Sed si de occursu Monachorum et Virginum referre tentemus, neuter quidem sexus vel ordo Hugoni defuit; sed numerus forte et multitudo ratione locorum huic inferior vel brevior quam Martino fuit. Verum si quid in his gradibus Hugo a Martino minus habuit, id ei supernus arbiter in dignitatibus potioribus supplevit.

Quam celebres Hugonis exequiæ.

« Sed ut de inferioribus, quos præ multitudine dinumerare nemo poterat, taceamus, Hugonis funeri ac sepulturæ interfuere : Archiepiscopi tres, Præsules quatuordecim, Abbates plus quam centum, Comites plurimi, Reges duo. Non enim contentus fuit æternus Retributor ille bonorum, militis sui insignissimi trophæum Regis solummodo Angliæ et Optimatum ejus obsequiis adornari; nam et meritis ejus hic honor impar extitisset. Qui etenim in exteris sæpe nationibus officium sepulturæ peregrinus ipse indigenis studuerat exhibere, dignum certe fuit ut ejus sepulturam, non modo domestici et indigenæ, sed et externi et alienigenæ suis obsequiis perornarent; et hoc quidem jubente Domino ei adimpletum est. Verum istud, etsi ad condignum videretur sufficere pro exigentia factorum ejus; sed pro voluntatis ejus devotione minus a condigno penitus extitisset, si non a plurium quam ipse unquam congressus fuisset regionum populis id amplius rependeretur. Proinde, superna disponente Clementia, præter Anglos, Normannos, Francos, Burgundiones, seu aliarum quos ipse vidisset terrarum accolas; Sclavi quoque, Scoti et Hybernienses atque Galawedi, cœlitus mandatas funeri ejus detulerunt exequias. Nam Hybernorum unus, et Sclavorum Archiepiscopus alius, cum Principe Galawediæ et Scotorum Rege, exequiis ejus post agnitam migrationem ex more celebratis, demum funeri ejus in Lincolniensem urbem humeris suis, cum aliis magnatibus, ipso quoque Rege Anglorum, et Archipræsule Cantuariorum deportando, longius extra civitatem obviam processerunt. Ab his quoque officium, quod pro nuper defunctis exsolvi consuevit, in matrice ecclesia

ANNUS 1200

ipsi, vel pro ipso, in tanta gloria Lincolniæ solutum est, ut astante populo cum Nobilium infinita multitudine, lectiones Episcopi et Archiepiscopi legerent; Responsoria quoque universa, junctis sibi et aliorum graduum sublimibus personis, Antistites præcinerent Versusque decantarent. Quod tunc primo fecerunt, quando ipsum obiisse audierunt; iterumque sub præsentia corporis ejus, ubi in Ecclesiam suam perlatum est, hoc idem facere addiderunt. Verum hæc interim de glorificati hominis gloria, qua glorificavit eum Dominus in vita et in morte sua transitoria, breviter dicta sint ad laudem et gloriam sempiternæ majestatis Dei et hominis Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu Sancto semper est et ubique in Sanctis suis mirabilis : cujus præconium in conspectu omnis carnis magnifice crescit ex eo quod Sanctos suos, locis temporibusque plurimum distantes, fide tamen et devotione indissolubili ei famulantes, meritis et præmiis facit consimiles : cui regnum est et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

TEMPUS MORTIS ILLIUS SINGULARIUS DESIGNATUR.

Ubi supra cap. 18.

XXIII. « Anno igitur gratiæ millesimo ducentesimo, B. Martini octavarum die sexto, brevi intervallo post solis occasum, veri Solis imitator, Martini amator, Lincolniensis lucerna, Hugo sexagenarius, annis Pontificatus sui ter quinis quinquaginta octo diebus exactis, luci hujus sæculi valefaciens, Solem adiit qui nescit occasum. Senario quippe vitæ hujus laboriosæ viriliter exacto, requies illum æternalis sabbati veraciter excipiebat, octava beatæ resurrectionis feliciter munerandum *. In cujus rei non incertum argumentum, præter miraculorum signa quæ obitum illius e vestigio subsecuta sunt, visionum etiam revelationes plurimæ innotuerunt, ne suo Martino, vel in hac parte gloriæ, Hugo videretur inferior. Quis vero non miretur ipsarum quoque visionum seu revelationum modum consimilem, ut nec discors qualitas esset in rerum signis, ubi tanta fuit parilitas in rebus ipsis ? Ne autem imperitia nostra, quæ in cæteris doctissimum Vitæ Martini scriptorem nequit imitari, ab ejus vestigiis tamen in numero scribendarum aberret visionum, tres tantum, sicut et suis, ita et nos nostris lectoribus duximus exponendas. Harum vero

* *Al.* numerandum.

Variis visionibus ejus beatitudo innotescit.

ANNUS
1200

Prima visio facta scriptori hujus Vitæ.

prima visio, nocte illa qua ipsius transitus proxime subsecutus est, certo quodam præsagio casus imminentis, superna Clementia cuncta pie disponente, uni eorum qui secum positi erant præostensa est. Quam ille mane facto sociis manifestans, ea quæ in solemnes exequias opus erant, die ipsa, medicis qui aderant subsannantibus et objurgantibus eum, sollicitius studuit præparare. Nam Physici sanitatem ei usque ad ultimam horam spondebant. Erat namque hujusmodi visus. Videbat, et ecce in viridario quodam, parieti domus contiguo in qua jacebat Episcopus, se putabat constitisse. Erat loci situs hujusmodi. A parte boreali et ab occidua domorum septis claudebatur, et ab Oriente et Austro cingebatur fossato; cui ex parte altera pomarium, ex altera cœmeterium adjacebat. Ipsum quoque fossatum dumis et vepribus succrescentibus obsitum erat. Ab ipso igitur parietis loco, ubi caput lectuli Episcopi decumbentis erat innexum, pirus proceritatis nimiæ et pulchritudinis immensæ, longe ultra illius viridarii spatium porrecta videbatur corruisse. Cujus vastum decorem decoramque vastitatem ille admirans vehementer, talia intra se tractando cogitabat: Quis unquam tam pulchram conspexit pyrum? o quanta nobilis materiei jactura erit si in hoc loco abdita putrescat speciosissima arbor ista, ex qua diptycha tot possent excidi, quot totius Angliæ vel Galliæ studiis scholasticis quivissent sufficere. Dum hæc secum sopitus corpore sed corde sollicitus ille pertractaret, supposuisse lacertos stipiti jacenti se repente videbat. Cujus dum molem leniter agitando pertentat, totum confestim lignum summa facilitate ab imo sublevatum in brachiis, quasi ponderis penitus nil haberet, huc illucque circumferri a se miratur. Interea subito ramusculi ejus ab ipso stipite deciderunt, ipse vero, mediis vectus in ulnis gestantis, planus et enodis permansit. Cujus rei miraculo ille stupefactus pariter et jucundatus, sopore mox deposito, hujus cordi suo impressam visionis reperit conjecturam, ut etiam labiis et ore talia secum loqueretur: Revera in brevi moriturus est homo ille. Ipsum enim demonstravit arbor fructifera atque pulcherrima, quæ

merito ad Austrum collapsa jacebat; juxta illud viri sapientis: Lignum in quamcumque partem ceciderit ibi erit, sive ad Austrum sive ad Aquilonem. Sive enim ad amœnitatem Paradisi homo ducatur cum cadit in mortem, sive rapiatur ad horrorem tartari, ibi erit. Quia inter Abrahæ sinum et infernum chaos magnum firmatum est, ut alterutrum semel ingressus transire ad alterum sive transmeare ulterius non possit. Est namque inextinguibilis ignis ille, in quem mittitur arbor excisa quæ non facit fructum bonum. Quæ vero aliquando non desinit facere fructum, transplantatur super aquas ut æstum nesciat, ut folium non exuat, ut firmis in perpetuum radicibus subsistat. Et talia quidem iste de sacramento visionis suæ se ad præsens intellexisse, mane retulit quibus dignum duxit ex sociis. Quid vero facilis illa arboris sublevatio portenderit, non prius ad liquidum agnovit quam ista de vita illius atque virtutibus ita minus licet accurate, facili tamen stylo digessit. Quæcumque enim libellus præsens de verbis aut gestis ejus excerpta continet, ita pro magnitudine virtutum operumque Viri sancti æstimanda sunt, ut frondes exiguæ facileque deciduæ ad vastissimæ arboris conferri putentur robur immensum. Sed neque ad ea, quæ memoriæ ista scribentis inseparabiliter de magnalibus tanti Viri inserta quoque semper pectori cohærentia circumfert, hæc ipsa quæ membranis tradidit, valerent comparari, quam si levium sarmentorum fasciculos contiguis cœlo abietibus cedrisque sublimissimis quis duxerit conferendos. Hæc autem, licet peccatori hominique indignissimo de transitu Viri justi præostensa sint, tamen quia funeris ejus obsequio præfuerat, cujus etiam rei gratia tandem innotuisse talia præscire non merenti noscuntur, illi de Martini obitu revelationi conferri apte merentur, quæ Præsulum sanctissimus Ambrosius ad deferendum obsequiis ipsius debitæ commendationis officium cœlitus meruit informari. Nam et inter cætera, ad similitudinem frondium quas viderat ab arbore mystica decidisse, universos pilos coronæ illius et barbæ, ungues etiam manuum et pedum diligenter ab eo excidi fecit

et radi, postquam vespere sequenti in mortem cecidit idem dilectus Domini.

ANNUS 1200

ALTERA VISIO FACTA RICHARDO NORENTHONIENSI ARCHIDIACONO.

XXIV. « Jam vero uti Martinus, postquam Severo Sulpitio cum vitæ suæ libro revelatus est, cœlos continuo visus est, iter ejus prosequente discipulo Claro, penetrasse : ita viro omnifaria laude dignissimo, Richardo Norenthoniensi archidiacono, ipsa qua decessit nocte demonstratur et Hugo, per speciosi tramitis et ardui, ad regale convivium properare. Qui cum miraretur insomnis, curnam tantus Pontifex contra morem iter illud solus et incomitatus iniret, vidit repente unum ex capellanis ipsius, nomine Robertum, aliquantulum remotius vestigias ejus subsequentem. Idem autem vir cui ostensa sunt hæc, tribus ferme dietis a loco aberat unde Episcopus ad mensæ cœlestis Convivium meruit accersiri. Prædictus vero Robertus, cognomento de Capella, satis erat mansueti lenisque ingenii ; præterque cæteros mores optimos quibus prædictus fuit, quibuslibet afflictis erat compatientissimus ; cunctis vero in commune affabilis et benignus ; fuerat quoque in orationibus et psalmis devotus admodum multumque assiduus. Hic ea tempestate qua gesta sunt, Lincolniæ morabatur. Qui post domini sui et magistri Hugonis decessum (nescio quota die) acri febri correptus, ipsa die qua corpus S. Pontificis Lincolniam, ut inferius dicetur, intravit ibidem tumulandus, et ipse corporeis nexibus absolutum spiritum cœlo reddidit, in Convivio Regis æterni epulis immortalibus fruiturum. De quo et illud memoriale juvat referri, quia jugiter cum ad mensam resideret Episcopi, hospitum et advenarum præcipue illius animo cura fuit ; quibus etiam remotius interdum discumbentibus, fercula mittebat et vina quæ illis credidisset gratiora. Super quo Eleemosynarius ei sæpe infestus erat, sed frequenter objurgatum nunquam vidit emendatum.

Roberti capellani S. Hugonis laudes.

« De quo sane Eleemosynario, quia merito optime, ut credimus, præfato Roberto se objecit, rem oblivioni non tradendam breviter paginæ nostræ duximus inserendam. Functus est idem vir officio Eleemosynarii in domo S. Episcopi, omni

Item Morini ordinis Templariorum ejus eleemosynarii.

ANNUS 1200

tempore ab exordio Pontificatus ejus usque ad unum semis annum ante Præsulis excessum. In quo strenuum satis indigentium se procuratorem ostendit, prudenter quibus et quantum erogandum esset perpendens, fideliterque ac devote quod perpendisset impendens. Qui tandem ægritudine præventus extrema, Hugonis ministerio ultima institutionis christianæ percepit sacramenta. Nec multum post hæc, Episcopus consistens in quodam manerio suo, quod Leyford nuncupatum est, vidit in somnis se constitisse secus castellum in quo fratrem Morinum (hoc enim vocabulum viro fuit) reliquerat infirmantem. Qui introspiciens, columbam nive candidiorem cernit ab angulo in angulum passimque per domum huc illucque volitantem, et quasi exitum anxie requirentem. Quod ubi aliquandiu miratus aspexit, a somno excussus surrexit, jussitque paratos adduci equos ut obviam pergeret funeri Fratris mortui, quod ex Stowia, ubi exanimatum fuit, ad Brueriam necesse erat transferri ut sepeliretur. Erat enim idem Morinus de Ordine Militum Templi; erat Brueria quædam mansio insignis illorum subjecta ditioni. Dum igitur sternuntur equi, et Episcopus primæ Horæ cum Clericis suis, quos fecerat accersiri, hymnos decantaret; adest repente nuntius, qui Eleemosynarium nocte media indicat expirasse. Tunc enim B. Episcopus quid vidisset, et quia ob ipsum visum suum solito maturius surrexisset, præsentibus intimavit. Distabant ab invicem Stowense municipium ubi ille obiit, et castrum Leyfordense ubi ejus obitum Episcopus ex præmissa revelatione agnovit, fere millibus viginti. Advenit autem S. Hugo obvius funeri ad locum memoratum, quod ibidem pro requie fidelium divinis ante celebratis Officiis et hostiis immolatis, devotus hujus muneris executor sepelivit. Et hoc quoque incidenter retulimus, præter seriem instituti tractatus quem prosequi cœperamus, in omnibus ædificationem potius lectoris quam periti scriptoris gloriam aucupantes. In his tamen a materia cœptæ narrationis eo minus recessimus, quo a funere ad funus, ad visionis revelationem a consimilibus visionibus digressi

Cujus mors S. Hugoni revelatur.

sumus ; sed jam auxiliante Domino, ea quæ parumper omisimus celerius explicanda repetamus. Visionum igitur prædictarum conspectores, Severo Sulpitio, sanctoque Ambrosio consimilia vidisse probantur.

ANNUS 1200

TERTIA VISIO CUIDAM A SUIS ABSENTI FACTA.

XXV. « Jam vero restat, ut revelationi S. Severino Coloniensi Archiepiscopo de Martini gloria cœlitus insinuatæ aliquid non dissimile in medium proferatur ; quo ipsius sequipeda Hugo olim præeuntis Martini vestigiis irremote doceatur, ut in via quondam laboris, ita et in itinere adeundæ jam beatitudinis adhæsisse. Elapso siquidem post felicem ejus transitum brevi temporis spatio, hujusmodi de Hugone cuidam suorum ostensa est visio. Putabat se in quadam constitutum basilica vastissimæ magnitudinis, cum infinita populi multitudine, prænunciato solemniter Hugonis episcopi Lincolniensis adventui suum præbuisse occursum. Qui dum repente inter eos media in ecclesia affuisset, tantæ dulcedinis cantica circa eum audiri cœperunt, ut in terris nihil unquam æque jucundum ac delectabile auditum fuisse omnibus videretur. Horum vero, necnon et eorum quæ inferius dicenda sunt, auditor atque narrator, ut turbam quæ confluxerat indefessis conatibus penetravit, eminus sanctum Episcopum in lectica palliis holosericis mirifice adornata jacentem vidit, quæ in medio basilicæ, substratis per pavimentum tapetibus, admirandi decoris visa est constitisse. Sublevavit jacentis cervicem cervical amplissimum, quod ex purpura et bysso, coccoque bis tincto et hyacintho, satis operose fuerat contextum. Qui postquam intuentem se discipulum suum, nec propius accedere præsumentem, clementi intuitu et ipse conspexit ; erecto capite in ipso gestatorio visus est residere, ipsique discipulo dextræ manus indicio ut ad se veniret innuisse. Quod turba circumposita, quæ eminus constiterat nec loco appropiare quo ipse jacebat præsumebat, mox ut advertit, quasi ad salutandum eum propius irrumpere festinabat ; quorum ille velut accessum interim declinando, capite reclinato in modum repausantis membra composuit. Tunc popularis frequentia, importunum ei suum ad præsens sen-

ANNUS 1200

tiens accessum, retrocessit, seque ut prius in loco remotiori reverenter cohibuit. Turba vero secedente, is etiam qui accessurus fuerat dans locum quiescenti, gressum, quo ad ipsum venire cœperat, fixit. Ipse vero secessisse populum affluentem aspiciens, relicto gestatorio in pedes se contulit, iterumque accersens quem prius, manu sua dextera lævam ipsius tenuit. Dehinc longiuscule versus altare, quod eminus situm erat, ipsum deducens, talia dixit : Non te sollicitum super statu meo gerere animum decet, quamobrem te potissimum, ut ea quæ te movent aperires, accersivi ; tu nunc igitur quæ te sollicitant, incunctanter proferre ne differas. Tunc ille : Hoc, Domine, votis omnibus antepono, hoc solum præ cæteris omnibus nosse concupisco, qualiter vobis ab hora recessus vestri a nobis actum sit, singulariter audire desidero ; demum quænam sint suavissima cantica ista, quæ tantæ dulcedinis melos auribus instillant nostris, edoceri peropto. Erat enim sonus canentium mellifluus, voces consimiles, vocum tamen discrimina quadam varietate distincta. Ad hæc vero duo unum dedit ille responsum : Cantica, inquiens, hæc ab hora illius quam dicis discessus mei a vobis, nunquam defuerunt. Quibus verbis ita satisfactum est inquirenti, ut de statu illius post mortem ultra nihil adesse posset tristitiæ, ubi carmina tantæ lætitiæ audiri potuerunt. Quiddam vero ab eo sciscitari studuit, unde plurimorum sæpe inquisitionibus ipse, tamquam præ cæteris B. Episcopo familiarissimus, pulsari consueverat ; ait ergo : Domine, a pluribus referri audio, unde et mea sæpius adstipulatio flagitatur, cum ab ore vestro nil inde certum acceperim ; quia videlicet vobis quodam tempore mysteria celebrantibus, corpus Dominicum in specie visibilis infantis in manibus vestris, contuente id vobiscum quodam clerico, monstratum sit et visum : unde et animus meus crebra stimulatur pœnitentia, quia os vestrum super hujus rei veritatem non interrogavi, cum toties vobis familiariter locutus fuerim. His ille auditis, ita voce placida respondit : Etsi tunc, quando dicis, et alias frequentius mihi Dominus hoc revelare dignatus est, quid

ANNUS 1200

inde tibi vis? Cum igitur ad hæc nec ille plura diceret, nec amplius super hoc sermone iste eum percontari auderet, adjecit ei confiteri cujusdam formidinis scrupulum, qui ejus animo ab annis puerilibus insederat; et dicebat : Quia, Domine, media vita in morte sumus, dum mortis quandoque venturæ imaginem mentis conspectu sæpius repræsento, horrore quodam immenso totus perfundor. Dum enim cogito quod a rebus cognitis ad eas quas nescio rerum species subito rapiendus, per illos etiam quos ignoro a notis omnibus sum abducendus, non sinor confusionis magnæ fluctibus non involvi et tædii cujusdam abysso funditus absorberi. Super hujus vero incommodi inordinato, ut bene jam sentire cœpi, tormento, consilii vestri ope satis indigeo. Ad hæc ille beneficus semper interpellantium se consultor, responsione brevi amplum contulit poscenti remedium : Tantum, inquit ille, sollicitus sis ante mortem bene vivere, et sollicitudinem eorum quæ mortem subsequuntur Domino relinque. Is igitur qui loquebatur, cum visione memorata repente disparuit. Qui vero hæc viderat et audierat, gaudio plenus, de somno excitatus, super tribus articulis supra memoratis ita sibi satisfactum medullitus quodammodo sensit, ut omnem post hæc dubietatis et timoris scrupulum quoad prædicta, radicitus a suo pectore avulsum esse ipse mirari consueverit; Deoque et sancto ipsius famulo devotas gratiarum actiones pro tali consolatione studuit referre.

PARANTUR HUGONIS EXEQUIÆ.

XXVI. « Sed jam tempus est ut cœlo receptum pro parte potiore Martini pedissequum, terræ quoque pro inferiore sui portione monstremus commendatum; qui licet hoc gemino arcente receptorio, terra videlicet et cœlo, videri a nobis ultra non possit, nobis tamen ille non deerit (sicut ex præmissis visionum indiciis patuit) si amore sequamur quo sequendum se docuit. Sed non solum nobis quondam peculiariter suis, imo nec quibusque fidelibus se amore sequentibus, unquam defuturum se ostendit, qui mox cœlo receptus, terræ necdum commendatus, miris virtutum signis eis se docuit præsentem et viventem, qui mortuum eum lugebant,

Ubi supra c. 19.

ANNUS 1200

flebantque veluti sibi absentem. De his aliqua inferior loquitur pagina. Igitur prout supra docuimus, postquam sub pacis cantico pacis amator et reformator Hugo, in pace in idipsum obdormivit et in Domino requievit; paucis suorum astantibus, commendationis Officium ei parvitas nostra qua potuit devotione persolvit. Hinc ad lavandum, sicut ipse disposuit, corpus omne manus indignas apposuimus, quod ubi nudatum est, supra quam dicit possit mundum multoque nitore conspicuum apparuit. Ablutum vero et diligenter extersum, Pontificalibus induimus insigniis. Interea reversi quos ipse, ut diximus, ad celebratores exequiarum suarum accersendos destinaverat, septem vel eo plures Monachos, Clericorum vero copiosam multitudinem adduxerunt. Ab his tota ipsius noctis spatia in hymnis et canticis spiritualibus expenduntur, posito in ecclesia sacro corpore, istisque per gyrum votivas excubias frequentantibus. Celebratis in crastino Missarum solemniis, de consilio medicorum exta corporis ejus (quod longius ad sepeliendum portari debuit) auferuntur, cum id penitus fieri non oportere alii sentirent et assererent. Quæ in eadem ecclesia B. Mariæ ad Vetus Templum in vase plumbeo recondita, et secus altaris crepidinem sub lapide marmoreo honeste reposita, gloriosum redivivi corporis sui templum expectant sub magnæ resurrectionis tempore subeunda. Hæc autem, licet inaniter et superflue quoad providentiam hominum gesta fuisse, ipsis mox visceribus patefactis, claruit divinitus tamen ut ita fieret dispositum extitisse ad gloriam Dei qui semper est in Sanctis suis mirabilis; ad honorem quoque ejusdem servi sui, varia postea ratione innotuit. Et quidem tunc ubi manu chirurgica ipsa internorum viscerum secreta patuerunt, inventa sunt nihil superfluæ collectionis, nihil prorsus concreti, ut assolet, humoris intra se retinentia; sed tali quodam purissimo nitore perlucebant, ac si plurima cujuslibet hominis diligentia essent abluta et undique purgata. Erat profecto istud mirabile in oculis intuentium, sed apud quosdam levigabat pondus miraculi, cum abstinentia temporis tanti, vis dysenteriæ, qua

Corpus lavatur.

Pontificiis induitur ornamentis.

Exta ejus conduntur in ecclesia B. M. London.

Quæ purissimo nitore lucebant.

ANNUS
1200

diebus aliquot ante mortem vexatus, ejus impetu credebatur ita potuisse funditus exinaniri. Quod tamen qualitercumque factum sit, hoc dicere veraciter licet, quia exterius quidem lacte candidior, intus vero et extra vitro purior, monstratus est suo quoque similis Martino ; ut merito et ipse debeat jam in hac parte gemma dici sacerdotum. De cujus mirabili decore, inferius loco competente plura dicentur.

Cum insigni pompa transfertur Lincolniam.

« Conditum autem multis aromatibus, a dormitionis suæ loco Lincolniam eum ad sepeliendum cœpimus transferre. Non est autem necesse, quia nec possibile nobis foret, fletus et gemitus occurrentium undique describere populorum. Civitatis Londoniensis Clerus et populus procul extra urbis mœnia, cum crucibus et cereis, feretrum prosecuti sunt. Obitum vero ejus per agros et villas cognoscentes, uterque sexus, omnis conditionis, gradus et ordinis cujuscumque, in fines suos venientibus funeris portitoribus obviam confluebant. Tetigisse feretrum palma suprema fuit. Quibus id negabatur præ stipantium multitudine turbarum, vel eminus adorasse et conspexisse non vile trophæum ducebatur. In ipso itinere per juge quatriduum, uno quotidie repetito vel potius continuato miraculo, Sanctum suum mirificavit Dominus. In manibus siquidem equitantium puerorum cerei quatuor jugiter ardebant, quos in morem facularum sub divum expositos, nec ventorum spiramina, nec interdum guttis densioribus rorantia nubium stillicidia extinguere potuerunt. Pueri autem nunc ab equis descendentes, nunc cum vehementi impetu sellas vacuas reascendentes, cereos tenebant quos ignis inter hæc non deserebat. Stupebant autem præ admiratione hæc intuentium multitudines et in voces clamantium prorumpebant, asserentes nec inter manus clausum lumen a se teneri posse inextinctum; ubi nullo contecti velamine, sed Dei solius freti virtute, flagrare non cessabant cerei, naturam propriam dediscente, per merita sancti Præsulis, triplicis qualitate elementi. Flatus quippe aereus, humor aquarius et splendor igneus, triumphanti Christi militi jurata impendebant obsequia. Præter saniores vero aliorum de tantis om-

Undequaque ad illius transitum homines confluunt.

Cerei nec vento flante, nec cadente imbre, extinguntur.

ANNUS 1200

nipotentis Dei magnalibus sententias, hoc interim supplicium fidei commendasse sufficiat, quia non immerito ipse tam jucundo luminis honore decoratus apparuit, qui ad decus Matris veri Luminis perpetuæque Virginis, ecclesiæ suæ consueta luminaria adjectione admodum numerosa cumulavit. Lincolniensi enim thesaurariæ amplos in hoc ipsum redditus assignavit, ut ampla tantæ ædis immensitas paribus propemodum, inter nocturna officia cereorum micaret fulgoribus, ut interdiu vel quousque radiis nitescebat solaribus.

CUIDAM AD FERETRUM ACCEDENTI BRACHIUM FRACTUM EST.

* *Al.* Bireswalen.

XXVII. « Crepusculo diei secundæ postquam iter aggressi sumus, ad villam Episcopi Lincolniensis Bilreleswalem * nuncupatam devenimus, ubi dum circa feretrum plangens accolarum se turba conglomerat, in ipso ecclesiæ introitu in qua per noctem illam venerabile corpus quiescere debuit, hominis cujusdam brachium ita fractum est, ut crepitum ossis patientis fracturam illi etiam qui remotius astiterant clarius audirent. Erat autem nomen viri Bernardus, quem sui ab ecclesiæ foribus semianimem rapuerunt, et ad domum propriam delatum usque mane patientiæ operam dare petierunt, tunc pollicentes subveniendum ei ope medicorum. Sic ergo nec saltem colligatus, nec quovis medicamine fotus fracturæ adeo molestæ locus, plurimam noctis partem in doloribus magnis eum protrahere coegit insomnem. Qui demum in tenuem resolutus soporem, mox vidit S. Episcopum Hugonem brachium suum manibus piissimis contrectantem, dataque benedictione a se post paululum recedentem. Cæterum recessu indultæ visionis, collatæ benedictionis virtus non recessit. Evigilans namque a somno ita penitus omni fugato dolore os consolidatum et brachium sanatum invenit, ut præcedentem potius fractionem quam curationem subsequentem, per somnum se suscepisse putaret.

Per somnum ab Hugone plane restituitur.

Virgines sacratæ accurrunt.

« Quarta profectionis dieta Stamfordiam devenimus. Ibi dum agmine denso populi frequentia stipatur feretrum, et hinc Virginum Deo sacratarum e vicino monasterio chorus, inde circum adjacentium villarum accolæ populosis ipsius burgi turbis accrescunt. Vix ante profundæ noctis tenebras

ANNUS 1200

vicum ipsum ingredi valuimus. Istic vero per merita Servi sui tale Dominus miraculum patrare dignatus est, ut hoc mortuorum resuscitationi nemo jure dubitet præferendum. Interfuit tanto occursui quidam vir innocentis vitæ, bonisque per omnia studiis deditus, arte sutoria sibi suæque familiæ victum quæritans. Hic, eminus aspecto glebæ pretiosissimæ gestatorio, cum accedere niteretur sed præ turbarum densitate parum nitendo proficeret, multis audientibus, in voces hujusmodi prorupit : O bone Deus, quare non permittor ad optimi Servi tui corpus accedere, ut vel fimbriam palliorum quibus tegitur osculari merear, vel caput indignissimum sacris ejus supponam reliquiis ! O scrutator renum et cordium, Jesu Salvator benignissime, in hoc solum desiderium meum adimple, ut feretrum quod conspicio corde et corpore prono valeam subire, et sic de hujus mundi colluvione animam meam tolle. Talia clamitans nisibus indefessis, turbis quoque ad clamores ejus attentis paulatimque cedentibus, immersit se tandem sub feretrum. Quod postquam attigit et capite submisso adoravit, oculis et manibus in cœlum erectis, in hunc modum orare cœpit : Gratias tibi ago, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, quia in tantum consolatus es me, misertus mei, ut quod in hoc mundo super omnia concupivi, corpori sanctissimi servi tui corpus meum tot peccatis obnoxium quivissem adjungere, et ei qui fideliter servivit tibi meruissem approximare. Deprecor te, omnipotens Deus, ut in hac nocte animam meam cum anima illius, cujus me corpus adire fecisti, in requie perenni, ubi eam esse non dubito, jubeas collocari. His ita ab eo peroratis, nos cum sancto corpore ecclesiam in qua pernoctandum fuit ingredimur. Ille autem suos subintrat penates, una sola interjacente platea eidem ecclesiæ pene contiguos. Nec mora : irrumpunt vicini illius in ecclesiam, presbyterum turbatis vocibus inquirunt, et repertum, ad domum viri, sumpto secum sacræ Communionis viatico, celeriter properare compellunt. Quod ille in extremis jam positus, præmissa confessione, percepta absolutione, testamento quoque

Viri innocentis miraculosa mors.

ANNUS
1200

Hujusmodi mortem S. Hugo suscitationi mortuorum præferebat.

legitime confecto, mox ut percepit, spiritum in pace emisit.

« Habuerat vero S. episcopus Hugo, dum adviveret, in usu familiari, ut cum audiret quosdam intemperantius lugere quemcumque mortuum, inter alia consolationis verba eis diceret : Et quid est istud quod agitis ? per sanctam micem (sic enim vice juramenti ad confirmationem verbi interdum loquebatur), per sanctam, inquiebat, micem, nobiscum male ageretur, si mori nunquam concederetur. Miraculosam quoque mortuorum suscitationem laudibus efferebat, sed vivorum ex hoc sæculo miraculose aliquoties factam ereptionem potius attollebat : ut Petri diaconi et notarii beati Gregorii Papæ, et cujusdam pœnitentis de quo agitur in miraculis sancti martyris et episcopi Projecti, plurimorumque monachorum ut legitur in Vita Gemiticensium abbatis Althadii, necnon et illorum Septem Dormientium. Istorum seu et aliorum hujuscemodi dormitionem, quorumdam excitationi a mortuis censebat præferendam iste pontifex B. Hugo qui uni, quem fides sua et devotio dignum fecit, aditum paradisi interventu suo clementer aperuit. Hæc quoque miracula eo stupenda quo rariora sunt, eoque magis sunt appetenda quo probantur utiliora. Quis enim nesciat utilius circa istum agi, qui beatæ mortis compendio miserabilem vitam mortique ancipiti semper obnoxiam evadens, ad vitam evolat mortis miseriæ semper ignaram, quam circa quemvis alium meritis revocatum cujuscumque Sancti a tranquillitatis sinu feliciter quiescentium, ad expetendos vitæ hujus ærumnosæ labores, jamque evictæ mortis experiendos rursus agones ? Talia igitur de his Vir sanctus et sapiens sentiebat, qualia et ipse modo circa devotum et veridicum perennis suæ, quam obtinuit, requiei testem et assertorem exhibuit. Et hæc quidem omnia, sub ipso momento quo ista gesta sunt, memoriæ pariter et intelligentiæ nostræ de dictis præteritis gestisque præsentibus, præsentis vitæ contemptoris et futuræ amatoris Hugonis occurrebant. Sed jam, ut cætera quæ restant prosequamur ; hoc in loco procuratores nostri laternas corneas emerunt, in quibus per diem candelæ jugiter circa feretrum

ANNUS 1200

lucerent. Cerei namque variis motibus equitantium et impulsibus ventorum irruentium exagitati, a facie ignis devorantis nimium defluebant, manusque et indumenta gestantium continuis distillationibus molestius infundebant. Sed quia, prætermissis duabus mansionibus, duas tantum alias in quibus a Londoniis digressi requievimus jam calamus expressit, cum in omnibus par nobis humanitas, summus vero sacro funeri honor delatus sit, universas nunc breviter et seriatim exprimemus, in quibus a Londoniis usque Lincolniam pervenimus. Prima igitur cum Monachis Herederfordensibus nobis mansio fuit ; in Birereswaila, secunda ; tertia in Borkedena, maneriis scilicet episcopalibus. In his enim tot ejulatibus incolarum excipiebamur et lamentis, ut meminisse sit horror, scribere vero superfluus labor sit. Metationem quartam Stanfordia, quintam mansionem Anacastria præfixit. Hinc milliaria bisdena computantur usque ad civitatem in quam eramus venturi, ad quam sexta profectionis die jam cominus advenientes, cum ad descensum montis uno pene milliario extra urbem accederemus, obviam habuimus, cum inæstimabili Cleri et populi multitudine, Regem Angliæ et Regem Scotiæ, Archiepiscopos, Episcopos, Principes, Abbates et Proceres, quot vix unquam in Anglia pariter ante conventum illum contigit inveniri. Rex Scotiæ præ mærore, quia nimis semper diligebat Præsulem sanctum, in parte seorsum stans nec propius accedere valens, lacrymis vacabat ; cum sentiret magis gaudendum, si rationem vis doloris admitteret. Reliqui Magnatum cum Rege Anglorum humeros suos supponunt oneri non ignobili, nec parum sibi successisse gaudebant quicumque sua membra corpori portando aptare meruissent, cujus merita obsequentium animos et corpora sustollere ad cœlestia et ab omni clade levare potuissent.

Duo Reges cum Prælatorum multitudine obviam funeri procedunt.

Feretrum suis imponunt humeris.

XXVIII. « Internus rerum arbiter in quo æquitas judicii viget, in litteris sacris non tam elucubrati schematis ambitum quam fructum utilitatis commendat. In causa scribentis etiam, quo affectu quove instinctu articulos direxerit, non

INTENTIO AUCTORIS.

Ubi supra cap. 20.

ANNUS 1200

quo atramento aut cujusmodi calamo scripturam exaraverit, diligenter examinat. Idipsum et nos, cum diu jam vindemiando botros suavissimos vineæ Domini Sabaoth, vineæ Soreth, veluti ad extremos pervenimus annos. Nec magnopere exoratum esse te præoptamus, quicumque libanda duxeris ea, quæ præsenti libello, ac si fructum saluberrimum vili insertum cartallo, tibi præsentemus. Nec modo qualiter sermonem dispositum sensumve digestum repererit prudens et benevolus lector attendat; sed potius quid utilitatis ex his quæ imperite digessimus, eum reperire desideremus perpendat. Noverit nos in primis Christi amore impulsos ut scriberemus ; meminerit subinde nos Domini nostri * honori, Patrum venerabilium jussioni deferendo et Fratrum plurimorum piis petitionibus annuendo, nos scribendi periculo commisisse. Igitur, sicut dicere cœperamus, dum portando humeri tot se magnatum virorum certatim submitterent funeri, ut nullius personæ in globo tantæ multitudinis delectus esse potuisset, Rex tandem et Archiepiscopi sive Episcopi, ante urbis ingressum, pretiosam quam ferre susceperant, aliis quodammodo violenter diripientibus, eam portandam cesserunt margaritam. Ita quibus virium præstantior magnitudo feretrum subeundi copiam paravisset, nunc scapulis, nunc manibus contingentes, gaudio pleni incedebant. Nec diutius tamen trepudio tali potiebantur; repente enim ab aliis explosi, prædam suam novis raptoribus cedere cogebantur. Toto quoque itinere illo usque ad ecclesiam (quod non brevi spatio tenditur), per singula fere momenta novi novis succedebant bajuli bajulis, nec numero pari, sed tot erant portitores, quot machina grabati admittere poterat accedentes. Sed sicut tam sublimes viri et præeminentes istis se conflictibus inserere præsumebant, ita per plateas ex hyemalium aquarum luto altissimo plenas incedebant, frequenter suras, sæpe etiam genua, cœno immergentes. Qui autem accedere non valebant, cominus nummos superjaciebant arcæ quæ corpus incluserat, prætensisque manibus eminus adorantes, Sancto se devotius commendabant. Judæi quoque lugentes et plan-

* *Al.* famuli sui.

Quanta cum gloria corpus delatum sit in ecclesiam.

A Judæis laudatur et lugetur Hugo.

gentes ac verum Dei magnum famulum eum extitisse conclamantes, occursu pariter et fletu obsequium quod poterant ei impendentes, illam circa Virum Dei impletam esse sententiam nos advertere compellebant, qua dicitur : Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus. Sonantibus itaque per universas urbis ecclesias classicis, cum hymnis et canticis spiritualibus, suæ tandem gremio infertur ecclesiæ.

ANNUS 1200

Eccl. 44. 25.

« Hinc post modicum, in secretiorem transfertur exedram, ipsis vestimentorum insigniis parvitatis nostræ obsequiis induendus, in quibus olim pontificalem susceperat consecrationem. Erat enim tunc ibi videre miraculum. Caro namque ejus ita niveo quodam et uniformi candore nitescebat, ut quoddam resurrectionis decus jam tot diebus extincta manifeste præferret. Nihil in ea lividum, pallidum, aut submarcidum, nihil fuscum, nihil non lacteum aut potius quoque liliosum renitebat. Manus ejus et digiti, brachia quoque et lacerti, non aliter quam pridem in vivo, nunc in defuncto plicabiles, molles et tractabiles erant. Balsamo ejus sola facies et manus ejus dextera fuerat delibuta. De aliorum autem statu membrorum nil investigabimus ; digito tamen annulum, chirothecas virgamque pastoralem manibus ejus et brachiis inserentes, de his solummodo ea quæ diximus, ita se habere deprehendimus. Omnibus itaque Pontificalibus rite insignitus, nudata facie soporati magis quam exanimati speciem prætendebat, et ita a glorificantibus Deum defertur denuo in Chorum. Accurrunt undique turbæ inspectantium, cereos ardentes manibus præferentium, pedes ejus et manus osculantium, aurum et argentum, lapides pretiosos offerentium. Interea, dum paululum remotius cum viro venerabili ipsius ecclesiæ Decano consedissemus, invicem de his quæ circa Christum Domini mirabiliter acciderant conferentes, adsunt quidam stupentes et attoniti talia nobis dicentes : Vidistisne et attendistis, quanto decore vernare jam cœpit facies Episcopi, ut rosis rubentibus genas similes prætendat ; ut dormientis, non defuncti, nuperque de balneis egressi hilaritatem præferat ? Ad hæc Decano admirante, hæc nuntiantibus respondimus : Fal-

Caro illius iterum nitida apparet.

Turbæ munera offerunt.

ANNUS 1200

limini procul dubio, fratres carissimi; revera enim candore mirabili nitet vultus ejus, rubei vero coloris nullum in eo vestigium elucet; satis, paulo ante, diligenter notavimus omnem ejus speciem atque decorem. Tunc illi nos quodammodo reluctantes rapuerunt, et cominus adducentes, ostendebant fide oculata verissima se fuisse prosecutos de ruboris gratia qua micabat facies ejus. Quod intuentes, nec ulterius veritati perspectæ contraire valentes, illud in Threnis, de Nazaræis canticum Jeremiæ in eo non immerito et corporaliter nota-
Thren. 4. 7. vimus adimpletum : Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphyro pulchriores. Permansit autem verus idem Sponsi cœlestis amicus ita candidus et rubicundus, quandiu mansit in Sponsæ sibi commissæ aspectibus super terram manifestus. Utrum vero in sepulti corpore decor ille permanserit, an non : scire nostrum non est modo, scietur autem postea. Quod si forte evanuerit et cum Moyse gloria vultus ejus, non erit unde scandalisentur quibus id forte scire donabitur, cum sit jugiter conspicabilis et interminabilis species ejus in nubibus cœli. Hæc enim eis quæ sequuntur jucundo satis auspicio astipulari noscuntur.

MULIER CÆCA VISUM RECIPIT.

XXIX. « Nam regressis nobis ad locum sessionis memoratæ, veniunt celeriter ad Decanum plures, qui dicerent mulierem quamdam, lumine annis multis privatam, primo corporis sancti attactu visum recepisse. Suggerunt itaque ut classicum pulsari, ac *Te Deum laudamus*, vocibus altisonis dominus Decanus jubeat decantari. Verum illud fieri nos dissuasimus vehementer, quia ignota fuit eis ipsa mulier; ne forte conficta cæcitate lumen se mentiretur de novo recepisse, quo jam annosa nullo tempore caruisset. Sed veritatem super hoc et super aliis, quæ procul dubio audiri contigerant signis, diligentissime semper inquirendam primitus, et nonnisi certissime probata quolibet modo propalanda et publice prædicanda monuimus. Dum igitur super his disceptatio aliquantula inter nos et clericos haberetur, accurrunt et alii de muliere altera indubitatum referentes miraculum. Dum enim Matrona quædam devota, oblatione facta, juxta corpus insisteret piis

precibus, crumenam sibi a zona dependentem et solidos aliquot continentem fur clandestinus incidit; qui mox nullo adhuc mortalium, præter ipsum qui fecerat furtum agnoscente, percutitur subita cæcitate; hinc quo se ferat, quo gressum verteret prorsus nesciebat. Qui nimio actus timore, cum aliquandiu huc illucque tamquam ebrius et crapulatus a vino, nutabundus abire tentaret, nec posset; cum jam oculos in se plurimorum his gestibus converteret, et quidnam sibi esset, quod ita gesticularetur in loco tali inquirerent circumstantes; manum cum bursa nihil dicendo tetendit in altum, quid egisset rebus ipsis manifestans, et quid statim pertulisset voce lugubri subinferens. Inspicit et agnoscit loculum suum mulier in manu sacrilegi incisoris; cui ille restituit quod abstulit, et lumen mox recepit quod amisit. Recepit et illa pecuniam quam perdiderat, et immensis attollit præconiis patroni clementiam, quem mente devota adivit. De præcedenti quoque muliere quod revera diu cæca fuerit, et amissum lumen ibidem receperit, in brevi post hæc certius innotuit. Miles itidem quidam, Canonicis Lincolniensibus et aliis comprovincialibus notissimus, cujus brachium cancer ita corroserat ut jam os appareret, idem brachium suum super corpus sancti Episcopi nondum humati posuit, et faciem ejus (quæ, ut mos est Regibus et Episcopis defunctis in feretro jacentibus, discooperta jacuit) curationis gratia frequenter non sine lacrymis tangebat; statimque a Domino meritis Sancti sui restituta est (mirabile dictu) tam caro quam cutis brachii ejus. Unde idem miles gaudens, et Deo et S. Pontifici gratias agens, se sanum Decano ejusdem ecclesiæ, commendabilis vitæ et conversationis viro, aliisque viris fide dignis sæpius præsentavit, ostendens locum pristini morbi plane et integerrime sanatum.

ANNUS 1200

Fur subita percutitur cæcitate.

Sed restituto furto lumen recuperat.

Miles brachium cancro exesum habens sanatur.

« Tantus interea fiebat concursus populorum, ut infra modicum tempus quadraginta marcarum summam oblationum quantitas excederet. Jacentem autem in medio filium lucis die ac nocte ambiebant viri et fœminæ, tenentes in manibus cereos ardentes, et in modum coronæ gloria et honore coro-

Quantæ fuerint oblationes.

ANNUS 1200

natum a Domino circumcingentes. Tunc Magister Joannes vir industrius, hujusmodi distichon ad pedes ejus posuit, in quo multiplices ejus virtutum prærogativas breviter expressit dicens :

Ejus epitaphium.

Pontificum baculus, Monachorum norma, Scholarum
Consultor, Regum malleus Hugo fuit.

« De his singulis, « baculo scilicet et norma, Consultore et malleo, » etsi plurima quæ dici possent, occurrant, tamen quia finiri longe prolixior quam sperabamus libellus expectat, hæc latius ab aliis tractanda relinquimus supersedentes ; et lectorem interim præsentium, ut ex minimis majora conjiciat hortamur, ac ad ea quæ jam superius dicta sunt animo retractanda destinamus. Die autem postera, dum portaretur ad tumulum, mutilatur hinc inde scissione crebra sacrarum quibus induebatur vestium. Sepultus est sicut ipse nobis præceperat, secus parietem, non procul ab altari S. Joannis Baptistæ ; et sicut visum est propter accessum confluentis populi magis congruere, a boreali ipsius ædis regione. Rex ipse, ex ipsis quæ divinitus gloriose fiebant erga Dei hominem compunctus, tunc primum sibi certius compertum esse perhibuit quanti penes Deum Ordo Monasticus loci et meriti fuerit, in quo ad tantam ipsius gratiam Vir iste succreverit. Flexus itaque ad insperatam clementiam, Abbatibus Cisterciensis Ordinis (quorum multitudo, quæ numerum quinquagesimum excederet, eo dicebatur convenisse) exactionem pecuniariam, quam ab eis durius elaboraverat extorquere, prorsus ad honorem Sancti remisit ; ipsis Monasterium præterea insigne se constructurum promisit, ad laudem et gloriam Dei. »

Rex compunctus Cisterciensibus reconciliatur.

TESTIMONIA VETERUM SCRIPTORUM DE SANCTITATE HUGONIS.

XXX. Hactenus Vita mirabilis S. Hugonis. Post cujus mortem tot secuta sunt miracula (de quibus anno sequenti) ut Honorius III cœperit anno 1219 de ejus canonizatione agere, quam anno 1220 perfecit, ut ibidem dicturi sumus.

Rogerius de Hoveden, autor coævus qui videtur exequiis

sancti Hugonis adfuisse, multa de eo scripsit quæ consentiunt cum his quæ ex nostro Autore retulimus; nam inter cætera sic ait: « Hugo Lincolniensis episcopus rediens in Angliam de transmarinis partibus, infirmabatur Londoniis quartanis febribus detentus. Venit ergo visitare eum Joannes rex Angliæ, et confirmavit testamentum illius, et promisit in Domino quod de cætero rationabilia Prælatorum Ecclesiæ testamenta rata haberet tempore suo. Deinde mense Novembris, XVI Calendas Decembris, feria quinta, obiit Hugo Lincolniensis episcopus, Londoniis. » Et post plura, de sepultura ejus sic loquitur: « Willelmus, rex Scotiæ, in crastino summo mane, videlicet nono Calendas Decembris, feria quinta, reversus est in regionem suam, prædictorum conductu qui eum ad Regem Angliæ conduxerant. Eodem die, scilicet nono Calendas Decembris, corpus Hugonis Lincolniensis episcopi delatum est Lincolniam ibidem intumulandum. Cui occurrentes Joannes rex Angliæ et supradicti tres Archiepiscopi et præfati tredecim Episcopi, et Comites et Barones prænominati, receperunt corpus illud, et Rex ipse cum Comitibus et Baronibus portavit in collo suo corpus illud; deinde Comites et Barones portaverunt illud in humeris suis usque in atrium matricis ecclesiæ, gaudentes obsequium se præstare Deo et Præsuli illi. Ad ostium vero ecclesiæ, receperunt corpus illud præfati Archiepiscopi et Episcopi; et sic in humeris Prælatorum delatum est usque in Chorum, et ibi pernoctatum est. Cumque circa eum agerentur exequiæ Defunctorum, quædam mulier quæ per septem annos ex uno oculo cæca fuerat, recepit visum. Et ibidem quidam bursarum incisor, scidit bursam cujusdam mulieris et statim factæ sunt ambæ manus ejus contractæ, et ipse stans immobilis clamabat, etc. » Et rursus sub finem, de visionibus hæc habet: « Eodem anno, mense Decembri, Hugo Lincolniensis episcopus, infra quindecim dies post obitum suum, apparuit in somnis Magistro Rogero de Rolestun, decano Lincolniensis ecclesiæ, dicens: Concessit mihi Dominus noster Jesus Christus sua gratia, quod unus ex vobis Fratribus

ANNUS 1200

Rog. de Hoveden, Annal. part. poster. ad an. 1200.

Knyghtonus adit Legatum Papæ.

ANNUS 1200

meis in proximo veniet ad me cum Domino regnaturus. Estote ergo parati, et vigilate quia nescitis diem neque horam quando Dominus venturus est. Mane autem facto prædictus Decanus narravit visionem istam in Capitulo suo coram Fratribus, et erat illis omnibus mens una desiderans desiderio magno a mole carnis resolvi et esse cum Christo. Sed hæc visio in uno solo Fratre illorum, videlicet Roberto de Capella, tunc impleta est. Ipse enim statim cœpit ægrotare, et infra triduum emittens spiritum perrexit ad Dominum. Corpus autem ejus a collo usque ad poplites inventum erat in cilicio consutum, quo ipse utebatur a multo tempore sub veste candida. » Hactenus Hovedenus, ex quo etiam et ex Dorlando Bzovius desumpsit quæ de S. Hugone in suis Annalibus refert. Radulphus de Diceto in *Imaginibus Historiarum* et Gervasius monachus Dorobernensis in suo Chronico, ambo eodem tempore viventes, nostri Hugonis memoriam celebrant. Matthæus Paris multa de eo recenset, sicuti et multi alii recentiores, qui omnes eum signis et virtutibus claruisse commemorant.

Quoad tempus mortis ejus, omnes fere antiqui scriptores Angli cum nostro Autore, ponunt annum præsentem et eumdem diem, nempe sextum decimum Calendas Decembris, qui præsenti anno occurrit feria quinta, ut noster Autor et Rogerius de Hoveden notarunt. Verum quia obiit sub diei serum, ejus festum celebramus tantum quintodecimo Calendas Decembris, id est die 17 Novembris. Porro a nostro Autore et a Surio dicitur ter quinis sive quindecim annis et quinquaginta octo diebus præfuisse Ecclesiæ Lincolniensi. Sed Stephanus de Longothona, autor etiam coævus a nostro Bohicio citatus, melius scribit, cum ait eum obiisse « completo in obsequio Dei anno Pontificatus sui quartodecimo. » Idem etiam sentit Bzovius. « Ipse, inquit, eodem anno 1200, 15 Calendas Decembris, S. Hugo Lincolniensis episcopus, postquam eamdem Ecclesiam totis quatuordecim annis administrasset. » Nostrum denique Autorem hoc in loco allucinatum fuisse facile est ex ipsomet demonstrare, ex

Bzov. hoc anno n. 20.

iis quæ diximus anno 1186, quo constat S. Hugonem electum fuisse episcopum mense Maio et consecratum die S. Matthæi; a quo tempore, nempe consecrationis usque ad sextum decimum Calendas Decembris anni 1200, intercurrunt tantum quatuordecim anni cum quinquaginta et octo diebus. S. Hugonis memoriam ex Martyrologio Romano Ecclesia Catholica commemorat istis verbis : « In Anglia sancti Hugonis episcopi, qui ex monacho Cartusiano ad Ecclesiam Lincolniensem regendam vocatus, multis claruit miraculis et sancto fine quievit. »

ANNUS 1200

Præter autores Catholicos qui certatim laudes S. Hugonis fuse celebrarunt, ipsi etiam Heterodoxi sanctitatem ejus magnis extollunt encomiis, qui licet miracula ejus, tanquam suæ hæresi contraria, non admittant, ea tamen non audent negare propter vitæ morumque summam integritatem quam coguntur agnoscere. Godwinus id fatetur in ejus Vita dicens, quod « propter vitæ morumque summam integritatem, et miraculorum, quæ illi credula posteritas ascripsit, famam Sanctis annumeratus est; et quod apud Cartusienses propter summam vitæ austeritatem celeberrimus ita evaserit, ut cum ejus fama ad Henricum regem pervenisset, ipse Rex Reginaldum Bathoniensem episcopum mitteret in Burgundiam, ut huic Viro tam sancto persuaderet cœnobii Witamiensis regimen suscipere, etc. » Hæc Godwinus, qui pluribus etiam verbis S. Hugonis facta insigniora prædicat, ac tandem de ejus miraculis lectorem sic admonet : « Si cui libitum est miracula perlegere, quæ sanctitati ejus ascribunt Monachi rerum nostrarum scriptores, petat Parisiensem, qui in Historia anni 1200, hæc omnia fusius persequitur. » Pari modo loquuntur Centuriatores Magdeburgenses, et Foscus in Actis suis : « Hugo, inquit, dicitur post mortem facere magna miracula. »

Godwin. in Episcop. Lincoln.

Smithæus lib. 4. sect. 2 et 4. cap. 1.

XXXI. Eodem anno, ante sanctum Hugonem, die videlicet quarta decima Januarii, in cœlos evolaverat B. Odo plusquam centenarius, professus cartusiæ Casularum, et Gyriensis quondam Prior; tunc vero sanctimonialibus de Taliacozo a con-

B. ODO NOVARIENSIS MORITUR.

ANNUS 1200

fessionibus, Clementis tertii auctoritate ut diximus anno 1189 institutus. Post mortem, tot miraculis Deus sanctitatem ejus testatus est, ut Gregorius IX ei Sanctorum honores cultumque decernere voluerit, nominatis eum ad finem quæsitoribus, qui de illius vita et miraculis investigarent. Hujus inquisitionis, judiciario more factæ, Acta habuimus a nostra domo Trisultana, ubi asservatur ejus autographum. Ex eo

Miraculis claret.

quæ vitam et mores B. Odonis spectant libet hic subjicere. Primus qui a Commissariis Summi Pontificis subiit interrogationem, fuit Richardus tunc episcopus Treventinus olim Monachus Montis Cassini, vir magnæ virtutis, ab Ughello dictus. Hic igitur quæ de B. Odone viderat sic exponit :

« In primis, Dominus Richardus episcopus Treventinus, adjuratus per virtutem Spiritus Sancti, positis coram eo Sacrosanctis Evangeliis, dixit se vidisse sanctum Odonem, de cujus vita et miraculis quæritur, virum timoratum, pudicum et castum ; jejuniis, vigiliis et orationibus die noctuque humiliter insistentem, vestimentis laneis et asperis indutum ; in cellula parvula assidue residentem, de qua raro nisi causa orationis exibat, et ecclesiam audito signo semper intrabat ; Deum gemitibus exorabat et lacrymis ; et omnes quos aliquando videbat in Dei servitio animabat ; divinos Libros sæpe legebat ; manibus suis, quia senex erat, ne otiositas illum impediret, in cellula residens prout poterat laborabat. De Religione Cartusiensi (sicut idem Sanctus eidem Episcopo et pluribus aliis hominibus sæpe narravit) extitit ; professus cartusiæ Domus Casularum, et electus sicut idem asserebat fuit in Abbatem in quodam monasterio de Provincia Sclavoniæ, de civitate Jaderæ ; nomen cujus monasterii dixit se non recordari. Et ibidem accedens B. Odo, a quodam Episcopo illius provinciæ, sicut ipse dicebat, opprobria multa sustinuit. Tandem cum eidem resistere non posset amplius, ad Curiam properavit, honori et oneri cessit, tempore felicis memoriæ domini Papæ Clementis : et sic a Curia recedens, casu ad monasterium SS. Cosmæ et Damiani de Taliacozo devenit, et ibidem a quadam religiosissima et pia Domina,

nomine Adhuisia, ejusdem monasterii Abbatissa valde sene, hospitio receptus fuit. Qui ibidem aliquanto tempore degens, ad alia loca demigrare volebat. Quæ Domina cernens tantum virum, honestum, pium et castum et propter ipsius puritatem suo monasterio plurimum opportunum, precibus humillimis tamdiu apud ipsum monasterium illum retinuit, quamdiu ad dominum Papam Clementem, nepotem suum Bernardum de Taliacozo direxit, et per eumdem, ut audivit dictus Episcopus, Litteras licentiæ ibidem persistendi beatum Odonem impetravit a domino Papa Clemente; et sic tempore vitæ suæ, juste et pie vivendo in monasterio prædicto, glorioso fine quievit. »

ANNUS 1200

XXXII. Ex præfati Episcopi responsione, constat B. Odonem professum fuisse cartusiæ Casularum. Sed unum merito lectorem movere potest, quod dicatur « electus in Abbatem in quodam monasterio, de provincia Sclavoniæ, de civitate Jaderæ. » Unde Bzovius qui eadem Acta vidit eum appellat Abbatem Jaderæ. « Circa hoc tempus, inquit, vixit Odo Novariæ natus. Is Cartusiensium Ordinem professus, tantum in religiosa vita profecit, ut sanctitatis ejus fama divulgata, electus fuerit in Abbatem monasterii civitatis Jaderæ, in provincia Sclavoniæ, etc. » Hinc est quod rerum nostrarum Scriptores Bzovium secuti, scribant Odonem ex Cartusiensi factum fuisse Abbatem Jaderæ. Sed constanter asserimus eum nunquam ad alium Ordinem transivisse, ac monasterium, de quo hic agitur, fuisse nostri Ordinis, nec aliud a Gyriensi. Id colligimus ex verbis archipresbyteri Oderisii anno 1189 relatis, quibus declarat B. Odonem interrogatum quis esset et unde veniret, respondisse se esse « monachum de Ordine Cartusiensi, et venire a Romana Curia pro facto monasterii sui. » Non distinguitur hic monasterium ab Ordine Cartusiensi. Nec obstat quod idem Oderisius statim subjungat « monasterium, cui præfuerat Odo, fuisse in Sclavonia, de civitate Jaderæ. » Nam sicut primus testis, nempe præfatus episcopus Treventinus Richardus, fatetur memoria vacillasse circa nomen monasterii, « nomen cujus monasterii,

PROBATUR NON FUISSE ABBAS JADERÆ.

Bzov. ad an. 1240. n. 15.

ANNUS 1200

Unde error processit.

inquiunt Acta, dixit Richardus episcopus se non recordari », ita et eodem memoriæ vitio potuit laborare Oderisius ; imo verisimile est ambos testes Zaram sive Jaderam urbem satis notam accepisse, ex affinitate pronuntiationis italicæ, pro *Gayrac* sive *Geyrach,* loco obscuro ; sic enim cartusiam Gyriensem dictam fuisse legimus in antiquis tabulis et apud Joannem Cuspinianum. Præterea si Odo præfuisset Abbatiæ civitatis Jaderæ, ubi est unica Monachorum Cassinensium teste Ughello, vestem nigram necessario induisset, nec cum aliis insignibus coram Summo Pontifice jus sui monasterii persecutus fuisset. Nihilo tamen minus plerique testes qui eum viderant Roma redeuntem, dicunt in citatis Actis eum fuisse « indutum pannis laneis albis et asperis » ; quibus recte denotantur Cartusiensium indumenta. Sed a quopiam reponi poterit et quæri, cur igitur in eisdem Actis Abbas nominatur ? Cui facilis est responsio, nempe his temporibus superiores monasteriorum promiscue Abbates appellatos fuisse, quod variis possemus exemplis ostendere. Sed unum sufficiet, et quidem domesticum, ex bulla Alexandri Papæ tertii desumptum. Hic enim anno 1177 Monachos Cartusiæ in Seitz non ita longe a Gyriensi dissitæ, ad constantiam suis Litteris cohortans sic eos affatur : « Alexander, etc. Dilectis filiis Abbati et Fratribus Cartusiensibus in valle S. Joannis morantibus, » etc. Denique certissimum est Odonem fuisse Priorem Gyriensem ; cujus Prioratus illustre argumentum reperitur in tabulario nostræ Domus Seitzensis, ubi inter ms. Codices unus extat nostri Odonis, ut ante aliquot annos V. P. Vicarius ejusdem nobis significavit sic scribens : « His diebus, diu quæsitas Conciones beati Odonis Novariensis Prioris in Gyrio ms., in pergameno caractere sat legibili, inveni cum hoc titulo : Sermones magistri Odonis Prioris in Gyrio, de Tempore et Sanctis in communi. » Quod autem sermones ediderit discimus ex Actis prædictis, ubi testes dicunt eum sæpissime concionatum fuisse ad populum in ecclesia SS. Cosmæ et Damiani. Unde non est mirum si cum esset apud nos, conciones scriptis mandaverit. Porro dicitur Magister, in

Sermones composuit B. Odo.

citato codice, juxta morem horum temporum, quibus etiam sæpius hujusmodi titulus monasteriorum Superioribus loco Abbatis concedebatur, ut alibi multis exemplis probavimus. Aliud testimonium proferimus ex quodam ms., anno 1616 ad Cartusiam Majorem a Patribus Trisultanis misso et Domus eorum historiam continente, in quo, inter multa, hæc de Odone scribuntur : « Occurrit primum beata memoria S. P. Odonis Illyrici, qui cum Romam ex Illyria venisset absolutionem a Prioratu, quam ab Ordine extorquere non potuerat, a Summo Pontifice impetraturus ; inde regrediens, in hoc nostro monasterio (tunc aliis monachis subdito) aliquamdiu commoratus est, etc. » His non dissimilia refert Theophylus Raynaudus in suo *Stylita Mystico,* referens B. Odonem « cum in Sclavonia ageret Priorem Cartusianæ familiæ, oppressum ab Episcopo hæsisse Taliacozi, etc. » His adde, narrationem Richardi Treventini episcopi et Oderisii archipresbyteri recte congruere cum historia Cartusiæ Gyriensis, quæ circa annum 1169 a quodam Episcopo Gurcensi nostro Ordini concessa, et ab alio ex fundatoris successoribus circa annum 1189 ablata atque alterius Instituti Monachis adscripta, Nostris tandem restituta est anno 1209. Nunc Acta prosequamur.

ANNUS 1200

XXXIII. Post testimonium Treventini episcopi sequuntur interrogationes et responsa archipresbyteri Oderisii, qui post ea quæ de B. Odonis vita et conversatione anno 1189 ex ejus verbis retulimus, de beati Viri morte interrogatus dixit « quod interfuit et vidit quando migravit. Et cum jaceret in prædicto strato, indutus cilicio in dicta cellula, jam in morte constitutus cœpit dicere : « Expecta me Domine ad te venio ; et cum quæreretur a circumstantibus, cui diceret ; respondit : Jam enim Regem meum video, jam in conspectu ejus adsisto. » Interrogatus quis fuit ille qui interrogavit eum, cui diceret dicta verba : dixit quod ipse testis est presbyter Nicolaus Ægidii, et cum prædicta verba dixisset B. Odo, quasi si quis manum porrigeret, totum se dicto strato erexit, et sic manibus ad cœlum extensis, migravit ad Dominum.

QUANDO ET QUOMODO OBIERIT.

ANNUS 1200

Mense Januario.

« Interrogatus de tempore, mense et die quando migravit, dixit quod de die et tempore non recordabatur, de mense dixit quod migravit mense Januarii in festo S. Mauri. Dixit etiam idem testis quod patrinus B. Odonis, scilicet presbyter Nicolaus Ægidii, dixit sibi quod dictus Vir sanctus dixerat ei in confessione sua, quod aliquando carnis pollutionem non habuit. Dixit præterea dictus Archipresbyter quod B. Odo pridie antea prædixerat obitum suum dicens : Cras migrabo ad Dominum. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit, audivit et interfuit ; et in die quam prædixerat expiravit.

Obitum suum prædixit.

Vivens miracula patravit.

« Interrogatus de miraculis, si qua fecit in vita, dixit quod ipse testis vidit quemdam, nomine Sylvaticum, dolorem emicraneæ continuum patientem, qui cum a medicis post multa tempora sanari non posset, tandem accessit ad virum Dei Odonem et petiit ab eo infirmitatis suæ medelam, supplicans ut pro eo Dominum exoraret quod capitis sui infirmitas sanaretur ; cui Sanctus quasi ironice commotus inquit : Quid me tentas, frater, hominem peccatorem, putridam carnem gerentem ! recede a me ; sanet te Christus filius Dei vivi ; et hæc dicens cœpit valde lacrymari, et sic homo adeo sanus effectus est, quod usque ad obitum suum capitis molestiam nunquam sensit. Interrogatus de scientia, dixit quod vidit et audivit et interfuit supradictis, et hominem bene cognovit qui liberatus erat, quia intimus suus erat et viderat eum infirmitatem prædictam per multa tempora patientem, et postmodum vidit eum sanum usque ad obitum suum, et de illa ægritudine dicentem se esse per sancti viri Odonis merita liberatum.

CENTENARIUS FUIT.

XXXIV. « Presbyter Joannes, canonicus ecclesiæ S. Leucii de Maran, juratus et interrogatus de vita, conversatione, obitu, translatione et miraculis B. Odonis, dixit se vidisse et audivisse dictum beatum Odonem senem, quasi centum annorum, existentem in monasterio sanctorum Cosmæ et Damiani de Taliacozo, indutum vestimentis laneis albis et asperis, et habentem desubter cilicium, et esse virum honestum, pudicum, pium et castum, humilem et quietum, Domino jejuniis

et orationibus famulantem, et vidit eum morari in cellula juxta monasterium memoratum, in qua habebat lectum ligneum in modum cratidæ cum sarmentis; et vidit et audivit quod animabat dictus B. Odo Abbatissam ipsius monasterii, nomine Aduhisam senem, et alios qui accedebant ad eum, ad opera misericordiæ facienda. Dixit etiam ipse testis, quod vidit litteras domini Papæ Clementis, sigillo plumbeo sigillatas, in quibus continebatur quod de licentia dicti domini Papæ Clementis, idem B. Odo in dicto monasterio moraretur, et sic de dicta licentia ibidem permansit usque in finem.

ANNUS 1200

« Dominus Bonaventura de Taliacozo, juratus et interrogatus, dixit se vidisse beatum Odonem, senem quasi centum annorum, existentem in monasterio sanctorum Cosmæ et Damiani de Taliacozo, humilem, quietum, pium et castum; indutum pannis laneis albis et asperis, jejuniis et orationibus Domino servientem, et exhortantem, quos poterat, Domino famulari ; et ipse testis ibat multoties cum patre suo, domino Bernardo de Taliacozo, ex devotione tamquam ad sanctum Virum, et audiebat sæpe prædicationem ab eo. Dixit etiam quod dictus B. Odo existebat prope dictum monasterium in cellula parva, de qua non exibat nisi cum intrabat ecclesiam causa orationis. Interrogatus quanto tempore viderit eum, dixit se non recordari. Interrogatus si dictus B. Odo fuit mortuus in dicto monasterio, dixit quod sic. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod tempore translationis suæ factus est clamor populi in Taliacozo, quod mortuus esset servus Dei Odo in monasterio memorato, et omnes concurrebant ad exequias ejus ibidem.

Existebat in cellula juxta monasterium.

« Presbyter Raynaldus, rector ecclesiæ Sancti Joannis de Petrella, juratus et interrogatus, dixit quod vidit B. Odonem bonæ conversationis, commorantem in cellula juxta monasterium sanctorum Cosmæ et Damiani in habitu monachali, indutum pannis albis et laneis, et cilicium desubter habentem et cucullam desuper. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit, quia frequenter mittebatur ad eum ipse testis a quodam avunculo suo. Dixit etiam quod dictus Vir sanctus

ANNUS 1200

Carnes nunquam comedit.

moratus fuit in dicto Monasterio usque ad obitum suum, et ipse interfuit quando migravit, et sperabatur tunc miracula per eum fieri pro conversatione sanctæ vitæ suæ, quia sanctam vitam duxerat; carnes enim non comedit neque sagimen; in vigiliis et orationibus semper vivendo. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod vidit et audivit. Interrogatus de tempore transmigrationis suæ, dixit quod sunt quadraginta anni et plus.

Omni tempore jejunabat.

« Clemens clericus, juratus et interrogatus de vita et conversatione beati Odonis, dixit se vidisse beatum Odonem, senem presbyterum, humilem et quietum, in habitu monachali habentem vestimenta de lana alba et aspera et desuper stamineam; et omni tempore jejunantem præter diem Dominicam in cibo quadragesimali, et insistentem orationibus et vigiliis. Interrogatus qualiter sciret, dixit quod ipse testis erat assiduus ibi et audiebat omnia prædicta, et vidit eum celebrare Missarum solemnia reverenter, et vidit eum residentem in cellula juxta monasterium Sanctorum Cosmæ et Damiani de Taliacozo, ubi habebat lectum de vili sacco cum sarmentis, nec de cellula illa exibat, nisi cum ecclesiam causa orationis intrabat; nec carnes aliquando comedebat, nec sagimen; et sic in dicto monasterio usque ad finem vitæ suæ permansit.

« Dominus Berardus Mancinus et quidam Petrus subdiaconus fere omnia ab aliis testibus relata repetierunt, addentes beatum Virum fuisse « staturæ parvæ, albi et senilis coloris, habens oculos parvos et paucos capillos in occipitio, et in barba raros pilos et albos, et quod erat macilentus. »

Per Quadragesimam se quotidie flagellabat.

« Presbyter Sarlus, juratus et interrogatus, eadem dixit, sed addidit se « audivisse a quodam serviente beati Odonis, scilicet presbytero Nicolao de Monacha, quod idem Sanctus flagellabat corpus suum tempore quadragesimali quotidie, præter diem Dominicam. »

« Joannes Berardi, juratus et interrogatus de vita et conversatione beati Odonis, dixit se vidisse beatum Odonem de cujus vita et miraculis quæritur, presbyterum in vestibus albis laneis et asperis et stamineam desubter, morari in mo-

nasterio Sanctorum Cosmæ et Damiani de Taliacozo, et celebrare cum magna devotione Missarum solemnia in eadem ecclesia, et prædicare in ea et admonere populum. Vidit etiam ipsum residere in parva cellula juxta monasterium ipsum, et macerare corpus suum jejuniis, et orationibus Domino serviebat assiduis ; et habebat idem Sanctus in dicta cellula vilissimum stratum de sarmentis, et *gallia de pantano* aspera ; carnes non comedebat, nec sagimen, sed parum panis ad sustentationem corporis sui. De cellula raro exibat, nisi causa orationis cum ecclesiam intrabat. Et quando prædicabat, in prædicta prædicatione plorabat ; et tenendo in manu sua candelam accensam, figurare ostendebat populo fidem sanctæ Trinitatis : plorabat enim fortiter quando divina Mysteria celebrabat, et vidit eum morari in eodem monasterio donec migravit a sæculo, et ibidem fuit sepultus ; unde nunc est translatum corpus ejus.

Ossa per se mota locum cedunt corpori B. Odonis.

« Nicolaus Petri Benedicti, dixit idem quod et alii, addens quod quando sepultus fuit B. Odo, ossa cujusdam hominis prius mortui jacebant dispersa in tumulo, ubi debebat sepeliri dictus B. Odo ; et statim atque deportatum fuit ibi corpus ejusdem, dicta ossa cesserunt ei et cumulaverunt se in angulo monumenti, per se tantum et non per aliquem alium visibilem conductorem. »

Hactenus de vita et morte B. Odonis, ex tabulis inquisitionis pro illius canonizatione factæ anno 1240. Ex quibus constat eum obiisse hoc præsenti anno, die 14 Januarii. De corporis ejus translatione et miraculis post illius mortem patratis, dicemus anno 1239.

PETRUS BLESENSIS MORITUR.

XXXV. Sub idem etiam temporis obiit celebris memoriæ Petrus Blesensis, Bathoniensis et postea Londoniensis ac demum Cantuariensis archidiaconus, nostri Ordinis semper amantissimus, ita ut apud Patres Wittamienses et cum eis sæpius consuevisse gestiret. Quod quidem colligimus ex præconiis quibus illustravit Fratrem Gerardum Conversum, de quo suo loco diximus. Hujus viri laudes non aggredimur recensere, cum ejus nomen toto jamdudum orbe clarissi-

ANNUS 1200

mum sit ex ejus operibus, quæ Joannes Busæus et Petrus de Gussanvilla in lucem emiserunt.

INITIA DOMUS SILIGNIACI.

XXXVI. Hoc præsenti anno, pius ac nobilis vir Hugo dominus de Coliniaco et de S. Andrea super Suram, jamjam in Terram Sanctam profecturus, quidquid apud Siligniacum possidebat Cartusiensibus Domus Sellionis contulit, ea conditione ut ibi nova cartusia ædificaretur. Scriptæ super hoc Literæ sunt sequentis tenoris :

Hugo de Coliniaco locum dat.

Ex tabulario Domus.

« Notum sit omnibus quod ego Hugo Coliniaci Jerosolymam tendens, quidquid juris habeo apud Siligniacum, pro salute animæ meæ et animarum antecessorum meorum, integre et absque retractatione dono et confirmo Domui Sellionis, ad construendam ibi Domum Cartusiensis Ordinis; ita tamen si juxta considerationem et assensum Ordinis esse potuerit. Testes sunt li Duchessa, Raynardus de Lent, Gerinus Li Lous, Hugo Delport, Sofredus de Brauna, Gerardus de Rameri et Petrus Clericus filiaster ejus, et plures alii. »

Villhard. in Hist. Constantinop.

Extant hæ litteræ in Historia ms. nostri Molini, et in Annotationibus ad Historiam Godefridi de Ville-Hardouin ; qui autor illius sæpius cum honore meminit, eumque dicit occisum a Bulgaris anno quinto proximi seculi in Serrarum urbis Macedoniæ obsidione, quam pro Montisferrati Marchione propugnabat. Eo mortuo, Cartusienses per aliquot annos novæ Domus constructionem distulere, donec alios nanciscerentur patronos et dotatores, quorum liberalitate exigua Hugonis fundatio augeretur et inchoaretur. Nec ulli se obtulerunt usque ad annum decimum ejusdem seculi, quo Stephanus Burgundiæ comes, Prioris Sellionis inductu et persuasu, quidquid juris in villa Siliniaci habebat, et usum pascuorum per totam terram suam concessit, scripto diplomate quod ibidem dabimus.

Eo mortuo constructio differtur.

Stephanus comes Burgundiæ alter Fundator.

DE QUODAM PRÆBENDARIO VALLIS SANCTÆ MARIÆ.

XXXVII. Denique hoc anno quidam Domus Vallis Sanctæ Mariæ Præbendarius, dictus Chatbertus Francisci, cujus et collatorum ab eo eidem cartusiæ quorumdam bonorum causa, multas ac diutinas Monachi ab ejus creditoribus patiebantur vexationes, licentiam transferendi se ad quem-

cumque vellet Ordinem, præsente Joanne Gratianopolitano Episcopo, a Jarentone Priore obtinuit, scriptis ea de re dignis observatu literis : ANNUS 1200

« Sciant omnes in quorum manibus hæc scriptura venerit, quod Chatbertus Francisci, gravatus infirmitate qua terram suam deseruit, elegit habitare in angulo terræ suæ in Domo Vallis S. Mariæ, non ut habitum Religionis susciperet, sed ut ibi a tumultu seculi quiesceret, et per eorum consortium et ipsius Domus et totius Ordinis Cartusiæ orationum particeps fieret. Ubi aliquandiu commoratus, et in eis bene sibi complacens, cum paupertatem Domus cognovisset, misit et Guigonem Priorem Pontis, et Rainaldum Radulfi et Martinum Bajulum ad se venire fecit, et eorum consilio, nullo pacto interveniente sed solo pietatis intuitu, pro remedio animæ suæ et antecessorum suorum, ex his quæ secum attulerat præfatæ Domui aliquanta donavit. Deinde procedente tempore, multi adversus eum habentes querelas, per occasionem illius frequenter Domum vexare cœperunt; quod cum Prior Jarento et alii Domus diutius honore illius et reverentia patienter sustinuissent, ad extremum vexatores eo usque invaluerunt ut non solum Priori et Fratribus Domus, sed et ipsi Chatberto, res omnino videretur intolerabilis. Unde prædictus Prior et alii Fratres cum ipso Chatberto et ejus amicis, diu super hoc habito consilio, rogaverunt eum quatenus pro pace Domus ad tempus secedens, tandiu alicubi extra Domum maneret, donec solertia illius et industria querelæ pacifice componerentur. Hac de causa cum aliquandiu extra Domum mansisset, redire satagebat, cum de querelarum emendatione vel nihil vel parum peregisset. Ad quod Prior consentire penitus non audebat, paratus ad omne obsequium et voluntatem illius, dummodo exactoribus satisfactum fuisset. Quod ille non æquo ferens animo, prius dictæ Domui cœpit molestus existere, et quæ absolute pro Domo dederat violenter exigere; insuper et novas querimonias et indebitas pactiones invenire. De his omnibus convenerunt in manu domini Joannis Gratianopolitani episcopi : qui, utrorumque

ANNUS 1200

auditis allegationibus, adhibito sibi Petri Pineti et etiam utriusque partis consilio, præcepit ut Prior Vallis Sanctæ Mariæ daret Chatberto sexaginta libras, et ipse Domum ab omnibus querelis absolveret. Facta sunt hæc anno Incarnationis Domini 1207, Idibus Augusti, in castro Pontis, in Domo Prioris. Hujus rei testes sunt hi : Dominus Episcopus, Geraldus Montismaurini, Petrus Senioreti Prior sancti Martini, Ugo capellanus, Amedeus Prior de Quinto, Petrus Pineti, Stephanus de Valentia, Guigo Prior Pontis, Lantelmus de Chapeversa, Lantelmus de Rancurel, Lambertus de Rancurel monachus, Martinus Bajulus, Rainaldus Radulphi, Gaufridus de Belveer, Willelmus Mareschalchus, Petrus Desmerii, Lambertus de Manso, Amedeus de Ponte, Laurentius Conversus. In crastinum vero, Dominus Episcopus sæpe dictum Priorem et Chatbertum ante se venire fecit, et ut pax solidior majorque dilectio inter eos remaneret in posterum, voluit et rogavit ut Prior cum supradictis sexaginta libris adhuc centum solidos daret Chatberto. Tunc Chatbertus bono animo et bona voluntate prædictam Domum ab omnibus absolvit querelis, firmiterque promisit ne deinceps ipse vel alius pro eo Domum super hoc inquietaret. Rogavit quoque Priorem, Domino præsente Episcopo, ut liberam ei daret facultatem eundi ad quam vellet Religionem. Cujus precibus Prior quia reniti non poterat, ad quam vellet Religionem ire permisit, vinculo tamen charitatis retento. Factum est in ecclesia Pontis, his præsentibus : Petro scilicet Senioreti, et Ugone capellano Episcopi, Guigone Pontis Priore, Lantelmo de Chapeversa, Martino Bajulo et Gaufrido de Belveer. »

Hunc hominem Præbendarii nomine designavimus, quod inter nos « sine habitu Religionis » viveret. Olim namque Præbendarii et Donati secularem non mutabant habitum, ut habent Nova Statuta. Si vero vestem Cartusiensem aliquando vellent induere, ad Redditorum vel Conversorum statum transire necessario debebant. Unde quidam Statutorum interpres, hunc locum qui dicit « Præbendarios et Donatos senes

Stat. Nova p. 3. cap. 3. num. 5.

Statuta Antiq. p. 3. cap. 33. num. 4; et Nova, ubi supra num. 8.

debiles et infirmos posse indui et sepeliri si locus vacaverit Redditorum, » sic explanat : « Hoc intelligendum est, si hoc petierint, et ad hoc habuerint devotionem et habituationem, seu dispositionem convenientem tali statui. » Sed de his fusius alibi.

ANNUS 1200

JESU CHRISTI

ANNUS 1201

Innocentii PP. III Ann. 4.	Ord. Cartus. Ann. 118.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 22.

S. HUGO MULTIS FULGET MIRACULIS.

I. ANNO Christi ducentesimo primo supra millesimum, Indictione quarta, pergit Deus S. Hugonis memoriam variis decorare miraculis. Quædam, non eodem anno sed diversis ante illius inter Sanctos relationem temporibus patrata, recensuit autor Vitæ illius, extantque ad calcem nostri codicis in hunc qui sequitur ordinem :

« Post prædicta, ea dignum duximus adjicere miracula quibus divina Bonitas, tamquam in tenebris lucernam accendens, post sepulturam præfatam, Sanctum suum clarificavit et voluit magnificari.

Puer putatus mortuus reviviscit.

1. « Puer quidam parvulus de partibus Lincolniæ, per quindecim dies ægrotans, invalescente morbo devenit ad mortis periculum, adeo ut in eo nullum vitæ signum nec ipse etiam halitus remaneret; sed frigescentibus membris corpus ita diriguit ac si per 15 dies mortuus extitisset. Quo viso, mulier accedens oculos clausit et membra velut mortuorum disposuit. Cumque sub hoc schemate jacuisset a tempore galli cantus usque ad diluculum, mater cujus fides inter lacrymas non fuerat extincta cum filio, multa fiducia dixit : Etiam si humatus esset filius meus, posset eum Dominus mihi restituere per merita sancti Hugonis. Acceptoque filo faciendis candelis apto et idoneo, cœpit puerum mensurare. Crescente vero die, fecerunt pro anima pueri orationes et eleemosynas,

et miserunt ad sacerdotem vocandum ad funus. Porro mater sedula, circa horam primam diei deprehendit in puero motum palpebrarum flatumque restitutum; magnificans Deum et sanctum Episcopum, cujus hæc meritis ascribebat. Procedente vero tempore, duxerunt ipsum puerum sanum parentes ejus ad tumbam Præsulis sancti, et Dei magnalia narraverunt.

ANNUS 1201

Paralyticus sanatur.

2. « Adolescens quidam, Joannes nomine, adeo paralysi percussus erat ab umbilico inferius, quod nullum usum habuit crurium, pedum sive tibiarum; in hac languescens ægritudine per quadriennium cum dimidio. Audita fama miraculorum sancti Hugonis, ad tumbam ejus se portari fecit in vigilia Assumptionis beatæ Mariæ Virginis; ubi cum tota nocte pia fudisset precamina, cum in mane parumper obdormiisset, visum ei fuit in somnis, quod beatus Hugo vultu et statura venustus, mitratus, et Episcopalibus competenter indutus, præcepit ei surgere. Qui ad hanc vocem evigilans, cruribus et tibiis extensis sese in stationem erexit, sed nutans inprimis et titubans, protinus in terram corruit, iterumque surgens firmus stare cœpit. Qui multo tempore sanus existens, in atrio ecclesiæ habitabat, et per Canonicorum hospitia singulis fere diebus gradiebatur propter victus necessaria.

Item paralytica.

3. « Mulier quædam, Allicia nomine, paralitica ab umbilico inferius, se se de toto movere non poterat nisi adjutorio alieno, ante fores ecclesiæ longo tempore discumbere consueverat. Quæ ad tumbam sancti Viri delata, cum in oratione prostrata lacrymisque perfusa aliquandiu jacuisset, auditus est ossium ipsius mulieris fragor non modicus tamquam violentiam pateretur; et sic per merita sancti Viri Dominus eam plene sanavit.

Altera mulier manus sinistræ impotens curatur.

4. « Alia quædam mulier, Yveta nomine, cum quadam die sabbati post Nonam lavaret pannos pueri sui et eos in die Dominica sequenti exponeret ad siccandum, percussa est paralysi in sinistra manu, ita quod tota illa manus emarcuit usque ad cubitum. Postea videbatur ei in somnis, quod quidam dixerat ei ut iret ad tumbam beati Hugonis episcopi, et poneret se in medio foramine tumbæ, et diceret novies

ANNUS 1201

orationem Dominicam et reciperet sanitatem. Ipsa autem ad tumbam veniens antequam explesset orationem nonam, prius mirabiliter afflicta, tandem obdormivit; et cum evigilasset vidit manum suam totam rubeam et curatam, ita quod usum habuit sicut alterius manus.

De Templario splenetico.

5. « Templarius quidam, beati Præsulis dum in hac miserabili vita adhuc degeret amicus, dum sic esset spleneticus quod a medicis fuisset derelictus et desperatus, vidit in extasi positus, quod beatus Hugo Episcopus gratulabundus ipsum benedicebat, moxque evigilans sensit se convaluisse. Convalescentiam tanto animadvertit mirabiliorem extitisse quod nullius creticæ determinationisque signum præcessit vel sequebatur, agens hic gratias suo curatori et Deo omnipotenti suo creatori.

De tribus aliis paralyticis.

6. « Tres quoque alii paralytici, quorum curationem sub brevitate transcurrimus, ad sancti Viri corpus plene sanati sunt, quorum unus loquelam et usum totius partis sinistræ amiserat; alter vero ore ad aurem converso, uno oculorum sursum elevato alteroque depresso, mediaque parte corporis sauciata; tertius quoque ex omni parte corporis debilitatus, plene restituti sunt.

Tres cæci lumen recuperant.

7. « Fuit etiam mendicus quidam, nomine Simon, qui per plures annos cæcus mendicabat inter Canonicos Lincolnienses. Hic in quodam festo Pentecostes, ad tumbam sancti Episcopi sanitatis lumen recepit meritis beati Viri. Ipsum postea retinuit Decanus in domo sua per plures annos.

8. « Quædam etiam mulier, Mathildis nomine, curata fuit a cæcitate. Quæ cum diebus singulis, die etiam qua curata fuit, ad ecclesiam duci consuevit, die curationis per se sine ductore rediit.

9. « Alius quoque cæcus de villa Rotwelle, post tres septimanas cæcitatis suæ, duci se fecit ad tumbam beati episcopi Hugonis, ubi cum moraretur inter ipsa Missarum solemnia, oculos quos prius aperire non potuit, aperuit ; et gratias agens dixit : Ecce video candelas quas ego ipse attuli ad honorem sancti Viri.

ANNUS
1201

10. « Fuit etiam mutus quidam in civitate Lincolniæ, cui lingua palato suo adhærebat ex parte inferiori immobilis. Hic ad tumbam sancti Hugonis veniens cum devotione, ibique in oratione et lacrymis pernoctans, plenam et integram sancti Viri meritis recepit loquelam.

Duo muti loquelam recipiunt.

11. « Consimile miraculum de muto alio per viros fide dignos ibidem contigisse indubitanter probatum est, et tam ab ipsis quam ab aliis pluribus constanter approbatum.

12. « Quædam matrona apud Lincolniam, quæ frequenter concepto fœtu pati consuevit abortum, et nunquam pepererat nisi quatuor abortivos, ancillam habuit cui dormienti quidam apparuit in habitu canonicali et tertio vocans eam dixit: Si domina tua imaginem fecerit pueri ceream et eam in ecclesia beatæ Mariæ in honorem beati Hugonis obtulerit, deinceps pariet fœtus incolumes. Ad ancillæ vocem matrona surrexit et visioni paruit. Postea pueros sex edidit sanos et vivaces, semper postea beato Episcopo gratias agens.

De muliere abortire solita.

13. « Mulier quædam, Alicia nomine, cum quadam die sabbati cum pulsabatur ad vesperas opus servile faceret, contractæ sunt manus ejus, ita quod uterque pollex palmæ adhæsit, in tantum quod custos tumbæ, vir fortis, manus non potuit aperire, cum hoc sæpius attentaret; quæ tamen per gratiam Dei curata fuit ad tumbam sancti Hugonis die Palmarum.

De alia contractam manum habente.

14. « Alia quoque mulier ita per triennium fuit contracta ut talos haberet natibus adhærentes, eratque in quibusdam partibus insensibilis. Hæc ad sancti Pontificis allata tumbam in cophino, ibique demorans et pernoctans, tandem obdormivit. Evigilans autem sensit nervorum extensionem, ossiumque fragorem audivit non sine gravi molestia; sicque pedibus restituta, ad plenum ibidem convaluit.

De alia membris capta.

15. « Mulier etiam quædam nobilis, cum morbo laboraret hydropico, ita quod diu ejus membra inflata fuissent, emisit votum quod iret ad tumbam sancti Præsulis Hugonis. Quæ postquam votum implevit et aquam bibit in qua ablutus annulus fuerat sancti Episcopi, statim incœpit se melius habere, ita quod infra duos dies plene convaluit.

De quatuor Hydropicis.

ANNUS 1201

16. « Alii quoque tres morbo laborantes consimili, auxilium Viri sancti non sine planctu et gemitu requirentes, diversis temporibus plenam a Domino salutem obtinere meruerunt. »

PRÆDICTIONES EJUS CIRCA REGEM IMPLENTUR.

Raynald. ad hunc annum n. 92.

II. Quæ autem de malis post mortem suam regnum Angliæ inundaturis S. Hugonem anno præterito prædixisse vidimus, non ea inania fuisse aut ea de corde suo prophetasse (quemadmodum falsis prophetis per Jeremiam objicitur) statim rei declaravit eventus. Cœpit namque Joannes rex Anglorum electionibus Episcoporum contra fas se ingerere, atque Angliam ea de causa permiscere. Tradit enim Rogerius ipsum Lincolniam se contulisse pro deligendo illius Ecclesiæ Episcopo, atque electionis libertatem Canonicis adimere voluisse, ex quo plura dissidia emersere. Nec solum inter Regem et Lincolniensis Ecclesiæ Clerum, post sanctissimi sacerdotis excessum, sed etiam inter ipsum Regem et Gaufridum fratrem illius Eboracensem Archiepiscopum exorta dissidia quæ idem autor refert. Cæterum, concludit Raynaldus, ejusmodi dissentiones initia fuisse malorum quæ S. Hugo morti proximus, divino afflatus Spiritu, Anglorum Regi, regno et Clero prænunciaverat. Cœpit autem judicium a Domo Dei.

BOVO PRIOR QUONDAM WITHAMIÆ MORITUR.

III. Mortuo S. Hugone, Bovo vir religiosissimus, qui ei in Prioratu successerat, in Cartusiam se recepit, ubi haud diu post defunctus, sanctum suum amicum et filium spiritualem, quem futurum quandoque Episcopum prædixerat, in cœlum subsecutus est circa præsentem annum ; cujus obitus signatur in antiquo Calendario Cartusiæ ad quartum Nonas Decembris, ubi dicitur tantum sacerdos et Monachus : unde conjicimus eum non obiisse in Prioratu. Eum fuisse virum sanctum satis apparet ex his quæ de ipso diximus anno 1186. Sed dolendum quod Nostrorum incuria, sive potius humilitate, qua sua suorumque præclare gesta abscondere studebant, ejus fere memoria perierit. Ultra quinquaginta annos vixit in Ordine, subscripsit enim ut testis cum aliis Monachis et Conversis Cartusiæ cuidam instrumento confecto tempore regiminis S. Antelmi.

ANNUS
1201

ITEM GUILLELMUS DE BENEVENTO ARCHIEPISC. EBREDUNENSIS.

Sanmarth. in Episc. dinien. et Archiep. Ebredunens.

IV. Circa eadem tempora obiit Guillelmus de Benevento, quem dicunt ex Canonico Forojuliensi factum fuisse monachum cartusiæ Montis Rivi, et ex hac eremo assumptum in episcopum Diniensem, indeque ad Sedem Metropolitanam Ebredunensem. At Petrus Gassendus, in *Elencho Episcoporum Diniensium,* dubitat an idem sit qui utrique Ecclesiæ præfuit aut duo ejusdem nominis et agnominis, quorum unus Diniensem Ecclesiam rexerit, alter Ebredunensem. Et revera ille Canonicus Forojuliensis videtur immediate ex Canonico factus Episcopus, ut probari potest ex tabulariis Ecclesiæ Forojuliensis, in quibus habetur quædam donatio, anno 1179 mense Julio, in qua inter canonicos nominatur W. de Benevento, Diniensis electus. Et in tabulis Ecclesiæ Diniensis, Guillelmus de Benevento præerat anno 1180. Unde fit quod nullum tempus astrui possit, quo monachum induerit ante electionem ad episcopatum. Quamobrem verisimilius est, illum Guillelmum de Benevento, qui ex Cartusiensi factus creditur Ebredunensis archiepiscopus, alium fuisse ab Episcopo Diniensi. Quidam nomine Guillelmus præfuit Domui Montis Rivi ab anno 1189 (quo e Domo Vernensi ad eam translatus fuerat) ad annum 1194, quo in Prioratu defunctus est, die 28 Junii. Et ante eum, quidam Bertrandus per viginti quatuor annos eamdem Domum Montis Rivi rexerat. Unde satis recte conjicimus Guillelmum de Benevento, si quando Cartusiensem vitam professus fuerit, nunquam tamen Priorem ibidem extitisse, ut habent Sammarthani. Qui præterea dicunt eumdem Archiepiscopum anno 1200 adfuisse coronationi Ottonis imperatoris, atque obiisse septimo Calendas Junii incerto anno ; idque constare ex variis Calendariis Cartusianorum, quæ nos nondum vidimus.

Circa idem tempus, apud Matrem Cartusiam decessit quidam Episcopus nomine Hugo, cujus obitus in veteri Cartusiæ calendario designatur ad 8 calendas Decembris, eisdem charactere et atramento quibus Bovonis supradicti nomen exaratur ; unde conjicimus hunc præsulem circa eadem tempora obiisse, sed cui præfuerit Ecclesiæ non habetur.

JESU CHRISTI

ANNUS 1202.

Innocentii PP. III Ann. 5.	Ord. Cartus. Ann. 119.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 23.

INNOCENTIUS III PRIVILEGIA ORDINI CONCEDIT.

I. SEQUITUR Christi annus secundus post millesimum ducentesimum, quintæ Indictionis, quo piissimus ac vigilantissimus Pontifex Innocentius de Ordine Cartusiensi mirum in modum sollicitus, gratiæ ac favoris sui in eum cœpit stillare dulcedinem, datis Literis quibus personas et bona Ordinis sub Apostolica protectione suscipit et terminos confirmat, intra quos prohibet ne quis delinquat. Item quod possimus tam clericos quam laicos ad Ordinem venientes recipere; nec ullus ex Ordine nostro ad alium transeat sine Literis Prioris. Item quod non tenemur ad solutionem decimarum. Alias denique gratias et privilegia, a prædecessoribus suis Alexandro et Lucio concessa, renovat et confirmat. Bulla hujus privilegii extat in Antiquis Statutis, estque fere similis tenoris cum bulla Cœlestini Tertii de qua ante annos decem diximus. Data est Laterani Nonis Decembris hujus anni, pontificatus illius anno quinto.

V. an. 1192.

STEPHANUS PRIOR PORTARUM IN EPISCOPUM DIENSEM ELIGITUR.

II. Per idem tempus, Stephanus Prior Domus Portarum eligitur in episcopum Diensem, cujus electionis seriem accipe ex Actis Vitæ illius, prout sequitur post verba quæ anno 1196 retulimus. « Stephano igitur in dicta Domo cum sibi subditis tam salubriter anagogicis studiis philosophante, ille qui de tenebris lumen splendescere facit, eum de latebris educens, super candelabrum, ut luceret omnibus qui in Ecclesia Dei erant, studuit collocare. Contigit enim Ecclesiam Diensem

morte sui Præsulis pastore privari, ac pro electione successoris collegium dictæ Ecclesiæ congregari. In variis votis Canonici disperguntur : et nunc istum, nunc illum unusquisque pro suæ voluntatis arbitrio consulit eligendum. Aderant aliqui ex dictis Canonicis moderatiores sed tamen pauci, qui magnum illum anachoritam Stephanum consulunt eligendum. Ejus sanctitas commendatur, ejus discretio et affabilitas laudatur, ipsiusque religio attollitur in immensum. Quid multis immoremur? Omnes assentiunt, omnes gaudent; ipsi etiam quorum cor in alios eligendos dependebat. Itaque quem in hoc ipsum Dominus elegerat ab æterno, ab hominibus eligitur tempore divinitus præfinito. Sed quia hunc non sine magna vi ab eremo avelli posse sciebant, ad Summum Pontificem pro confirmatione properare studuerunt, ipso interim in eremo sua latente et quid de se ab aliis ageretur penitus ignorante. Qui cum eorum electionem audisset, gavisus est in immensum, asserens illos de tali Pastore felices fore, et hoc a Deo consilium processisse. Ejus enim vitæ sanctitas jam ubique volitabat, et ad aures usque Summi Pontificis pervenerat ut videtur. Statimque, absque mora, dicta electio autoritate Apostolica confirmatur ; ac eadem autoritate prædicto anachoritæ Stephano præcipitur atque mandatur quatenus Ecclesiæ Diensis, ad quam Domino disponente fuerat assumptus, suscipere regimen nulla occasione differret. Tunc dictæ Ecclesiæ Canonici adsunt; litteras Apostolicæ confirmationis ostendunt ; ipsum ex persona totius Ecclesiæ Diensis rogant ut electioni de se factæ assensum præbere velit. Litteris vero Apostolicis perlectis et Canonicorum verbis auditis, eos in hunc modum affatur :

ANNUS 1202

A Papa confirmatur.

« Miror quod viri sapientes hominem idiotam et incultum, eremique incolam et sæcularibus factis penitus ignarum et inexpertum, tanti oneris sarcina opprimere velitis. Cessate omnino, cessate ; quia minime in hoc facto vestrum intentum poteritis obtinere. Illis e contrario instantibus rogantibusque et postulantibus ut suo assensu eos consolari velit; tandem verbis beati Hugonis, episcopi Lincolniensis ac quondam

Sanctus vir electioni consentire recusat.

ANNUS 1202

Cartusiensis Ordinis, sic eos creditur allocutus. Præcesserat enim dictus beatus Hugo fere per duos annos de morte ad vitam, multis miraculorum signis refulgens. Sciatis hoc, inquit, indubitanter sciatis quia vestri laboris meta in meo non est arbitrio constituta. Monachum me nostis et sub aliena potestate constitutum, Prioris Cartusiæ nutibus subjectum, servandæ obedientiæ usque ad mortem præcepto illius me substratum. Nec admittit ratio ut, Domus hujus custodia neglecta, alteram Ecclesiam suscipiam gubernandam. Hoc illi responso accepto, cum verbum illius cernerent immutari non posse, cum aliis Litteris Apostolicis super hoc impetratis, de mandato Priori Cartusiæ facto ad ipsum compellendum, Cartusiam accedunt. Quo beatus Stephanus comperto, cum videret se a tali onere subeundo subterfugere non valere, fugæ præsidium iniit. Assidua enim contemplatione Deo inhærens, nullo modo eidem videbatur a tali convivio separari debere. Litteris vero Apostolicis Domno Jancelino Priori Cartusiæ præsentatis, statim, ut homo magnæ circumspectionis et virtutis, mandatum apostolicum studuit adimplere. Quæsito vero Stephano diligenter ac reperto, a dicto Priore monitis, precibus et præcepto tandem cogitur electioni consentire. »

Post fugam repertus, obedire a superiore cogitur.

La Vie de S. Est. pag. 48. edita an. 1688. Gratianop.

In ejus Vita, a V.Cl.L de Gilbert e latino veteris codicis in gallicum versa et ante paucos annos typis excusa, Summus Pontifex dicitur per suam bullam Jancelino in mandatis dedisse, ut ipsemet in Portarum cartusiam se conferens, Stephanum ad consentiendum electioni cogeret : quod et Jancelinus statim præstans, eum sua cura repertum electoribus tradidit. « Deductus vero (inquiunt Acta) a Canonicis prædictis cum magno gaudio et honore ad civitatem Viennæ, ibidem a tribus Archiepiscopis et plurimis Episcopis est solemniter consecratus, anno gratiæ millesimo ducentesimo octavo. » Hactenus Acta.

Tempus electionis illius discutitur.

Cum jam meminerimus supra, hujus Vitæ autorem eam descripsisse annis tantum quinquaginta, vel sexaginta sive etiam tardius, post mortem beati Viri, hinc non mirum si

allucinatus fuerit in anno electionis ejus, scribens eum fuisse electum anno 1208, nisi potius hujusmodi error cuidam sit amanuensi tribuendus. Quod certe vero similius est, quando ipse autor paulo superius (ut vidimus) dixerat S. Hugonem Lincolniensem e vivis migrasse, duobus ante annis quam Stephanus in episcopum assumeretur. At constat S. Hugonem mortuum esse anno 1200. Unde necessario assignandum fuit tempus electionis B. Stephani hoc præsenti anno. Idem etiam probabitur ex iis quæ anno 1208 dicemus de illius obitu. Sed Acta prosequamur.

ANNUS 1202

FACTUS EPISCOPUS EXERCITIA MONACHI NON INTERMITTIT.

III. « Redditus vero Sponsæ suæ novæ, Ecclesiæ Diensi, ac cum magna solemnitate et gaudio in episcopali sede incathedratus, observantias regulares morumque gravitates et virtutum constantiam nec non et cætera suæ Religionis exercitia nullatenus prætermisit ; quin immo uberius augere curavit. Solius quippe donantis et accipientis est nosse, quantum ab ipso mox tempore prævenerit eum Dominus dulcedinis suæ, quantum repleverit eum gratia electionis, quomodo ab ubertate Domus suæ inebriaverit illum. Ingressus mox ad regimen Sponsæ suæ, divinum Officium non in capella sua seu loco secreto, sed in majori ecclesia cum Canonicis suis devotissime frequentabat. Omni etiam fere die salutarem Deo hostiam offerens, nimia devotione perunctus, lacrymarum abundantia implebatur. Mirabantur omnes, contra usum humanæ felicitatis, hominem ex humili eremo ad summa repente provectum, plus humilitate quam dignitate, plus devotione quam dominatione crevisse. Ipse vero de se nil tale æstimans vel cogitans, potius ad custodiam cordis sui et propositi constantiam melioris, hoc semper in corde versabatur. Stephane, Stephane, ad quid venisti ? vide et diligenter attende qualem sis de conjunctione tam nobilis Sponsæ Deo rationem redditurus, si eam honore condigno et sollicita cum diligentia non fueris amplexatus. Et sicut de Domino legitur cœpit facere et docere, a prima die desponsationis suæ illa cœpit agere in semetipso, quæ alios erat docturus.

ANNUS 1202

Concionibus frequenter vacat.

« Dum vero prædicando, exhortando, visitando, cœpisset pro officio suo agere ac totius populi zelare salutem, reperit homo gentem miseram et cæcam horrenda consuetudine Dominicam diem nullatenus honorare, sed potius ipsam contra inhibitionem divinam diabolo dedicare. Nam nundinæ seu mercata, tabernæ, choreæ, lusus, luxus et alia spectacula nociva, solum illa die erant celebrari consueta. Tunc Vir Dei sermonem ad populum exorsus verbis mellifluis, enormitatem peccati apertissimis rationibus cœpit ostendere, ac divinam offensam et contemptum. Sed gens bestialis et cæca non solum ejus sermonem non recipiebat, quin potius verba ejus audire contemnens, fugiebat. Dolens vero servus Dei eos sic protervos ad mores, sic ferales ad ritus, sic ad fidem impios, ad vitam spurcos, ad disciplinam existere cervicosos, fortius censuit decertandum. Agnoscensque se non mercenarium sed pastorem, elegit opportune importune prædicationi instare, ut si quando resipiscerent a diaboli laqueis a quibus captivi tenebantur. Sed aures eorum surdas sermo divinus minime penetrabat.

A populis male moratis irridetur.

Dæmonibus illius jussu apparentibus et terrentibus, eos ad emendationem revocat.

« Contristatus vero vir Dei vehementer, apostolicum virum imitans ac sui apostolatus signa evidenter demonstrans, præcepit dæmonibus qui eos ad prædicta scelera incitabant, et quorum voluntates sequebantur, quatenus eisdem se palam sine aliqua eorum læsione demonstrarent. Nec mora, dæmones ejus præcepto statim paruerunt quem homines cervicosi indurati contemnebant. Videre erat horribile et admirandum, dæmones proceræ et horrendæ staturæ, nigros, cornutos, fœtorem et igneam flammam emittentes, ad ejus imperium stare et apparere cunctis et ad ejus recedere mandatum, neminemque lædere posse. Quo viso, populus cæcus oculos aperire cœpit, vitam et mores in melius commutando. Sed quid mirum si tam mira est operatus sic mirabilis ipse; immo vero non ipse, sed Deus in ipso. Alioquin, tu es Deus, inquit, qui facis mirabilia.

Psal. 76. 15.

IN SOLITUDINEM SÆPIUS SECEDIT.

IV. « Ad eremum vero suam Portarum de qua assumptus fuerat, pro recreatione spirituali sæpius remeabat, juxta

morem aliorum solus in cella manens et residens, ibidem orationi et contemplationi non mediocriter intendens, ibique non Episcopi majestatem sed humilis monachi subjectionem exhibebat. Vestimenta et lectisternia more Cartusiensium habebat, cilicio semper indutus ad nudum. Annulo episcopali excepto, ab eorum consuetudine in nullo penitus discrepabat. Religiosa et loca sibi domestica frequentius visitabat, ubi Fratribus convocatis, melliflua Dei verba ad eorum instructionem proponebat, ac ab eis recedens eorum suffragia orationum humiliter deposcebat.

ANNUS 1202

Ejus charitas erga peccatores.

« Quantum vero super peccatores misericors extiterit et pius, hoc uno exemplo, cæteris prætermissis, sufficiat declarari. Quidam ex ovibus sibi commissis ægrotans, diabolo ipso possidente, vultu, voce aliisque signis se desperatum ostendens ac sua peccata confiteri recusans, a nullo verbum Dei audire volebat. Audito hoc vir Dei, misero condolens ad eum accessit, eum ad confessionem hortatur, misericordiamque Dei et indulgentiam pollicetur. Sed diabolo resistente, cor ejus minime poterat emolliri. Vidensque aliis armaturis utendum, ad solitam orationem cum lacrymis se convertit. Et ecce infirmus dæmonio purgatus, ad Virum Dei se convertens peccata sua plenarie confitetur, absolutionem promeretur, sacram postulat Unctionem et Viaticum recipit, statimque spiritum exhalat. O oliva fructifera in domo Dei ! o oleum jucunditatis ungens et lucens ! qui virtute orationis expulit diabolum, et suavitate beneficii unxit infirmum, cui mox morituro salubriter confitendi ac communicandi obtinuit facultatem.

INFIRMUM SANAT.

Tempestatem sedat.

V. « Quemdam etiam ægrotum diuturna tabe languentem, manu palpando statim integræ reddidit sanitati. Cum maxima tempestas grandinum esset exorta, ita ut patria periclitari videretur, signum crucis contra ipsam emittens, statim ipsam effugavit. Quædam mulier diœcesis suæ, ut videtur, meritis suis forte exigentibus a diabolo suffocata, subito spiritum exhalavit. Intimatur hoc Viro Dei, qui forte illis in locis existens non longe aberat. Compatiens autem miseræ mu-

ANNUS 1202

Mulierem a diabolo suffocatam liberat.

lieri sic defunctæ, accessit ad locum ubi erat. Adsunt multi et narrant casum mulieris repentinum ; condolent omnes, suffragium petunt ab ipso. Tunc ecce pietate nimia commotus, in lacrymas maximas erumpit, orationem pro ea fundit, misericordiam a Deo postulat. Post modicum autem quasi e gravi somno evigilans surrexit, misericordiam Dei super se factam meritis ipsius Viri Dei enarrat, et in pristinum sensum revertitur, exiliens et exultans, et laudans Deum. Hoc a populo viso, stupore nimio et extasi est repletus.

Ejus pietas erga pauperes

Job. 31. 32.

« Non etiam minus misericors erga vivos quam defunctos noscitur extitisse. Quis enim in pauperes misericors seu afflictos pius magis extitit, et benignus ! foris, beati Job exemplo, peregrinus non mansit. Ostium ejus cum manu liberali patuit indigenti. Nam præter victum moderatum pro se et suis, omnia in eleemosynis erogabat. »

Hactenus Acta S. Stephani de his quæ gessit episcopus. Quomodo vero et quandonam hujus vitæ cursum finierit, dicemus anno 1208.

ENGELBERTUS QUONDAM CABILONENSIS EPISCOPUS MORITUR

VI. Hoc anno, die 13 Februarii, juxta necrologia abbatiæ S. Remigii Remensis et cartusiæ Montis Dei, beato fine quievit Engelbertus Prior Montis Dei, plenus dierum in senectute bona, postquam eamdem Domum bonis plurimis et Fratres suos bene vivendi exemplis ditasset. Utrum vero in Prioratu obierit vel extra non constat. Qualis vero quantusque vir fuerit, ex multis innotescit quæ superioribus annis de eo retulimus, et quæ brevi compendio libet hic repetere. Fuerat olim monachus Ordinis Benedictini, ab Alberto ejusdem Ordinis et postea S. R. E. Cardinali ac tandem Summo Pontifice sub nomine Gregorii VIII semper addictus ; a quo dum multa prospera sperare poterat, relictis omnibus ac curiæ Cardinalis valedicens, ad Cartusienses se contulit. Sed non diu amica fruitus solitudine, ad prioratum Vallis S. Petri eligitur. Quantum vero inde tristitiæ conceperit, colligimus ex epistola Joannis Sarisberiensis ad ipsum. Coactus tamen collum obedientiæ subjicere, omnes solliciti ac vigilantissimi Pastoris partes executus est. At ne intra

privatos parietes solis Fratribus prodesset, quem Deus supra candelabrum Ecclesiæ ponere decreverat, ab Alexandro III Summo Pontifice in collegam Simoni Priori Montis Dei adsciscitur, qui causam S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi tueretur ac cor Henrici regis induratum emolliret. Nec solum in ea legatione Engelbertus beato viro Simoni adjunctus est collega, sed etiam in omnibus aliis quæ præclare gessit idem Simon, semper comitem habuit Engelbertum. Unde cum anno 1170 comes Pertici Rotrodus disposuisset ædificare cartusiam Vallis Dei, petiit a Basilio, Majoris Cartusiæ Priore, quatenus totum negotium Simoni et Engelberto committeret. Similiter Henrico Trecensi comite novæ cartusiæ erectionem meditante, Petrus Cellensis hujus operis actor, totum negotium eisdem demandari ab eodem Priore Cartusiæ obtinuit. Nec solum Joannes Sarisberiensis et Petrus Cellensis, sed et S. Thomas Cantuariensis, Richardus præfati Joannis frater, Rodulphus decanus Remensis, et Gerardus Puella ejusdem S. Thomæ alumni, et omnes hujus temporis viri pii et docti, nostrum Engelbertum colebant. Unde non mirum si Albertus cardinalis ejus quondam magister, a quo tanquam filius amabatur (ut asserit Petrus Cellensis), eum licet invitum, in episcopum Cabilonensem promoveri curavit. Transactis aliquot annis in episcopatu, apud Montem Dei se recepit, ubi paulo post, defuncto Simone, regimen ejusdem Domus subire cogitur. De doctrina ejus, quamvis nulla modo nobis supersint monumenta, constat tamen eum scripsisse sermones aliquot in dominicos et festivos dies totius anni, quorum autographus codex a paucis annis periit.

ANNUS 1202

ITEM GUILLELMUS REMENSIS ARCHIEPISC. FAUTOR CARTUSIENSIUM.

VII. Post Engelbertum, hoc ipso anno, septimo Idus Octobris, decessit Guillelmus archiepiscopus Remensis et S. R. E. cardinalis, Henrici comitis Campaniæ, quem vidimus aliquando tentasse fundationem unius cartusiæ, et Stephani Sacri Cæsaris domini postea Cartusiensis, frater. Hic primum factus fuerat episcopus Carnotensis, deinde Senonensis Metropolitanus, ac tandem Remensis. Erga nostrum Ordinem

ANNUS 1202

semper benevolus extitit; nam Domus Vallis Dei ejus consilio et auxilio fundata est. Quam ob rem Petrus Cellensis ad eum scribens, locum Vallis Dei « opus manuum ejus » vocat. Et in necrologio ejusdem Domus : « Pro Frogerio Sagiensi episcopo, qui fundationem confirmavit, et pro domino Guillelmo Senonensi archiepiscopo, qui dictam Domum valde promovit et cujus auxilio fuit fundata, et pro aliis, dicitur in quotidiana Missa Fundatorum tertia oratio : *Deus qui inter Apostolicos, etc.* » Aliquas etiam pecunias expendisse in novæ Domus fabricam testatur idem Petrus Cellensis, sic eum ad pergendum adhortans : « Non pigeat vos cœpisse expendere in usus pauperum (Cartusiensium) aliquid de substantia vestra, quia vos recepturi sunt in æterna tabernacula. » Suam quoque benevolentiam in Montem Dei, ad quem sæpissime divertebat, testatam reliquit, concessis diversis diplomatibus quibus fundationem confirmavit, donationes varias approbavit, ac multas sedavit controversias contra monachos a vicinis excitatas de quibus egimus annis superioribus, et id quidem maxime ob singularem, qua Engelbertum prosequebatur dilectionem.

ITEMQUE JOANNES EX ABBATE ABUNDANTIÆ MONACHUS ARVERIÆ.

VIII. Eodem etiam tempore dicitur floruisse et obiisse venerabilis Pater Joannes, qui dimissa Abundantiæ abbatiali dignitate, ex Canonico Regulari factus est pauper Cartusiensis et discipulus S. Artholdi in cartusia Arveriæ, ibique relicta sanctitatis opinione decessit. De eo *Indiculus Virorum illustrium Ordinis* sic habet : « Joannes ex abbate Abundantiæ Cartusiensis Arveriæ, discipulus S. Artholdi, integritate vitæ et singulari præcellens charitate, obiit anno 1202. » Sed nihil de eo in antiquis monumentis reperitur.

JESU CHRISTI

ANNUS 1203.

Innocentii PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 6.	Ann. 120.	Ann. 24.

I. ANNUS Christi millesimus ducentesimus tertius, Indictione sexta, exoritur nobis solum spectabilis ex fundatione unius cartusiæ in provincia Provinciæ. Hæc est Domus B. Mariæ Vallis Bonæ, alias Bondillonet, sita in Gallia Narbonensi et diœcesi Uceticensi, a civitate Pontis S. Spiritus duabus leucis ad occidentem vergens. Ibi fuit olim monasterium monialium Ordinis S. Benedicti vocatum Nostra Domina de Bondilhonet, de quo nihil modo superest nisi ruinæ cum quodam satis eleganti sacello sub vocabulo S. Joannis Baptistæ. Hanc ecclesiam cum omnibus illius pertinentiis, appenditiis et juribus, Ordini nostro tanquam loci justus Antistes concessit et incorporavit hoc anno Guillelmus de Venejan, Uceticensis episcopus; possessionem loci nomine Ordinis ineunte Imberto Sylvæ Benedictæ Priore, translationem vero sive unionem approbantibus Bernardo præposito Uceticensi cum Capitulo ejusdem Ecclesiæ, et Gancelino abbate totoque Anianensi Conventu. Cuncta etiam Innocentins Papa confirmavit data bulla Laterani, Kalendis Aprilis, anno sui Pontificatus undecimo. Raymundus Bernard et Ponsa uxor ejus solum et planitiem dederunt, ubi amicorum expensis constructa fuerunt claustra et cellæ. In eodem quoque solo ædificatum est templum, ex bonis ab Amico oppidi Nemausi notario, anno 1219, 5 Calendas Octobris, testamento legatis. Sicque nullus merito

CARTUSIA VALLIS BONÆ FUNDATUR.

Alfaura de Orig. Domor. Ord. Cartus. num. 32.

Ex archiv. ejusd. dom.

Plures habuit fundatores.

ANNUS 1203

nomen fundatoris sibi soli arrogare potuit, cum tot personæ ad perficiendum totum opus simul operam contulerint suam.

Quidam benefactores.

Ex testamento Jac. Reg. Arrag.

Annis post fundationem septuaginta, Jacobus Magnus Aragoniæ rex ac Montis Pessulani dominus, suo testamento an. 1272 condito, ad clausuram faciendam legavit duo mille morabatinos. Successores quoque illius in hac patria, sive Comites et Duces ac præcipue Reges Franciæ, tot beneficiis ac privilegiis hanc Domum auxerunt, ut reipsa regia fundatio dici mereatur. Cæterorum illius benefactorum notitiam habere non potuimus, quibusdam exceptis quorum nomina in Chartis capitularibus describuntur, suntque hi : Nicolaus[a] Uticensis episcopus, magnus benefactor appellatur in Charta ubi denunciatur mortuus die 3 Octobris. Idem titulus tribuitur Joanni Gracioti[b], Petro de Rebusti[c], et Arduino Caratier[d]. Sub regimine Antonii Chamard Prioris, magnam ab Hæreticis cladem hæc Domus passa est, sicut et cæteræ hujus provinciæ, de quibus suis locis singulatim dicemus.

[a] Ex ch. 1504.
[b] Ex ch. 1492.
[c] Ex ch. 1496.
[d] Ex ch. 1547.

JOAN. EPISC. GRATIANOPOL. DOM. ALLION. VISITAT.

Ex Cartul. dom. Allion.

II. Eodem anno vel sequenti, Johannes episcopus Gratianopolitanus, cartusiæ Repausatorii quondam alumnus, ad Domum Allionensem monachorum salutandorum gratia se conferens, unum ibidem fundavit Anniversarium, voluitque professus ejusdem Domus haberi, scripto utrinque tali Instrumento : « Johannes, Gratianop. episcopus, licet indignus, notum facio, quod in religiosa Domo Ordinis Cartusiæ, nomine Allio, visitaturus Fratres ibidem in servitio Dei honeste commorantes deveni : sane religione loci commotus, venerabili Bonohomini Priori et cæteris Fratribus humiliter supplicavi, ut quidquid pro professo faciunt, pro me in obitu meo et post, annuatim similiter facerent. Qui petitioni factæ annuentes, quod Anniversarium meum semper ibidem facerent, unanimiter concesserunt. Ad hoc caritate illorum considerata, dedi modium vini meri de quo in die Anniversarii mei Domus tota procuretur. Et ut dicta donatio firma teneatur, præsentem cartulam sigilli mei autentico ac Sancti Vincentii præmuniri feci. Nec prætermittendum volo quod

Guigo decanus et Capitulum Canonicorum Gratianopol. laudaverunt. Factum anno ab Incarnatione MCCIII, Epacta VI, Indictione VII. »

ANNUS 1203

Ejus obitus legitur in calendario ad III Nonas Januarii, et dicitur dedisse L libras.

COMES SABAUDIÆ TOTI ORDINI DAT PRIVILEGIUM.

III. Per id tempus, Thomas Sabaudiæ comes, satis singulare nobis contulit privilegium, quo cunctis personis nostri Instituti tum Monachis tum Conversis quoscumque homines, sive amici illius fuerint sive inimici, ad Domos nostras libere conducendi et reducendi dat potestatem; scriptis et ad Capitulum generale per Priores Portarum, Arveriæ et Alionis missis sequentibus literis :

Ex Cartul. 2. Portar. fol. 206.

« Thomas, illustris Maurienn. comes et marchio in Italia. Universis Prioribus Cartusiensis Ordinis apud Cartusiam in generali Capitulo congregatis, salutem et obsequium. Cupientes utilitati, quieti et paci totius Ordinis vestri propensius et studiosius providere, universos tam amicos quam inimicos nostros, quos Fratres vestri seu Monachi seu Conversi ad quamlibet Domum Ordinis vestri cujuscumque rei gratia duxerint adducendos, in firmo et securo conductu et guiagio nostro tam de amicis nostris quam de inimicis bona fide recipimus; firmiter Religioni vestræ promittentes quod quidquid damni vel injuriæ in eundo vel redeundo eis illatum fuerit, totis viribus requiremus et plene emendari vel restitui faciemus. Hujus rei testes sunt B. Bellicensis episcopus, H. Prior Bellicensis, S. Prior Portarum, G. Prior Alveriæ, B. Prior Alionis, N. Prior Aquæbellæ, Guigo de Teis, B. de Chabur, P. de Masino, H. de la Rocheta, W. Lambertus, et multi alii qui huic nostræ promissioni a nobis perpetuo observandæ interfuerunt. »

Ex nominibus Priorum Cartusiensium in his literis designatorum, conjicio eas datas fuisse ante annum 1205.

GUILLELMUS CONVERSUS CASULAR. FLORET SANCTITATE.

IV. Circa eadem tempora, in Domo Casularum provinciæ Lombardiæ, omni sanctitate fulgebat F. Guillelmus ejusdem cartusiæ Conversus, cui cognomen de Fenoliis quidam recentiores tribuunt. Hunc noster Dorlandus « virum beatissi-

ANNUS 1203

Dorl. lib. 5. cap. 2.

mum appellat, doctrina quidem ac scientia simplicem, sed vita spirituali moribusque doctissimum ; eumque ferunt innumeris claruisse miraculis in vita et post mortem. Hic vir Beatus, pergit idem autor, solitus erat magna sæpe pietate affici ad Christum Dominum nostrum crucis ligno affixum. Unde quodam die, cum infusus lacrymis staret ante imaginem Crucifixi, et tanquam cum Deo præsente et patiente dulci murmure mussitaret, Christus ostendere illi volens paratam sibi esse hanc pietatis industriam, de cruce cœpit Willelmum benignissime alloqui, et cor ejus immensa dulcedine consolari, ac sese in viscera animæ ejus trajiciens, spiritum Sancti sui secum plenissime crucifixit. Hinc factum est, ut totus ille Christo immersus, nunquam posset, nisi cum maximo fletu, crucifixi Salvatoris reminisci. »

Vitam olim duxerat ereniticam.

Vitam eremiticam, in loco a cartusia Casularum non longe semoto, prius Guillelmus egerat quam nostrum Institutum amplecteretur. Verum cum a quadam meretrice diu ad flagitium importunius instigaretur, ad Cartusiense monasterium tanquam ad portum tutiorem se recepit, factus ibi Conversus. Tot ac tanta tamque stupenda ab eo, dum adhuc vivebat, patrata fuere miracula, ut ab omnibus jam Sanctus pronunciaretur. Quæ vero illius mortem secuta sunt, Casularum cartusiam adeo apud populos commendavere, ut a plerisque, paucis post annis, non alio quam sancti Guillelmi nomine designari cœperit. Id testantur multa donationum, locationum, commutationum et aliorum hujusmodi actuum Instrumenta ab anno 1233 et deinceps, in quibus prædicta Domus *Monasterium S. Guillelmi* inscribitur. Unum ex his vidimus, anno 1418 datum, cujus initium tale est : « Noverit præsentium ætas posteritasque futura, quod in pleno et generali Capitulo ecclesiæ monasterii et conventus B. Mariæ Virginis *sanctique Guillelmi* Casotuli sive Casularum Garrexii, Cartusiensis Ordinis, etc. » Sunt etiam immunitates quædam a viris proceribus concessæ, ubi *sancti Guillelmi* nomen pia commemoratione honoratur. Et Pius V, Summus Pontifex, bulla Romæ signata nono Calendas

Ex archiviis Cart. Casul.

Vivens claret miraculis.

Inde sanctus habetur post mortem.

Martii an. 1568 pro translatione ejusdem cartusiæ ad locum Consoverii, passim repetit ecclesiam illam conditam sub invocatione SS. Mariæ et Guillelmi. Fons defluit uno tantum milliari a præfata nostra Domo dissitus, juxta quem vitam prius anachoreticam, ut diximus, ille transegerat; qui propterea etiamnum *fons B. Guillelmi* nuncupatur. Extant præterea diversis in templis istius regionis, plures pictæ imagines nostrum Conversum radiis gloriæ more Sanctorum redimitum exprimentes, quarum ex adverso variæ dependent membrorum figuræ, in signum et gratiam sanationum a Deo per merita B. Guillelmi fidelibus collatarum. Horum faciunt fidem plura, anno 1616, ad Majorem Cartusiam a nostris Casulensibus Patribus transmissa testimonia scriptis consignata, quæ ideo hic subjicienda censemus.

ANNUS 1203

Morot. Theat. chronol. Ord. Cartus part. 5.

Cum radiis depingitur.

V. Anno 1616, die sexta decima mensis Aprilis, in urbe de Mondovi sita in Campo de Bredulo, coram Carolo Cantaeree et Joanne Antonio Braslema, me etiam præsente Notario infrascripto, Franciscus Contaeree, Joannes Jacobus Gioanetti et Franciscus Amesta, omnes istius regionis incolæ, testantur in præfato campo sacellum extare dictum *de La Lhadera*, ubi Sacrum celebratur; in qua quidem capella ad sinistrum latus, depingitur imago Beati Guillelmi Ordinis R.R. Patrum Cartusianorum insigniti super caput aureo diademate, et in manu dextera gestantis pedem asini*. Quæ pictura admodum antiqua videbatur, circa quam appensæ erant multæ imagines cereæ hominum, qui a Deo beneficia impetraverunt mediante B. Guillelmo, ad cujus patrocinium confugerant in suis necessitatibus. Testantur etiam audivisse ab aliis istius tractus indigenis, præfatum sacellum, picturas, atque in primis effigiem B. Guillelmi elaboratam fuisse tempore quo dira lues in hac urbe grassabatur, centum ab hinc annis. Præterea alius, nomine Thomas Pietre, asseverat se multoties frequentasse hunc Campum de Bredulo pariterque planitiem de Bergato, quibus in locis conspexit imaginem B. Guillelmi. Quas picturas ante centum annos ab eodem artifice delineatas fuisse putat. De quibus ego in-

ILLIUS SANCTITATIS TESTIMONIA.

Ejus imago in templis appensa.

* Vide Dorlandum loco superius citato.

Ut sanctus invocatur.

ANNUS 1203

Quidam infirmus curatur.

frascriptus Notarius hæc testimonia collegi, coram præfatis testibus; in quorum fidem præsentem actum manu mea signatum tradidi. Præterea prædictus. . . . . affirmat accepisse a domina Catharina, ex familia Joannis Antonii, quod cum maritus suus periculosissime ægrotaret, eum obnixe B. Guillelmo recommendaverit, quatenus viri sui sanitatem a Deo expostulare dignaretur; et aliquando vovit novendialem precationem ad foras grangiæ quæ pertinebat ad Cartusianos, in qua villula depicta erat imago B. Guillelmi. Sanitate recuperata, ambo reddiderunt vota quæ distinxerant labia Catharinæ. Testificatum ut supra. Sic subscriptum: Nicolaus Nicolaco. » Huic altera subjungebatur attestatio his verbis:

« Nos Bartholomæus Grassus I. V. D., canonicus et archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis ac vicarius ecclesiasticus generalis in Curia Episcopali Montis Regalis, universis ac singulis præsentes nostras litteras inspecturis, notum facimus atque manifestum, suprascriptum nobilem Nicolaum Nicolaco, qui literas testimoniales recepit eisque se subscripsit, fuisse et esse Notarium publicum, legalem et authenticum præsentis civitatis, ad quem pro recipiendis scripturis publicis publice habetur recursus, eisque etc., ut supra, per eum debite subscriptis adhibetur plena et indubitata fides in judicio et extra. In quorum fidem has, manu nostra firmatas, per secretarium Curiæ præfatæ subscriptas sigillique ejusdem Curiæ impressione munitas, fieri jussimus. Datas in Monte Regali, die decima nona mensis Aprilis 1616. Sic subscriptum, Bartholomæus archidiaconus et vicarius generalis. Et inferius, le Moglioni. »

Alia attestatio.

POPULI CONCURSUS AD ILLIUS IMAGINEM.

VI. « Nos qui præsentes litteras subscripsimus, attestamur et fidem facimus, quod intra terminos de Mondovi sacellum est divo Jacobo dicatum in quo multorum Sanctorum imagines depictæ sunt, atque in primis S. Guillelmi effigies ad

latus sinistrum in pariete sacelli conspicitur, qui quidem albo Conversorum Cartusianorum habitu indutus, ætate provectus, cum prolixa barba et diademate coronatus apparet, in dextera manu tenens asini pedem, et in sinistra coronam, cinctus ense in vagina concluso. In qua capella fit frequens populi concursus, singulisque diebus festis ibi Sacrum peragitur. Ad latus dextrum istius imaginis, depicta est S. Catharina, et ad sinistrum S... multique alii Sancti repræsentantur; et supra memorata certificantes, perspeximus quod hæ omnes picturæ perantiquæ essent. Hoc patet quia in imagine S. Guillelmi hæc leguntur : « 1408, die 18 Maii. » De quibus fidem facturus hodie, ego Notarius infrascriptus, locum hunc lustravi et multoties alias adii una cum Domino et R. Petro Martino parocho et domino Christophoro Bongioanni, qui supra memorata affirmarunt et subscripserunt; et ego pariter Joannes Bongioanni, Notarius præfatus, et manu mea testimonium perhibui. Datum Villænovæ, prope urbem de Mondovi, anno 1616, 11 Aprilis. Sic subsignatum: Bongioanni; Jo. Pietro Martino curato, *come sopra;* Jo. Christophoro Bongioanni *atesto quanto sopra.*

« Anno et die supra dictis, in eodem Villænovæ loco, via dicta Porta S. Catharinæ, in pariete unius domus ubi (prout omnes testantur) olim sodalitas celebrabatur, extat imago a capite usque ad pedes repræsentans S. Guillelmum eodem modo quo supra depictum, et in istius vici custodia collocatum; ad cujus dextrum latus Beatissima Virgo Maria et S. Lucia conspiciuntur, quod quidem vetustissimum apparet, et ante has effigies sæpissime lampades ardentes appenduntur. De quibus ego Notarius cum aliis fidem facio, cum hæc quotidie possint comprobari, subscripsi sicut in præcedente attestatione, data ut supra ; Bongioanni, J. Petrus Martinus curatus, ut supra; Jo. Christophoro Bongioanni testor ut supra.

« Nos Bartholomæus Grassus I. V. D., canonicus ac archidiaconus Ecclesiæ Cathedralis, vicarius ecclesiasticus generalis in Curia Episcopali Montis Regalis, universis et singu-

ANNUS 1203

lis præsentes nostras litteras inspecturis et audituris, fidem indubiam facimus et attestamur, suprascriptum egregium Jacobum Bonum Joannem, qui supra scriptas attestationes recepit eisque se subscripsit, fuisse et esse Notarium Villænovæ, mandamenti præsentis Civitatis, publicum, legalem et authenticum, ad quem pro recipiendis scripturis publicis publice habetur recursus, eisque sic ut supra per eum subscriptis adhibetur plena et indubitata fides in Judicio et extra : in quorum fidem has manu nostra firmatas, per secretarium Curiæ præfatæ subscriptas sigilloque ejusdem Curiæ munitas, fieri jussimus ; datas in Monte Regali, die 19 mensis Aprilis 1616. Sic subscriptum : Bartholom. archidiac. et vicarius generalis. Et infra, de Moglioni. »

Alia attestatio.

PERANTIQUA IMAGO IN LOCO DE LA TORRE.

« VII. Anno 1616, 5 Aprilis, in loco de la Torre ex marchionatu Cevæ in diœcesi Astensi ; sciant universi quod coram me Notario subscripto comparuerunt Consules et Consiliarii istius urbis, Matthæus Stralle consul, dominus Joannes Torello, Dominus Antonius Daciano, Petrus Ansaldo, Antonius Dario, Bartholomæus Bernardus, dominus Jacobus Banaschino, dominus Antonius Torello et Michael Ansaldo, hi omnes Consiliarii ad pulsum campanæ cum judiciariæ potestatis licentia convocati, ut ad supplicationem RR. Patrum Cartusianorum monasterii Casularum, testimonium perhiberent de his quæ legerunt : postquam unanimiter scripturas tetigerunt in manibus meis ad veritatem affirmandam, dixerunt verissimum esse, quod in ecclesia parochiæ istius loci, supra templi januam foras in ipso introitu ad dextrum latus, imaginem esse perantiquam B. Guillelmi vestimentis Cartusiensibus induti, subjeceruntque se semper audivisse a majoribus suis, hunc beatum Fratrem fuisse ex Ordine Cartusianorum monasterii Casoti, et in hoc loco alibique, in magna apud omnes ob sanctimoniam veneratione esse. De

quibus ego Bartholomæus Bosano, Notarius de la Torre, dedi et recepi has attestationes, in præsentia Antonii Davans et Guillelmi Stralla, testium ad id vocatorum. Datum ut supra. Bozani. »

ANNUS 1203

Alia attestatio.

GUILLELMI NOMEN AB OMNIBUS CELEBRATUM.

VIII. « Anno et die ut supra, coram me Notario prænominato, præsentes fuerunt Guillelmus Bozano, Joannes Aschero, dominus Antonius Ansaldo, Joannes Thomas Matthæus, Laurentius Stralla, Baptista Porta, Jacobus Bandracho, dominus Joannes Antonius Aschero, Guillelmus Olivero, Bartholomæus Bagnaschino, omnes incolæ de la Torre ; qui unanimiter testificati sunt verum esse quod in hoc loco, Guillelmi Conversi cartusiæ Casularum nomen multum ab omnibus celebretur, cujus imago vetustissima depicta conspicitur in ecclesia parochiali, foras etiam etiam extat supra templi primariam portam. Affirmaruntque accepisse ab antecessoribus suis, quod secundum vulgi opinionem, hic beatus Frater domicilium sibi construxerat in monte qui etiam nunc appellatur Mons Damito, in confiniis istius loci. Superest adhuc parietis tractus, ubi Guillelmus vitam agebat eremiticam, unde discessit pulsus a meretrice, quæ illum pelliciebat ad peccandum ; seseque apud Cartusianos Casularum recipiens, huic Religioni suum dedit nomen. Feruntque postquam præfatum montem Guillelmus deseruisset, singulis annis tempestates in illis confiniis excitari fuisse solitas. Quapropter cives de la Torre in monasterio Casularum beatissimum hunc Fratrem adeuntes, certam lignorum mensuram huic cartusiæ obtulerunt in gratiam sanctitatis et religiosæ conversationis fratris Guillelmi, quatenus tranquillitas fieret ; quod quidem mediantibus sancti Viri precibus impetrarunt.

Qua occasione factus Cartusiensis.

Ejus precibus tempestas sedata.

« Præterea præfatus Guillelmus Bozano speciatim testatus est audivisse a patre suo, quod post mortem Beati Guillelmi (quamvis alibi sepultus fuisset) repertum nihilominus fuisset ipsius corpus in Coreria antiqui monasterii Casularum ; quod

Ejus corpus in correria sepultum.

ANNUS 1203

quidem multoties contigerat, nam sæpe sæpius translatum fuerat in novam cartusiam. Bozani.

« Joannes Marenchus Philosophiæ Doctor, Rector ecclesiæ parochialis loci Furni ac perillustris et R. D. D. Joannis Stephani Agaciæ et Comitis vicarius..... Universis et singulis notum facimus et attestamur, sicuti prædictus nobilis Bartholomæus Bozanus, qui suprascriptas attestationes recepit ac manualiter subscripsit, est et fuit Notarius publicus et legalis, cujus scripturis publicis plena et indubitata fides adhibetur in judicio et extra. In quorum fidem has nostras fieri jussimus, manu nostra firmatas nostroque sigillo munitas, et per Notarium nostrum subscriptas; datas in loco Furni, die 10 Aprilis, anno 1616. Joannes Marenchus, vic. H. Bozani, secretarius.

Alia attestatio.

EPILEPTICUS SANATUR.

IX. Anno 1616, penultima mensis Aprilis, in urbe de la Torre ex marchionatu Cevæ, in loco publico, coram me Laurentio Stralla, Notario istius ditionis, comparuit personaliter Guillelmus Olivero, qui requisitus ad instantiam R. Patris Procuratoris cartusiæ Casularum, interposito juramento, asseverat quod filius suus, dictus Olivero, quatuordecim abhinc annis epileptico morbo laboraret. Quapropter filii sui nomine votum vovit B. Guillelmo istius monasterii patrono, pollicitusque est quod per annum istius cartusiæ famulatui sine stipendiis filium adduceret. Post conceptum votum Olivero semel tantum epilepsi correptus, paulo post omnino convalescens, statim in cartusiam venit votum impleturus, servivitque, uti pater promiserat, per annum integrum. De quibus R. Pater Procurator expetiit ut publicam attestationem redderem. Cui annuens, litteras publicas confeci in præsentia Antonii Galliano et Joannis Negro testium hujus rei gratia convocatorum, qui in harum fidem subscripserunt.

« Anno supra memorato 1616, 2 Aprilis, in loco de la Torre marchionatus Cevæ, coram me præfato Notario astitit Joannes

Olivero qui, ad instantiam supradicti R. Patris Procuratoris, fidem fecit et testatus est quod viginti octo abhinc annis frater suus dictus Guillelmus interdum insaniret. Cujus vices cum ambo illius parentes dolerent, votum nuncuparunt S. Guillelmo per triennium filium suum, testimonium dicentis fratrem, famulatui cartusiæ mancipantes. Mentis plane compos factus venit in monasterium, ut juxta parentum suorum votum Patribus inserviret; cumque per tres menses obsequium suum gratis præstitisset cartusiæ, Prior illi mercedem in posterum tribuere voluit. Hæc supradicta jurejurando, tangens sacrosanctum Evangelium, verissima esse affirmavit. Ad petitionem R. Patris Procuratoris ego Notarius hæc publica instrumenta concessi, præsentibus Baptista Meglino et Jacobo Ansaldo testibus ad id vocatis. Stralla, Notarius.

ANNUS 1203

Insanus mentem recuperat.

« Joannes Marenchus Philosophiæ Doctor, Rector ecclesiæ parochialis loci Furni ac perillustris ac R. D. D. Joannis Stephani Agaciæ episcopi Astensis et comitis vic. for.; universis et singulis notum facimus et attestamur, sicuti prædictus nobilis Laurentius Stralla qui supradictas attestationes percepit ac manualiter subscripsit, est et fuit Notarius publicus et legalis, cujus scripturis publicis plena et indubitata fides adhibetur in judicio et extra. In quorum fidem has nostras fieri jussimus, manu nostra firmatas sigillo nostroque munitas, et per Notarium nostrum subscriptas, datas in loco Furni, die 10 Aprilis, anno Domini 1616. Joannes Marenchus, vic. H. Bozani, secretarius. »

X. Hoc denique anno, Aynardus Viennensis archiepiscopus pacem inter nostros Excubienses et Bonævallenses monachos ordinis Cisterciensis turbatam conciliavit. Extant in tabulario Ecclesiæ Gratianopolitanæ literæ compositionis inter Fratres Bonævallis et Fratres Excubienses, super controversia quæ coram præfato archiepiscopo Aynardo vertebatur circa materiam pascuorum de Cerizino : asserentibus Excubiensibus quod ratione donationis, quam eis fecerant Majores Domini de Turre, pascua ad ipsos de jure pertinebant; e contra, Bonævallensibus affirmantibus quod eadem

EXCUBIENSES CARTUS. CUM BONÆVALLENS. CONCORDIA.

ANNUS 1203

pascua a quibusdam militibus de Dautesieu cum ipsa terra acquisierant. Partibus auditis, Aynardus possessionem pascuorum quietam ac tutam Excubiensibus præstitit, ejus judicio stantibus Bonævallensibus. Testes hujus concordiæ nominantur : Amedeus abbas et R. Prior Bonarum Vallium, Helias Altecumbæ, Algoudus Vallis crescentis et Argoldus S. Theuderii abbates, Burno archidiaconus Viennensis, Burno et Sinfredus domini de Bergoin, Aimarus de Baucio et Rostannus de Elteno milites. Amedeus vero abbas Bonævallensis et Ainardus Prior Excubiarum compositionem sigillo Archiepiscopi muniri rogaverunt. Datum præsenti anno, mense Februario.

JESU CHRISTI

ANNUS 1204.

Innocentii PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 7.	Ann. 121.	Ann. 25.

I. ANNUS sequitur ducentesimus quartus supra millesimum, cum Indictione septima, quo creditur obiisse, anno ætatis suæ centesimo trigesimo, frater Aynardus Conversus professus Cartusiæ Majoris, de quo jam multa præclara recensuimus occasione fundationum Domorum Scalæ Dei, Daniæ et Withamiæ. In hac cum demoratus fuisset per aliquot annos, eamque vidisset ædificiis absolutam, voluit in Cartusiam redire; sed a sancto Hugone tunc Episcopo retentus est pio ac jucundo stratagemate, quod autor Vitæ illius sic enarrat : AYNARDUS CONVERSUS CARTUSIÆ, IN ANGLIA MORITUR.

« Ejus quoque rei gratia, ad eos venire et quantum licuit inter eos manere summopere cupiebat (S. Hugo), quatenus non tantum sumeret ab eis sed etiam impertiretur quidquid posset gratiæ spiritualis. Quod nihilominus Domino cooperante efficaciter adimplebat; nam et fortes exhilarabat, infirmos roborabat, vacillantes stabiliebat, stabiles ad sublimiora promovebat. De quo genere illud ejus opus jucundum fuit, quod circa longius superius memoratum fratrem Aynardum comiter satis et industrie gessit. Qui jam senex admodum, utpote qui ab annis pene centum, in diversas mundi partes instituendis illius Ordinis Domibus a suis Cartusiensibus longe lateque directus, hujus negotii causa pervenerat Withamiam, Cartusiamque redire cupiebat. Videbat enim, opitulante Dei omnipotentis misericordia, jam locum ipsum, tam Vita S. Hugon. ms. lib. 4. c. 13. *Centum annos et amplius vixit in Ordine.*

ANNUS
1204

interius quam exterius, ad perfectionis culmen feliciter enituisse. Disponebat igitur ad suos redire, et cariosa jam membra bustis sanctorum qui eum adolescentem olim educaverant sociare. Verum cum cerneret suam de die in diem variis rationibus illudi intentionem, nec jam ferret eam qua mens sua æstuabat desiderii vehementiam, valedicens Fratribus, tremulos baculo sustentans artus, abire cœpit. At Episcopus solitis in cella sua vacabat exercitiis contemplativæ dulcedinis. Caverat enim senex ille devotus, ne quod moliebatur ei citius innotesceret, a quo se maxime præpediendum multis jam argumentis certissime prænoscebat. Sed non in longum res latere eum poterat. Mox ergo pedibus usque ad interiora vicini nemoris eum insecutus, his illum verbis affatur : Parcat tibi, inquit, omnipotens Deus, frater Aynarde. Quid est enim quod agere decrevisti ? Quid absque alumno tuo recedere, meque solum et destitutum dulcis nutritoris solatio in terra aliena relinquere cogitasti ? Equidem non ignoro quam pio ducaris desiderio, ut supremæ jam vitæ tuæ reliquias inter sanctos Burgundiæ eremitas expendere valeas. Verum me potius ratio urget et voluntas ut hoc ipsum agam. Extracto igitur annulo Pontificali a digito, accersitis ad se Clericis suis, ait eis : Ite quantocyus, et hunc vobiscum annulum deferentes ac salutantes verbis nostris Dominos nostros Lincolnienses, denuntiate illis quatenus alium sibi provideant Pontificem et eligant, ut nobis de cætero liceat amicam fovere solitudinem. Nimis diu est ex quo inter mundanos versor turbines, sanctæ conversationis dulcedini, in qua a puero coalui, vanas et amaras occupationes hujus seculi non recte anteponens. Talia eo prosequente, timere cœpit ac tremere vir ille desideriorum, quem ducebat non dulcedo natalis soli sed fragans amor poli, stetitque stupefactus.

Paulo ante mortem in Cartusiam redire tentat.

A S. Hugone sancta simulatione ab itinere revocatur.

AYNARDI FACILITAS.

II. « Tunc Clericis sub tali infortunio conquerentibus, quod per eum suo forent pastore destituendi, et exaggerantibus vehementer incommodum hujus mali, ille suffusus lacrymis et ingemiscens graviter, pedibus advolvitur Præsulis sancti. Cumque ore facundo atque doctissimo laicus Episcopo nite-

retur tum precibus tum rationibus persuadere, quia non ita sibi liceret divinitus commissas relinquere oves, nec illum hoc modo flecti conspiceret, complectitur genua ejus dicens : Verum quamdiu spiritus hos reget artus, non te permittam gregem tuum relinquere, et plurimorum salute contempta tui ipsius tantummodo curam gerere. Melius mihi est in terra peregrina usque in finem morari et tandem morte finiri, quam autorem fieri tanti dissidii. Redeamus igitur ad solita, ne, dum quærimus quæ nostra sunt, negligere culpemur quæ sunt Jesu Christi. Itaque, quem ab intentione recedendi a loco prius flectere multo tempore nullus prævaluit, prudentia Viri sancti in momento non modo flexit, sed etiam ut eo minime discedente et ipse quoque non discederet cum vehementi instantia ipsum exorare cœpit. Inito itaque vicissim fœdere quod ille Withamiam non desereret, nec iste Lincolniam, redeunt alacres, pariter gaudente utroque quod alter de altero triumphasset. » Hactenus Acta, quæ, sub finem, de ejus morte et ætate hæc pauca habent : « De cujus hodie perenni memoria dignis et gestis et dictis, tanta per totam fere Angliam celebri sermone vulgata sunt, quod hæc ab ore narrantium etiam sine scribentis suffragio, nulla in ævum, ut creditur, auferre prævalebit oblivio. Qui biennio ferme antequam hæc scriberentur, vigesimum sextum, ut dicitur, annorum transgressus lustrum, deficiens in senectute bona migravit ad Dominum. » Hæc ibi.

ANNUS 1204

Facilitas item S. Hugonis.

Ejus memoria per Angliam celebris.

III. Annus obitus illius a nostro Buatio præsens signatur, dies vero sexta Januarii, licet eum tardius obiisse posset quis conjicere ex eodem autore, quem hujus Vitæ scriptioni operam dedisse circa annum 1212 colligimus ex capitulo nono Libri quinti, ubi dicit miraculum erga quemdam furiosum a sancto Hugone, dum ire in Gallias disponeret, patratum fuisse tredecim annis et amplius antequam hæc scriberet. Ex sequentibus vero constat sanctum Episcopum ad Regem Richardum, in Galliis tunc commorantem, transfretasse ineunte anno Domini 1199. Itaque ut tredecim anni a patrato miraculo effluxisse inveniantur, necessario signandus est

ANNUS MORTIS ILLIUS DISQUIRITUR.

ANNUS 1204 annus 1212 vel saltem 1211 ; quo etiam anno præfatus autor in exilio positus fuisse probatur ex capitulo 15 Libri quinti, ubi de Abbate et Priore Clarimarisci, diœcesis Audomaropolitanæ in Artesia, loquens, sic de exilio facit mentionem : « Nos in exilii nostri præsentis excursu ad eos digressos, humane satis recognovere, etc. » Legimus autem apud Matthæum Paris anno 1209 multos ex Clero, ac nominatim Episcopum Lincolniensem, a Joanne Richardi fratre et successore, eo quod gravioris Interdictionis fulmine Summus eum Pontifex perculisset, expulsos fuisse; inter quos hunc nostrum autorem unum fuisse qui suum Episcopum comitaretur, extra dubium esse debet ; nec rediisse nisi anno 1213, post Regis cum Ecclesia reconciliationem. Ex his igitur conjiciet quis fratrem Aynardum tantum obiisse circa annum 1209, quandoquidem « biennio ferme antequam hæc scriberentur, » migrasse ad Dominum perhibetur ab eodem autore. Verum cum alibi dicat hoc opus se aggressum fuisse ad instantiam Roberti Prioris, verisimile est eum illud inchoasse antequam exularet, ac diversis temporibus vacasse scriptioni, quam tantum absolvit in exilio positus ; unde fit incertum quando scripserit quæ de fratre Aynardo narrat. Buatio igitur vetera Monumenta citanti adhærentes, annum præsentem signavimus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1205.

Innocentii PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 8.	Ann. 122.	Ann. 26.

I. ANNO post millesimum ducentesimo quinto, Indictione octava, die vero 13 Februarii, Reverendus vir Nantelmus, sive Nantelinus, cartusiæ Vallonis quondam Prior, tunc vero Genevensis episcopus, e vivis excessit, postquam per annos viginti et amplius eamdem Ecclesiam patientia sua magis quam præsentia decorasset. Cum enim Guillelmum comitem Ecclesiæ jura contemnentem aut inique usurpantem banno Imperii submitti ab Imperatore Friderico obtinuisset, eumque excommunicationis fulmine feriisset, ab eo Sede pulsus, per quindecim annos exul vixit. Interea apud suos Cartusienses in Majori Cartusia sæpius degebat, et quamvis suam urbem ingredi non auderet, diœcesim tamen suam lustrare solitum fuisse verisimile est. Nam eodem tempore Domos nostri Ordinis in ea sitas aliquando frequentasse, et in eis moratus fuisse, probatur ex variis tabulis a se in earum gratiam confectis. Denique anno millesimo ducentesimo, agente S. Hugone Lincolniensi episcopo, qui tunc apud Majorem Cartusiam aderat, Comiti reconciliatus in pace quievit. Sed audiamus autorem Vitæ ejusdem S. Hugonis rem ita enarrantem, quam ad præsentem annum consulto referre distulimus.

NANTELMUS EPISCOPUS GENEVÆ EX MONACHO VALLONIS MORITUR.

Sammarth. in Episc. Gebenn.

Comitem excommunicavit

« Insinuaverat ei (Hugoni) Episcopus Gebennensis, quanto eum Consul suus præjudicio annis jam ter quaternis gravasset. Unde vinculo anathematis ipsum ab olim innodaverat,

A S. Hugone cum eo reconciliatus. Vita ms. lib. 5. c. 14.

ANNUS 1205

ob cujus etiam metum propriam civitatem ingredi non audebat. Nam si nos memoria non fallit, asserebat tria jam effluxisse lustra annorum, ex quo sedem suæ Cathedralis ecclesiæ prohibitus est adire. Tunc fortis ille noster et fidus (Hugo), ut de illo versificus quidam cecinit, *Pastorum baculus,* plurimum consolans et corroborans fratrem afflictum et mœstum, misit quantocyus Priores ex Ordine Cartusiensi, ut Comitem corporis diutino langore maceratum cohortarentur, quatenus Patri suo Episcopo et Ecclesiæ Matri suæ reconciliari festinaret; posuitque verba in ore eorum, id præcipue ei dicendum inculcans ut Patris gratiam flagellantis satageret inquirere, ne morte citius irruente, fieret extorris a filiorum Dei hæreditate. Hos vero ille ad se loquentes aspernanter quidem præsentes audivit; sed postquam recesserunt, obtentu Viri Dei, ut ipse perhibebat, ad se reversus ac medullitus ad vim verborum quæ illi mandaverat compunctus, Ecclesiæ quam læserat satisfecit; sicque absolutus primum a sententia, deinde a carnis sarcina in pace quievit. »

Hæc ibi, ex quibus colligimus præfatum Comitem obiisse ante annum 1212 quo autor hæc scribebat. De eodem Comite plura diximus in Domibus Angionis et Pomerii, quarum fundationes multum promovit.

JOAN. EPISC. GRATIANOPOL. DOMUI ALLION. PACEM CURAT.

II. Hoc etiam anno, Joannes episcopus Gratianopolitanus quosdam Nobiles Domui Allionis vicinos et infensos cum Monachis pariter reconciliavit, scriptis et suo sigillo munitis sequentibus literis.

Ex Cartular. ejusdem Cart.

« Notum fiat.... quod anno M.CC.V., Indict. VIII., Rolandus et Guitfredus, filii Villelmi Maignini militis, de sancto Joanne de Porta, adhuc domicelli, calumniam moverunt adversus Domum Aillonis super medietatem territorii.... quam dominus Pontius de Conflens, vir bonæ memoriæ, diu ante ab eodem Villelmo emerat, et tradiderat Ailloni cum alia medietate comparata a Sylvone Aquilars et Ugone de Chignins, militibus. Sed fratres prælocuti dicentes se natos esse quando venditio facta fuit, nec consensus eorum fuerit requisitus, jacturam Domui intulerunt, licet pater eorum hoc eidem

Domui laudasset, unius carne bovis ab eadem inde recepta. Verum quia injustitia quam videbantur fecisse, placere non debet bonis, super hoc correpti per manus prudentum virorum, scilicet Petri Grassi avunculi eorum et Pontii de Alodiis militum, ac Jacobi de Corvanna cognati eorum, pacem eidem Domui fecerunt plenam, cum patre suo adhuc vivente. Igitur Villelmus et filii ejus dicti, quinto Idus Martii præfati anni, venientes in Domum Aillonis, ut concordantes statuerant, in claustrulo quod respicit ad Aquilonem donaverunt libere... Verum etiam data fide in manu Bonihominis tunc temporis Prioris firmiter pepigerunt.... Sed ut donum eorum gratius esset Deo et animabus suis, parentumque suorum utilius, illico hoc donum ipsi tres in ecclesia super altare reiteraverunt, et, jurejurando præstito, firmiter tenere promiserunt; propter hoc, de bonis Domus XXV solidos bonorum fortium Secusiæ tunc solummodo recipientes. Qui etiam si aliquando prædictas pactiones, tam ab eis quam ab illis qui de eorum stirpe nascerentur, in aliquo unquam contingeret irritari, se et illos cum tota terra sua existente in Gratianopolitana diœcesi, tamdiu maledictioni et anathemati obstrinxerunt, quamdiu plene de nata injuria Domui Aillonis satisfactum non fuerit. Unde præcepto eorum et voluntate fatæ Domus, sigillum venerabilis Joannis Gratianop. episcopi huic chartæ appositum fuit. Testes : Ugo de Chignis, Aimo de Mosteriis, et alii Monachi ejusdem Domus ; Rostagnus de Montarchier, Aimo de Mauriana, Benedictus de Cartossa Conversi, Constans de Chastellaret, et alii laici seculares. Consequenter XVI diebus, videlicet VI Cal. Aprilis, uxor prædicti Villelmi, Bonafœmina nomine, materque dictorum Rolandi et Guitfredi, eisdem præsentibus, super altare ecclesiæ S. Joannis de Porta hoc idem laudans servari promisit, et a Domo Aillonis propter rei gestæ memoriam unum caseum personaliter habuit. Testes : Petrus Gais Conversus dictæ Domus, et Andreas de Sylva Benedicta socius ejus, Petrus de Murs, sacerdos ejusdem ecclesiæ, etc. »

ANNUS 1205

III. Circa hæc tempora, inter nos latebat simul et florebat

HUGO DE BALMA INTER NOS FLORET.

ANNUS 1205

Petreius in biblioth. Cart.

Hugo de Balma, autor Tractatus plane aurei *De Triplici Via ad sapientiam :* nempe purgativa, illuminativa et unitiva; cujus est initium « Viæ Sion lugent. » Hunc Tractatum noster Petreius, post Thomam Bozium, perperam distinxit a *Mystica Theologia;* cum idem sit sub utroque titulo impressus. Plures hujus operis codices manuscripti asservantur in diversis nostri Ordinis Domibus : ut sunt ipsa Mater Cartusia, Mons Dei, Seitzensis in Sclavonia, Divionensis, Coloniensis, et alibi passim sub nomine cujusdam Cartusiensis. Sed codex ante annos circiter ducentos scriptus, quem præ manibus habemus, nomen et cognomen cum titulo sic præfert. *Theologia mystica sub duplici Tractatu, primo theorico et speculativo, secundo practico et quasi activo, Fratris Hugonis de Balma, Cartusiensis.* Joannes Gerson, qui et opus scripsit *de Mystica Theologia* (non illud tamen quod Petreius nostro Cartusiensi tribuendum recte contendit), in Elucidatione scholastica Mysticæ Theologiæ, in Procemio profitetur et se de eadem materia duos Tractatus edidisse, et ante se plures alios, inter quos Hugonem de Balma nominatim designat et illius opusculum. « Qua super sapientia, inquit, dudum opuscula duo scripsimus, (nimirum opusculum *de Mystica Theologia speculativa* et alterum *de Mystica Theologia practica* scripserunt alii, nominatim Hugo de Balma in Tractatu *De Triplici Via in Deum.* » Et inferius, consideratione VII. « Loquuntur de ea aliquando Doctores, nominatim Hugo de Balma. » Hæc Gerson, non quidem mentionem faciens an Cartusiensis fuerit; sed ejus silentium nihil obstat : cum nullus hactenus denegaverit illum nostri fuisse Instituti, licet opus illius alteri quandoque adscriptum sit. Quamobrem nostri Colonienses, Tractatum hunc typis et sumptibus Melchioris Novesiani excudendum curantes inter nonnulla opuscula Patris Dyonisii Rikelii, hunc ei titulum juxta sui codicis fidem præfigunt : *De Triplici Via ad sapientiam Hugonis Cartusiani autoris vetusti, opusculum plane aureum.* Et revera ipse autor satis superque se Cartusiensem ostendit in capitulo primo, particula prima; ubi de

Autor Tractatus de triplici via.

Part. 3. in Tract. de Elucid. Scholast. Myst. Theol.

ANNUS 1205

modo purgativo, scilicet de recordatione peccatorum divinorumque beneficiorum agens, hæc dicit. « Postea cogitet (speculator) in speciali, quæ sibi non omnibus aliis Pater totius consolationis contulerit, *quem maxime ad Religionem Cartusiensis Ordinis divina clementia provocavit.* Quoniam ista via purgativa solum est eorum qui a vita seculari, veluti columba vel turtur, in secessum contemplationis, licet adhuc debiles, supra se ipsos volare nituntur. » Et paulo post : « Tertio, illud ad quod vocatur recolat, quia non eum ad Regulam B. Augustini vel B. Benedicti Redemptoris nostri gratia provocavit, sed ad illam sacratissimam, quam ipsemet elegit quando ductus est in desertum, ubi quadraginta diebus et noctibus continue jejunavit; et Præcursor suus proprie instituit, ipsam in se ipso servans (ipse videlicet sanctus Præcursor) et nobis servandam monstravit. In tantum aliis regiminibus Regula sublimior, in quantum doctrinam humanam divinum eloquium præcellit. » Eadem prorsus verba habentur in nostro codice, nisi quod quorumdam ordo transmutatur ; et post illa *ad Religionem Cartusiensis Ordinis*, additur « vel alias » ; et ista « In tantum aliis regiminibus sublimior », pro regiminibus, habetur « Regulis. » Quid igitur clarius dici potest ad repræsentandam vitam Cartusiensem ?

S. BONAVENTURÆ, VEL ALTERI PERPERAM ATTRIBUTI.

IV. Attamen quidam, anno 1495, Argentinæ typis mandans sancti Bonaventuræ opuscula, hunc Tractatum tomo secundo inseruit cum sequenti præfixo titulo : *Incipit Mystica Theologia doctoris seraphici sancti Bonaventuræ Ordinis Minorum, a quibusdam attributa Heinrico de Balma; a quibusdam, aliis; a plurimis tamen ascribitur S. Bonaventuræ.* Et ut omnem locum adimeret dubitandi quin fœtus esset alicujus Religiosi Ordinis Minorum ; in locum verborum illorum quæ superius retulimus, nempe « quem maxime ad Religionem Cartusiensis Ordinis divina clementia provocavit », hæc autor editionis substituit : « Quem maxime ad Religionem Fratrum Minorum divina clementia provocavit. » Sed quia quæ subduntur de vita Christi solitaria in deserto, et ejus Præcursoris imitatione, minus congruebant Ordini Minorum, ea

ANNUS 1205

interscidit, atque inter verba « jejunavit, et Præcursor suus, » ista interposuit : « et in maxima paupertate per mundum prædicavit, et saluti omnium ardentissime intendit. » Sed quis non videat hæc verba hic interseri veluti tibicinem, seu, ut vulgo dicitur in Scholis, clavum in carmine soli numero servientem? Quæ enim relatio inter habitatorem deserti, et concionatorem evangelicam Legem per mundum disseminantem? Autor hujus Tractatus speculatorem suum (sic enim ipsum sub initium sui operis appellat) ad gratias Deo agendas inducit, quod eum provocaverit ad vitam solitariam, sive, ut loquitur, « in desertum, in secessum contemplationis, ad illam sacratissimam Religionem quam ipsemet Christus elegit, quando ductus est in desertum. » Quæ quidem omnia perquam apte conveniunt Cartusiensi Monacho. Qui præterea meminit divini Christi Præcursoris quem dicit hanc vitam instituisse, « ipsamque in seipso servasse et nobis (Cartusiensibus) servandam monstravisse. » Nam revera ab initio fundationis Ordinis sanctum Joannem Baptistam, velut unum ex præcipuis vitæ eremiticæ autoribus, in Patronum assumpsimus, ut suo loco ostendimus ». At autor editionis Argentoratensis, ex paucis quæ interjecit verbis, cætera omnia recte transferri posse in Ordinem Minorum arbitratus est. Idem post eum censuit Wadingus de sancti Bonaventuræ scriptis disserens; vultque hæc verba, « ipsam in seipso servans, » ad Christum esse referenda, quæ de sancto Præcursore dicta esse lectori quantulumcumque perspicaci per se patent. Sed etsi daremus ea de Christo esse intelligenda, nullatenus inde nostra frangeretur opinio; cum ibidem de vita agatur solitaria, quam Christus ejusque Præcursor in seipsis servantes, et nobis servandam monstrarunt, tum exemplo, tum divino suo eloquio, quod omnem doctrinam humanam præcellit.

V. an. 1085.

De Scriptorib. Ord. Minor. in litt. B.

Opinio Francisci Lamata.

Cæterum Franciscus Lamata, doctor theologus, qui sancti Bonaventuræ opuscula Romæ vulgavit, fatetur verba quæ contendimus fuisse interserta; haberi quidem in editione Argentinensi, sed in antiquo manuscripto exemplari quo usus est, ea non reperiri, solumque Ordinis Cartusiensis

mentionem fieri. Unde concludit opusculum illud nec S. Bonaventuræ esse, nec alicujus Ordinis Minorum ; sed ab aliquo Cartusiensi compositum videri, licet quibusdam immutatis et auctis (nempe quæ superius annotavimus) illud S. Bonaventuræ sit adscriptum. Nec Lamatæ argumentum in nos quis potest retorquere, tum propter observationes præfatas, tum quia per totum opusculum nulla legitur instructio, quæ non potius Monachum Deo et sibi soli viventem spectet, quam virum religiosum saluti populorum procurandæ deditum, ut Franciscanum decet. Præterea item Lamata optime observat stylum persuadere non esse S. Bonaventuræ. Quod etiam animadvertens autor Argentinensis editionis, in ipsius operis limine admonuit illud a quibusdam adscribi Heinrico de Palma; a quibusdam, aliis; inter quos procul dubio noster Hugo de Balma annumerandus erat. Ex quorum nominum affinitate totum videtur ortum dubium. Unde et Petreius scripsit eum ab aliquibus dici Henricum de Baldea. Sub ejusdem Hugonis Cartusiensis nomine, impressus fuit Coloniæ anno 1579 *Hortulus devotionis,* sed incerta conjectura. Nam existimat Petreius Gerardum Hamontanum, Coloniensis cartusiæ Priorem, Hortuli hujus autorem esse. Sed de illo alibi.

ANNUS 1205

QUANDO FLORUERIT HIC AUTOR.

V. Jam alicubi dixisse puto, quemdam Hugonem de Balma militem, post uxoris suæ mortem Monachum induisse in Majorevi cartusia, ubi jam habebat fratrem germanum Guidonem, ibidem factum Conversum circa annum 1160. Utrum vero ille sit autor Mysticæ Theologiæ non plane constat, licet nomen et cognomen id suadere videantur. Eodem etiam tempore florebat quidam scriptor dictus Hugo Cartusiensis, qui in Equitum S. Joannis Jerosolymitani sive Melitensium Historia, dicitur vixisse circa seculi duodecimi medium; nec eum audemus asserere hujus Tractatus esse parentem, præsertim cum solum laudetur ut Historiographus. Ut ut sit, satis constat ex prædictis nullum alium esse hujus Tractatus parentem, præter quemdam Cartusiensem Monachum.

ANNUS 1205

Item opinio cardinalis Bonæ.

Scimus cardinalem Bonam in libro *De divina Psalmodia,* in notitia Librorum, ejus autorem agnoscere Henricum Franciscanum. Sic enim scribit : « Henricus, autor mysticæ Theologiæ quæ incipit *Viæ Sion lugent,* et divo Bonaventuræ tribuitur, a quibusdam de Palma, ab aliis de Balma, cognominatur; fuit confessarius beatæ Coletæ, et vir magnæ perfectionis, teste Wadingo, tomo quarto Annalium, anno 1380, num. 25. » Verum est Henricum de Palma fuisse S. Coletæ a confessionibus, et a Wadingo laudari ut virum magnæ et integerrimæ perfectionis, qui a teneris annis fuit timens et amans Deum. Sed utrum Mysticam Theologiam composuerit, non dicit, saltem hoc in loco quem citat præfatus Cardinalis. Imo in Libro Scriptorum Ordinis sui, videtur alium non novisse hujus libri autorem, quam S. Bonaventuram; licet non ignoraverit illum a quibusdam tribui Henrico de Palma. Cum igitur eruditissimus Bona nulla probatione sententiam suam fulciat, non videtur ejus autoritas rationibus obesse, quibus præfatum opusculum et ejus autorem nobis asseruimus. Denique nostrum Hugonem diximus circa hæc tempora floruisse, tum quia Hugo de Balma Domus Majorevi professus, qui forsan idem est, eadem tempestate obiit, tum etiam quod autor præter Ordines S. Augustini S. Benedicti et nostrum, nullos alios videtur agnovisse. Si quis tamen contenderet autorem hujus Tractatus hoc tempore recentiorem fuisse, non refragaremur.

JESU CHRISTI

ANNUS 1206.

Innocentii P. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 9.	Ann. 123.	Ann. 27.

I. ANNUS a salute mundi millesimus ducentesimus sextus, currente Indictione nona, illucescit, quo Deus suscitavit duo luminaria magna ut lucerent in firmamento Ecclesiæ et illuminarent terram. Ad hoc enim tempus referuntur initia prædicationis S. Dominici et conversionis S. Francisci, quorum sequaces, sicut stellæ cœli multiplicati, radios sanæ doctrinæ ac vitæ Evangelicæ sibi a sanctis suis Patriarchis hactenus infusos, non cessant toti mundo spargere. Eorum adventum, ante aliquod tempus, Deus in oratione manifestaverat beato Stephano tunc Priori Portarum et postea Diensi episcopo. Idipsum de S. Dominici prædicatione testatur Theodoricus de Appoldia in Vita ejus apud Surium ita scribens : « Multa certe multi de hoc Sacro Ordine futuro, Domino eis revelante, præviderunt, et congratulantes Ecclesiæ præsago spiritu prædixerunt. » Et post pauca : « Magnus quoque Pater Stephanus Prior cartusiæ Lugdunensis diœcesis, vir eximia sanctitate, Fratribus suis Prædicatorum Ordinem futurum prædixit, peculiariter eos orans ut eum Ordinem omni honore et reverentia prosequerentur, quod etiam præstitum est ab illis. » Idem etiam habet S. Antoninus.

SS. DOMINICI ET FRANCISCI INITIA.

Raynald. ad hunc ann. nn. 27 et 43.

Eorum adventum prævidit Prior Portarum.

Vit. S. Dominici lib. 1. c. 12.

S. Antonin. p. 3. hist. tit. 23. c. 3.

Hinc colligimus nostrum Calkarem ejusdem revelationis meminisse, cum sic scripsit : « Contigunt sæpe in Ordine Cartusiensi præostensiones, sed latere magis volunt quam pan-

Calkar. de progr. Ordin. Cartus. ms.

ANNUS 1206

dere. Priori enim cuidam Ordinis eorum revelavit aperte Dominus, venturos esse breviter quatuor Ordines Prædicantium loco quatuor Evangelistarum. Ipso enim in oratione consistente, et Ecclesiæ de paucitate prædicatorum vel aliter fidem defendentium condolente, tempore scilicet hæresis Albigensium quo Papa compulsus est mittere Abbates Cistercienses contra eos, cum non haberet alios, audivit a Domino : Fili, esto bono animo, quia mihi breviter de prædicatoribus providebo ; quod et confidenter idem Prior suis Fratribus dixit et aliis. Et ecce non diu post, venit Dominicus canonicus regularis ad Cartusiam, recipiens a Priore consilium de prædicando contra hæreticos, pariter et quasi habitum sine clausura scilicet vittarum ; qui tamen habitus etiam post hoc per Beatam Virginem cuidam eorum est ostensus et tandem aliqualiter commutatus. Venerunt igitur Prædicatores, venerunt et Minores, a Deo sic illi Priori præostensi. Quibus et post hæc Augustinenses prædicantes et Carmelitæ sunt adjuncti, qui universi, Dei gratia, magnum fecerunt fructum animarum in Ecclesia Dei et faciunt. » Hæc Calkar ; sed quem ille Priorem non nominat, ab autore *Speculi cartusiensis* designatur præfatus Stephanus. His prorsus similia narrat Dorlandus. Quod vero spectat ad congressum S. Dominici cum Priore Cartusiæ, jam ostendimus anno 1170 hunc non esse Basilium qui abdicaverat cum nondum S. Dominicus esset trium annorum, sed potius Jancelinum ; nisi dicamus Calkarem et autorem Speculi nullum alium intellexisse præter ipsum Stephanum Portarum Priorem. Quidam prætera scribit S. Dominicum fuisse novitium Cartusianum, idque constare asserit ex codice in Majori Cartusia asservato ; sed id tanquam fictitium non admittimus. Nec enim modo extat, aut forsan unquam extitit hujusmodi codex, nisi sit ipse citatus supra nostri Calkaris Tractatus, cujus verba hæc quæ superius retulimus, nempe « Recipiens a Priore consilium de prædicando, et quasi habitum sine clausura, etc. », non ita sunt intelligenda quasi revera S. Dominicus habitum a Priore Cartusiæ receperit, sed tantum quod

S. Dominicus de genere vitæ Priorem Cartusiæ consulit.

An fuerit nostri Ordin. novitius.

P. Roman. in Republ. christiana.

ANNUS 1206

« consilium acceperit de modo prædicandi, de institutione et de habitu Ordinis sui » ; sicut accuratius scripsit noster Dionysius cujus verba habes ad annum 1170.

B. ARTAUDUS MON. ARVERIÆ MORITUR.

II. Hoc anno, sanctissime sicut vixerat, ita et obiit beatus Artaudus monachus Arveriæ sed professus Portarum olim episcopus Bellicensis, cujus Vitam a quodam anonymo, recens ut videtur, scriptam hic subjicimus, prout eam ex prædicta Domo accepimus.

Professionem emisit in domo Portarum.

« Beatæ memoriæ Artoldus, sive Artaldus, Bellicensis episcopus, ex nobili dominorum de Sothnode stemmate in altis Veromesii jugis oriundus, nobilitatem suam ad cœlestem consequendam convertit dignitatem, calcatisque seculi honoribus, ac aulæ Comitis Maurianensis spretis deliciis, Dei cultui sese totum ab ipsa adolescentia dedicavit. A cujus famulatu ut nulla posset occasione avocari, cartusiam Portarum sub Bernardi, primi eremi incolæ et Prioris sanctitate celebris, obedientia ingressus est, ubi tyrocinia vitæ spiritualis exercens, admirandam sanctitatis futuræ eremicolis spem præbuit ; quibus cum assiduis orationibus, jejuniis et vigiliis incumbens, mira spiritus humilitate, piarumque constitutionum observantia ita eos præcelluit, ut Reverendus Guigo Prior Cartusiæ, illum ad aliorum salutem operandam novasque in diœcesi Gebennensi, de præsulis Humberti de Grandson* voluntate, cellas constituendas dignum reputaverit.

Ad novam domum Arveriæ a Guigone mittitur.

*Grandmont, *juxta Sammarthanos.*

« Ad hoc igitur perficiendum, vir obediens et quietis amator vastam Arveriæ solitudinem, non longe a castro paterno sitam, saxis et spinis asperam, nivibus coopertam, solisque ursis et feris perviam elegit. Ad quam anno 1132 cum aliquot piis Fratribus ascendens, in convalle quæ modo Cœmeterium dicitur, vili opere cellulas seu tuguriola construxit ; ibique per decem annos in magna rerum penuria, divitiarum tamen cœlestium abundantia locuples, omnibus ascetis exemplo factus, quo pacto humilitatem exercere, mundum et seipsum spernere, Deum autem unice colere et pie orare deberent, Angelicam exegit vitam ; quousque virtutum ejus bonus odor circumquaque diffusus, Arducium de Faulsigny, Gebennensis

ANNUS 1206

Ecclesiæ novum Præsulem, ad eum pertraxit. Qui cum loci asperitatem miraretur, habitisque piis colloquiis, Artoldo suasor extitit sedes mutandi ac in prærupti montis aditu monasterium construendi, Summi Pontificis favorem, comitisque Amedei benevolentiam ac manus auxiliatrices haud sibi defuturas pollicitus; sicque mirifice ex tali colloquio exhilaratus Præsul, ad sua reversus quod gratanter promisit, fideliter adimplevit. Etenim montes circumvicinos et locum a præfato Comite Arveriensibus obtinuit. Limites quoque a Lucio Papa secundo, anno 1144, designari fecit. Omne jus decimarum ad se spectans liberaliter concessit, nonnullosque Nobiles ecclesiasticos et seculares ad præfati cœnobii constructionem et dotationem instigavit. Unde Humbertus comes donationes a patre Amedeo, Christo ejusque sanctissimæ genitrici Mariæ et Ordini Cartusiensi oblatas, ratas habuit et confirmavit; sicut et Humbertus dominus Bellijoci sororius prædicti Humberti, qui et grangiam de *Favolet** eis acquisivit. Aymo et Hugo de Varennes, D. Bernardi Portarum Prioris consanguinei, ecclesiam ædificarunt, Petrus Lugdunensis senescallus capitulum fecit et grangiam de la Ravonne contulit, Guichardus de Bellojoco filius dicti Humberti unam cellam fecit, sicut et Stephanus Lugdunensis decanus unam. Aymo de Rivoire dormitorium Fratrum, Petrus de Chimillieu et duo ejus fratres coquinam, et Artoldus Saysiriaci decanus refectorium construxerunt. Magister vero Pontius fecit hospitium Religiosorum domus Inferioris cum cella Prioris. Monachi quoque Nantuacenses, et Regulares canonici Bellicenses, jus suum infra prælibatos confines concesserunt; perpluresque alii non solum eleemosynas largiti sunt, sed etiam suavi jugo Christi ibidem colla submiserunt, adeo ut locus ille ex spelunca ferarum factus sit habitatio justorum sub B. Artoldi pia disciplina degentium. Erat enim egregius pietatis magister, rerum caducarum mirificus contemptor ac insignium magnificus operator, Ecclesiæque tranquillitatis adeo studiosus, ut sæpe sæpius ad Alexandrum tertium Romanum Pontificem, et ad Fridericum Ænobarbum Impera-

Multa a diversis benefactoribus obtinet.

* Fayole.

torem schismaticum epistolas direxerit, pacis ergo inter eos componendæ et tranquillitatis Ecclesiæ restituendæ.

ANNUS 1206

III. « Interea vero Renaldus, ex monacho Cartusiæ Bellicensis episcopus, absoluto laudabiliter præsulatu, ultimo die Novembris, anno Incarnati Verbi 1184, decessit ex humanis. Unde orbati præsule Bellicenses, cum jejuniis et orationibus idoneum Pastorem sibi dari efflagitarent, superna inspiratione Prior Arveriæ Artaldus sanctitatis fama celebris, Cleri universi delectu et maximo plebis applausu electus est episcopus. Qui ne delatum honorem reciperet, sylvarum saltus et balmarum latibula expetiit et requisivit. Sed non potuit diu tanta lux sub modio abscondi ; dum enim ab omnibus quæreretur, lumine super latitantem e cœlo descendente detegitur, capitur et invitus ad urbem trahitur, atque magna omnium jubilatione inauguratus in sedem episcopalem, clericorum ac civium humeris quasi subvectus collocatur. Susceptum autem non tam honorem quam onus, ea vigilantia ac virtute gessit ut Dei beneplacitum impleret, creditæ plebis salutem miris modis promoveret, et nihil ex iis quæ Apostolus in Episcopo exigit, studiis ac operibus desiderandum relinqueret. Pristinum enim vitæ Cartusiensis Institutum in victus ac vestitus austeritate, silentii observatione quantum per negotia licuit, orationumque assiduitate retinuit; divino nihilominus ministerio et sacris concionibus addictus, tanquam spiritualis medicus omnium morbos curabat, atque singulis ingerebat Religiosis actibus incitamenta virtutis.

ELIGITUR IN EPISCOPUM BELLICENSEM.

Aufugiens in sylvam.

Cœlesti lumine detegitur.

« Pauperum curam gessit præcipuam, adeo ut in eorum solatia, omnia liberalissime erogaret, nec alimentis quotidianis parceret; condoluit mœrentibus, invisit ægrotos quibus etiam sæpe utramque mentis et corporis sanitatem restituit; peccatores ad meliorem frugem reduxit, justos in bono confirmavit, dissentientes mira dexteritate reconciliavit; nullumque ab opere Dei vacuum tempus sibi excidere permisit. Tandem annis jam grandis pastoralisque sollicitudinis fractus laboribus assiduis, Clementi tertio Summo Pontifici mente propalata, de ejus assensu infulas deposuit; et Pontificia di-

Omnes veri Pastoris partes exequitur.

Fractus annis Episcopatum abdicat.

ANNUS 1206

gnitate se abdicans, ad pristinum Arveriæ desertum vitæ solitariæ percupidus et amore liberioris Deo impendendæ servitutis accensus remigravit, cœlestemque ibi vitam et divinis totam contemplationibus ac officiis intentam per sexdecim fere annos instituit, multosque hoc suo exemplo ad mundi repudium pertraxit. Ex quibus Joannes Abundantiæ abbas, abundantiam seculi cum penuria eremi magnanimiter commutans, in mira humilitate et vitæ integritate ibidem anno 1202 diem extremum peregit, cujus pietatem epistolæ de diversis scriptæ testantur.

INVISITUR A S. HUGONE LINCOLNIENSI.

Hæc desumpta sunt ex Vita ms. S. Hug. lib. 5. cap. 14.

IV. « Cum autem S. Hugo Lincolniensis episcopus, in Angliam e domo suæ professionis Cartusia rediret, anno Domini 1200, Arveriam circa festum SS. Jacobi et Christophori (quamvis esset propter loca montuosa accessu difficilis et ab itinere remotior) hac specialiter de causa expetiit. Beatus Artoldus ex episcopo simplex cellicola effectus, præfati Præsulis longo tempore exæstuans desiderio, affectu ipsius et affatu cupiebat refoveri, quod etiam per internuncios sæpius ei innotuerat. Processerat quidem Vir ille beatus in diebus suis, et mediante jam mundanæ lucis occasu, ad interminabilis diei suspirabat ingressum, nec dissimiles animi quamvis in ætate dissimili præfato sancto Præsuli erant. Jam enim caduca omnia quæ ab annis teneris vilipenderat, in gravi etiam ætate fastidio habebat. Optato igitur uterque potitus colloquio, suæ singuli recessus conscientiæ ex alternæ sanctitatis fulgore, dum sua vicissim occulta pandunt, splendidiores reddunt. Qui tandem simul ad commune Fratrum omnium venere colloquium : tunc a Lincolniensi Dominus quondam Bellicensis formam pacis inter Franciæ et Angliæ Reges initæ sibi petiit coram Fratribus referre ; nam concordiæ illorum ipsum interfuisse cognoverat. Ad quam tanti Viri petitionem ferventissimus Ordinis Zelator haud modice contristatus, ita leniter et quasi jocando ait : O domine Pater, rumores audire et referre, etsi licet Episcopis, sed Monachis non licet ; in cellas vel claustra rumores ingredi non licet ; urbes deserere et in solitudines rumores afferre non licet. Hæc dicens

Colloquium in claustro.

Monachis non licet rumores audire.

statim ad spiritualis ædificationis studium verba convertit. Gratiis ab Artoldo et cæteris Fratribus actis de visitatione, et eleemosynis a defuncto rege Angliæ Henrico sibi missis, pius Hugo recessit. Beatus vero Artoldus reliquos sex vitæ annos in omni humilitatis, obedientiæ, pietatis, patientiæ ac charitatis exercitio consummavit. Posthæc obitus sui divinitus factus conscius in morbum incidit, suavique habito de superna beatitudine colloquio cum domino Bernardo Bellicensi itidem Cartusiensi, divino monitu illuc adveniente; datisque Fratribus supernæ adhortationis officiis, et sanctis Ecclesiæ munitus Sacramentis, in cinere positus gaudensque in Domino, inter verba orationis expiravit, pridie Nonas Octobris anno 1206, ætatis suæ centesimo quinto, conversionis vero octogesimo sexto. Ejus autem corpus ab eodem Præsule Bernardo, assistente Hugone Priore Arveriæ cum cunctis Fratribus et aliquot ex Monachis Bellicensibus, honorifice sepultum est in parvo Claustro inter portas Capituli et ecclesiæ. Hujus autem Sancti merita apud Regem gloriæ præcelsa, plurima et stupenda quæ ad ejus tumulum lapideum facta sunt miracula postea affatim prodidere. Divinæ enim virtutes ibidem jugiter coruscarunt, quibus infirmi et moribundi, hujus sancti Pontificis precibus solatia perceperunt ingentia, ad laudem Dei omnipotentis qui est in Sanctis mirabilis. Amen. »

ANNUS 1206

Pie moritur ætatis suæ an. 105.

Ejus memoria celebratur in martyrologio Ecclesiæ Lugdunensis sub his verbis : « Secundo Nonas Octobris obiit Artoudus bonæ memoriæ, monachus Alveriæ et sacerdos, quondam episcopus Bellicensis. » In eadem cartusia Arveriæ, foris ecclesiam sub tumulo lapideo, ejus cadaver anno 1640 a Joanne de Passelaigue episcopo Bellicensi repertum est.

Guichen. in Hist. Bress. et Bug.
Sammarth. in Episc. Bellicenses.

V. Circa eadem tempora feliciter quoque defuncti sunt, venerandi viri Robertus ex Priore ecclesiæ Cathedralis Wintoniensis, et Radinus ex sacrista ejusdem ecclesiæ facti monachi Withamiensis Domus in Anglia, de quibus autor Vitæ S. Hugonis Lincolniensis agit in hæc verba :

ROBERTUS PRIOR WINTONIENSIS ET RADINUS EJUSDEM SACRISTA FACTI CARTUSIENSES MORIUNTUR.

« Vidimus postea virum omni laude attollendum, quia omni virtutum gratia decoratum, Dominum Robertum ejus-

41 *b*

ANNUS 1206

dem Cathedralis ecclesiæ Wintoniensis Priorem, ut liberius vacaret Deo, sanctæque illius institutionis magisterio proficeret, relictis turmis obsequentium, Witamiensem effectum solitarium. De cujus virtutibus ac moribus silere potius quam pauca dicere præelegimus ; cum placidæ et sanctissimæ illius vitæ insignia recolenti veniat plerumque in dubium, quid primum quidve præcipuum in tot ejus præconiis fuerit commendandum. Qui in suprema jam constitutus ætate, idcirco a Spiritu Sancto se dicebat impulsum ut eremiticæ conversationis arriperet institutum, quatenus moreretur tutius, qui citius videbatur moriturus. Qui et accelerandam quoque jam imminentem æstimare potuit mortem, eo quod in tanto naturæ defectu tam insuetum subiret vivendi rigorem. Verum superante in eo naturam Christi gratia, creverunt ei etiam præsentis vitæ spatia ad promerenda * uberius perennis vitæ præmia. Audivimus autem eum, postquam in cellæ solitudine, in cibi ariditate, in cilicii squalore tertium jam exegerat lustrum, cum spirituali jucunditate protestari solitum ademptam sibi præteritarum deliciarum affluentiam, quam mensa pridem lautior cumulare solebat, optimam valetudinem sibi, et juvenilium quodammodo annorum reparasse vigorem. Erat vultu placidus, corde serenissimus, canitie niveus, sermone facundus, spiritu mitis, affatu suavis.

*Promovenda.

Ad utriusque preces autor vitam S. Hugonis scripsit.

Istius sane viri equidem præstantissimi et D. Radini quondam sacristæ istius ecclesiæ monitis præcipue animatus, precibusque importunis impulsus sum, aliqua posterorum notitiæ de præsenti materia scribendo transmittere. Quorum jam uterque ex hac, ut accepimus, luce ad illam migraverat claritatem fœlicitatis æternæ ; pro cujus desiderabili expectatione diutius flendo, jejunando, corporeæ lucis aliquandiu privati sunt visione, instante jam beata corporis hujus, quod corrumpitur, resolutione. Hæc vero de iis paulo quam sperabamus diffusius prosecuti sumus, ut lectori claresceret evidentius ad quantam pietatis frugem, bonitatis germina in Hugone pullulare consueverant, quem ad ædificandum et plantandum supra gentes et regna, cœlestis Clementia decrevit constituendum. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1207

Innocentii PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 10.	Ann. 124.	Ann. 28.

INNOCENT. CONFIRMAT DECRETA CAPITULI GENER.

Extat inter privil. Ord. num. 20.

I. SEQUITUR Jesu Christi Redemptoris nostri annus millesimus ducentesimus septimus, currente Indictione decima, quo ab Innocentio Summo Pontifice quatuor scripta sunt diplomata in nostri Ordinis gratiam, ad Jancelini Cartusiæ Prioris totiusque Capituli generalis petitionem. Primo diplomate Corneti dato, secundo Calendas Novembris, quædam Statuta in Comitiis generalibus, « ad conservandum nostræ Religionis Propositum pie ac provide facta, » autoritate Apostolica confirmat. Cumque his temporibus ipse Matris Cartusiæ Prior, pluresque alii Ordinis Priores, ac etiam Monachi, propter magnæ probitatis famam quam sibi ex vitæ innocentia totus Ordo apud omnes conficiebat sæpe arbitrarii judices ad controversias inter extraneos componendas eligerentur, et quandoque contra suam voluntatem de hujusmodi causis cognoscendis, impetratis a partibus Literis Apostolicis, cogerentur : dictus Jancelinus et cæteri Comitiorum hujus anni Diffinitores, damna satis prævidentes quæ solitudinis observantia ex talium mandatorum perfunctione pati poterat, implorata autoritate Apostolica, nascenti malo occurrerunt. Innocentius namque tantæ Patrum « devotionis sinceritatem, ut in bulla loquitur, admirans et approbans, et tranquillitati nostræ utiliter præcavere volens, ne nos qui Marthæ circa plurima satagentis officium dimittentes, elegimus potius cum Maria juxta pedes Domini

Eximit nos a causis cognoscendis.

Ubi supra num. 21.

ANNUS 1207

residere audientes verbum illius, causarum strepitus inquietet et ab otio sancto deducat; altero diplomate Pontificio eisdem loco et die dato, indulget ut si ad Priorem Cartusiæ, vel ad aliquem alium Priorem vel Fratrem (sive monachum) Ordinis Cartusiensis, super aliqua causa Apostolicæ fuerint Literæ impetratæ, quæ de Ordine nostro expressam non faciant mentionem, hujusmodi Literarum obtentu, de causa illa præter propriam voluntatem nullatenus cognoscere teneamur. »

PROHIBENT PATRES NE PLACITA ALIENA SUSCIPIANTUR.

II. Juxta hanc Summi Pontificis indulgentiam, et mentem illius in eadem bulla implicite expressam, sanxerunt Patres suggerente Jancelino, ut quando simile aliquod mandatum cuilibet personæ Ordinis oblatum esset, illud nullus exequeretur sine Prioris Cartusiæ licentia, qui prius examinaret utrum conditiones haberet ab Innocentio reservatas. Quod super hoc a Capitulo generali decretum emanavit, tale est : « Statuimus ut nullus nostri Ordinis in se tanquam judex vel arbiter placita suscipiat aliena. Quod si a Sede Apostolica causa aliqua cuilibet ex nobis fuerit delegata, etiam tunc ad eam audiendam non exeat, nisi licentiam a Priore Cartusiæ habuerit exeundi. Qua in re sciendum quod nisi in literis Commissionis Ordo Cartusiensis exprimatur, sicut indulgentia, quam habemus a Domino Innocentio Papa tertio manifeste declarat, eam audire non teneatur. » Idem decretum postea Rifferius suis inseruit Statutis.

Ex codice maj. Cart.

INNOCENT. CONFIRMAT BULLAM ALEXANDRI III.

Ubi supra num. 19.

III. Tertium diploma ab Innocentio concessum, et eodem loco, die vero nona Novembris datum, continet licentiam de instituendis et destituendis Prioribus ; confirmationem Institutionum factarum et faciendarum, ac tandem prohibitionem appellandi ab ordinationibus per Capitulum generale decretis. Hæcque bulla ejusdem ferme tenoris est ac bulla Alexandri III de qua suo diximus loco. Denique sub finem anni, ad eumdem Innocentium tunc Romam reversum, novi Commissarii Jancelini et Monachorum Matris Cartusiæ nomine missi sunt, qui quartam bullam a Sede Apostolica impetrarent, qua compesceretur quorumdam nostri Ordinis Priorum vel Monachorum contumacia, qui spretis nostri Propositi sanctioribus

constitutionibus, « possessiones extra terminos suos acquisitas contra Statutorum, et Cap. generalis ac præsertim Cartusiæ Prioris speciales inhibitiones detinere non solum præsumebant, sed ut possent liberius suum malitiosum propositum adimplere, abhorrentes jugum suæ professionis in patientia sustinere, transire nitebantur ad Ordinem laxiorem. » Tantum nostrarum observantiarum promovendarum ac tuendarum studium in Jancelino et filiis ejus cernens Innocentius, « Archiepiscopo Viennensi et suffraganeis ejus, per Apostolica scripta Romæ tertio Nonas Decembris data, mandat quatenus hujusmodi Priores et Fratres, qui fuerint in eorum jurisdictione reperti, ut ab hujusmodi præsumptione desistant; et secundum suæ Propositum professionis, devote Deo studeant militare, sæpedicto Priori suo (Jancelino) reverentiam et obedientiam debitam exhibentes, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compellant. » Summi itaque Pontificis autoritate, ac sedula nostri Jancelini vigilantia firmaque illius constantia, omnis hæc tempestas in ipso suo ortu adeo sedata est, ut hujusmodi tentatio et Jancelino gloriam, et toti Ordini proventum, ipsisque tentatis ad cor reversis salutarem pepererit pœnitentiam.

ANNUS 1207

Prohibet ne quis nostrum ad laxiorem transeat Ord.

Ubi supra num. 24.

Jancelini vigilantia, et animi firmitas.

IV. Hoc præsenti anno, ut scribunt Sammarthani, vel sequenti ut quidam recentiores volunt, Bernardus episcopus Bellicensis, olim Cartusiensis monachus, omnis virtutis et sanctitatis speculum ad vitam immortalem beandus a Domino evocatur, die sexta Martii, postquam vigilantissimi Pastoris ministerium per decem annos, vel paulo amplius, implevisset. Anno 1198 factus fuerat arbiter dissidii inter Abbatem et Religiosos Sancti Sulpitii cum Cartusiensibus Arveriæ, pro pascuorum limitibus. Inde, cum Guigone ejusdem cartusiæ Priore, delectus est ab Hugone Cluniacensi anno 1200 pro componenda querela de S. Martini Cumba cum Portarum Cartusiensibus et Inimontis Religiosis. Præterea anno 1204, cum Gaimero Laci abbate, de quibusdam controversiis etiam transegit; et anno 1206 adfuerat Beato Artoldo morienti.

BERNARDUS EX CARTUSIENSI MONACHO EPISCOPUS BELLICENSIS OBIIT.

ANNUS 1207

Bernardo successit in episcopatu Benedictus de Langes, qui anno 1210 Portarum Cartusiensibus concessit, sive potius confirmavit privilegia, quibus fit prohibitio ne quis per eorum territoria prædam duceret, aut mulier eorum terminos ingrederetur. Eodem anno, episcopatum Benedictus ejuravit, habuitque successorem Berardum de Thoire, quem Sammarthani dicunt eodem tempore, litis constitutum fuisse arbitrum motæ inter cartusiæ Majorævi Priorem, et Humbertum de Thoire illius ex fratre nepotem. Anno vero sequenti, cum Raynaldo Lugdunensi et Humberto Viennensi archiepiscopis, Berardi Gebennensis antistitis sententiam pro ejusdem Majorævi et Sancti Sulpitii pascuis chirographo firmavit.

HUMBERTUS MON. SELLION. FIT ARCHIEP. VIENNENSIS.

Ex Tractatu de usibus Feudor. Delphinat.

Chorier de Stat. polit. Delph. tom. 2.

V. Circa hæc tempora, defuncto Aynardo de Moyrenco Viennensi archiepiscopo, Humbertus hujus nominis II, cartusiæ Sellionis monachus successit; quem certe constat jam sedisse anno sequenti quo mense Decembri hominium ligium et fidelitatem accepit a Guillelmo de Claromonte, præsentibus Guillelmo decano et multis aliis ejusdem Ecclesiæ canonicis. Factus Archiepiscopus, nec mores nec habitum mutavit, Cartusianamque austeritatem curis pastoralibus non repugnantem religiosissime tenuit ad obitum usque, de quo post annos octo iterum agemus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1208.

Innocentii PP. III Ann. 11.	Ord. Cartus. Ann. 125.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 29.

I. ANNUS adest Christi millesimus ducentesimus octavus, cum Indictione undecima, quo Innocentius primis gratiis novas addens, « justisque precibus inclinatus Jancelini et Conventus Cartusiæ aliquam circa celebrationem Capituli generalis mutationem timentium; formam ejusdem Cap. gen. ab universis Prioribus totius Ordinis constitutam, sicut pro bono Religionis est facta, et in confectis exinde literis continetur, autoritate Apostolica confirmat. » Data bulla Laterani, octavo Idus Decembris.

JANCELINUS OBTINET CONFIRMATIONEM FORMÆ CAPIT. GENERALIS.

Extat inter privileg. Ord. num. 17.

II. Hoc anno Guillelmus Cluniacensis abbas, ob suam erga nostrum Ordinem observantiam singularem, specialemque erga Patrum Vallis S. Hugonis Domus amorem, quædam bona eidem Domui contulit, scriptis in specimen suæ benevolentiæ sequentibus literis : « Ego f. Willelmus, humilis Cluniacensis abbas, notum facio, etc., quod nos attendentes multipliciter quam erga nos et Ecclesiam Cluniacensem et omnia membra nostra, venerabilis frater noster Petrus Prior de Valle S. Hugonis gerit devotionem. . . . Et insuper ad majoris dilectionis evidentiam, quam erga personam memorati Petri Prioris, et sanctam congregationem Cartusiæ habemus, donamus, etc. Actum anno gratiæ MCCVIII. Præsentes Venerabiles fratres nostri E. abbas Mauziacensis. Eustorgius, W. Cluniac. Prior et Longipontis, Bartholomæus Prior

GUILLELMI ABB. CLUNIAC. ERGA CARTUS. BENEFICIA.

Ex Cartul. dom. Vallis S. Hugon.

ANNUS 1208

claustralis, Willelmus de Alavart et de Burgeto Prior, Symon Prior de Domena, Magister Alanus, Anglicus socius domini Abbatis, Nicolaus et Rogerius Notarii, et plures alii. »

Mag. Alanus, quis.

Magistrum Alanum in his designatum literis, eumdem esse ac Alanum de Insulis famosum illum in Academia Parisiensi professorem nihil prohibet credere; cum tempus, nomen et Magistri titulus satis conveniant. Nec obstat, quod in eisdem literis Cluniacensis, ab autoribus vero Cisterciensis dicatur: nam, cum *Magni Chronici Belgici* scriptor, horum antiquior, a quo et omnes hauserunt, tribus fere seculis post nostrum Magistrum tantum floruerit, potuit facile, et post eum alii, Alanum Cisterciensem Vitæ S. Bernardi autorem cum Alano Cluniacensi confundere; sicut ipsum Alanum Insulensem divisit ab Alano Magno et Universali, quem tamen propius vero est unum eumdemque fuisse.

Mag. chron. Belg. ad ann. 1202 et 1293.

Hist. Univ. Parisien.

S. STEPHAN. DIENSIS EPISC. MORITUR.

III. Hoc etiam anno, die septima Septembris, S. Stephanus, quem e Cartusia Portarum ad episcopatum Diensem anno hujus seculi secundo raptum vidimus, plenus meritorum vocante Domino ingressus est in locum tabernaculi admirabilis, plane in Domum Dei. Quomodo vero ultimum in morbum inciderit, narrant Archiepiscopus Viennensis et alii sex sibi subjecti Episcopi in epistola ad Gregorium IX, qua Stephanum viginti tribus post illius obitum annis postulant inter Sanctos adscribi. In hac epistola, recensitis prope infinitis miraculis ad ejus tumulum patratis, hæc de Beati illius exitu addunt :

Ex Epistol. ad Gregor. IX apud Jo. Columbi in Ep. Diens.

Quomodo in morbum inciderit.

« Istud vero miraculum non est tacendum quod dictus Episcopus, cum esset in monasterio Durbonis Cartusien. Ordinis, et ibi Conversus ejusdem monasterii, homo timens Deum et magnæ religionis, gravi laboraret infirmitate, accedens ad eum Stephanus dixit ei : Frater, crede quod ex hac infirmitate migrabis ad Dominum. Unde rogo te, ut pro me Dominum depreceris, quod si ego in episcopatu isto Diensi animæ meæ periculum incursurus sum et æternum præmium amissurus, ut me non permittat in ipso episcopatu diu manere. Postmodum decessit Conversus, et dictus Episcopus

eadem die infirmari cœpit, et infra duodecim dies suum ultimum clausit in Domino. »

ANNUS 1208

Nomen hujus Conversi ibi non designatur, quem fuisse Rollandum del Martore conjicimus ex cartulario Durbonis, ubi inter Conversos sæpe legitur usque ad præsentem annum, ultra quem nulla de eo amplius mentio occurrit in ejusdem cartularii Instrumentis. Mortuo igitur Stephano, quanto affecerit oves desiderio tanti Pastoris mors, ex ejus Vita melius intelliges. « Eodem tempore quo de hoc seculo ad suprema demigravit, pacem populo suo procuravit cum quibusdam adversariis eorum, qui diversis bellorum insultibus eos graviter affligebant. Instante vero termino hujus occiduæ vitæ, quo Dominus eum de labore ad requiem deducere disponebat, in ægritudinis lectulo decumbit. Tunc extrema gaudii Ecclesiæ Diensis luctus occupat. Videres et tunc filios Ecclesiæ suæ discurrere cum Religiosis et popularibus multis ut humanitatis gratia eidem obsequium præberent, ac gratiam quisque sui profectus reportaret. Accurrunt omnes circa frequens ministerium, diligenter medicamina perquirunt et fomenta, sed Servus Dei de his penitus non curabat; sciebat enim tempus suæ migrationis imminere. Cumque filii Ecclesiæ suæ instarent ut conderet testamentum : Non est, inquit, necesse cum totum sit Sponsæ meæ quam rexi. Benedictionem autem et consilium ab eo flagitantibus impendebat, ac de mutua charitate et concordia pariter admonebat. Quædam vero mulier ægrota, quæ nullo medicorum juvamine potuerat sanitatem promereri, audiens Virum Dei infirmari, pro sanitate obtinenda ejus benedictionem ut plurimum flagitabat. Tandem ingressum habuit ad eum, benedictionem ejus recepit, sana recessit. O odoriferum lilium, in æternum ante Dominum germinans et florens, spargensque vivificum suavitatis odorem, cujus memoria in benedictione est, qui infirmitate ipse tabescens, aliis sanitatem impertitur !

Pacem populo conciliat.

Ex codice cart. Bruxell.

Infirmam mulierem sanat.

IV. « Tuncque ad Dominum se migrare cognoscens, confessione præmissa, ecclesiastica Sacramenta cum Viatico salutari sibi impertiri postulabat. Expletis igitur diligenter

SANCTE MORITUR.

ANNUS 1208

quæ decebant et quæ fieri ordinabat, inter verba orantium, septimo die Septembris, in vigilia Nativitatis Deigenitricis, migravit ad Dominum anno gratiæ MCCXIII, ætatis suæ plus LVII, Episcopatus vero plus quinto sed minus sexto ; sepultusque est in ecclesia B. Mariæ sponsæ suæ, prout ipse ordinavit.» Hactenus Acta Vitæ illius, in quibus errorem irrepsisse jam alibi observavimus : cum ibi scriptum legimus sanctum Hugonem Lincolniensem fere biennio ante decessisse quam S. Stephanus in episcopum Diensem consecraretur. Cum igitur constet S. Hugonem anno 1200 obiisse, hinc sequitur S. Stephanum consecratum anno 1202, mortuumque hoc præsenti anno non vero 1213, ut perperam in Actis illius scriptum reperitur. Idem præterea constat ex accurato Diensium Episcoporum catalogo a Joanne Columbi edito, ubi certissimis autoritatibus Humbertus, Stephani in episcopatu successor, probatur jam sedisse annis 1209, 1210, 1212. Et in citata Viennensis Archiepiscopi et suffraganeorum ejus epistola, idem Beatus præsul hoc præsenti anno mortuus evidenter scribitur, his verbis : « Anno ab Incarnatione Domini MCCVIII, octavo Idus Septembris, Stephanus Cartusiensis monachus et Prior Portarum, Cartusiensis Ordinis, et divina gratia Diensis episcopus, transiens ab hoc seculo migravit ad Dominum. » Sed Acta prosequamur.

V. supra ad an. 1202.

Tempus mortis discutitur.

Infinitis claret miraculis.

« Ubi vero de hujus mundi tenebris servus Dei Stephanus ab lucem perpetuam demigravit, Dominus Sanctum suum multis miraculorum signis voluit illustrare. Sequenti namque die quo sanctissimum corpus ejus traditum fuerat sepulturæ, dum B. Virg. Nativitas solemniter in dicta ecclesia celebraretur, filia cujusdam hominis Diensis, Lamberti nomine, de burgo S. Marcelli, quæ per tres menses visu fuerat oculorum privata, ad sepulchrum S. Viri delata, statim lumen oculorum recepit. Eadem die, cum filia cujusdam burgensis ejusdem civitatis, Martini nomine, quæ longis temporibus magnis febribus exæstuans, unius lateris sospitatem perdiderat et vigorem ; cum ab amicis suis ad sepulchrum Sancti fuisset delata, utpote quæ incedere non valebat, oratione ibidem

fusa, cum liberatione febrium etiam lateris sanitatem recepit, recessitque pedibus suis gradiens quæ parum ante manibus fuerat cum dolore devecta. » Triginta quinque alia miracula idem autor recenset, inter quæ etiam quatuor aut quinque mortui ad vitam suscitati annumerantur. Quæ omnia apud Surium et Joannem Columbi curiosus lector requirere poterit. Tot vero miraculis motus Episcopus Diensis Summum Pontificem anno 1222 rogavit, ut Stephanum in Sanctorum numerum assereret; sed Episcopo a suis paulo post occiso, res tunc caruit effectu usque ad annum 1231 quo vehementius acta est, ut ibidem videbimus.

ANNUS 1208

V. Hoc pariter anno creditur obiisse Hugo ex episcopo Aurelianensi monachus Cartusiæ Ligetanæ, ut quidam scribunt. Hic, Manassis de Garlanda ejusdem Ecclesiæ quondam Præsulis nepos, ad eam Sedem post mortem Henrici Drocensis ex Decano evectus fuerat, circa annum 1198; unctus a Michaele de Corbolio Senonensi Archiepiscopo. De ejus promotione ad episcopatum extat Stephani Tornacensis epistola, in qua inter cætera hæc de eo præclare exprimuntur: « Decanus electus est in episcopum, gaudeat Aurelianensis Ecclesia, quam personarum penuria non coegit ut ab alienis Ecclesiis emendicatum mutuaret Antistitem. Quem nutriverat a puero, quem produxerat in viam perfectam, quem disciplinis erudierat ecclesiasticis assumpsit, sibi sufficiens in gremio proprio, et capiti suo superponens, de filio fecit patrem, non ignotum moribus, non alienum provincia, non degenerem natalibus. . . . Dignus est ut in Ecclesia illa præesse debeat, in qua consueverat illi prodesse, etc. » Octo circiter annis sedit cum laude et suæ Ecclesiæ profectu. Eum obiisse anno 1206 scribunt Sammarthani; Sausseius nihil de morte Hugonis habet, sed in suis *Annalibus Aurelianensibus* dicit eum sedisse ad præfatum annum, quo noster Molinus transitum ejus ad Nos ponit, addens post biennium, nempe hoc præsenti anno, in Ligetana Domo, ubi Cartusiensem habitum induerat, vitam finiisse.

HUGO MON. LIGETI OLIM EPISC. AURELIANENS. MORITUR.

Molin. hist. ms. Ord. Cart.

Theoph. Raynaud. in Trinit. Patriarch.

Steph. Tornac. Ep. 234.

VI. Ad meliorem quoque vitam hoc anno raptus est Odo

ODO DE SOLIACO EPISCOP. PARIS. BENEF. DOM. PORTAR.

ANNUS 1208

de Soliaco Parisiensis episcopus, Theobaldi magni Campaniæ comitis nepos, olim Bituricensis Ecclesiæ cantor, ab autoribus hujus seculi merito laudatus ; ad cujus laudes confirmandas contra Rigordum, qui nescio qua motus invidia eum longe a Mauricio suo decessore moribus et vita dissimilem fuisse scribit, brevissimum sed certissimum ac succo plenum subjicimus elogium a quodam monacho cartusiæ Portarum, cujus Odo amicus fuerat et benefactor, ad calcem veteris codicis Consuetudinum Guigonis ante annum 1184 exscripti, eodem tempore additum his verbis : « Domno Odoni Cantori Bituricensi, bonæ famæ et laudabilis vitæ viro, debemus in obitu suo hoc quod cuilibet Fratri nostri Ordinis, id est Missam et Agendam. Hoc idem debemus Domno Pontio cantori Lugdunensi. » De Odone plura nuper congessit Cæsar Egassius Bulæus in suam Historiam Universitatis Parisiensis. Pontius vero Cantor Lugdunensis, ipse est quem cognominatum de Thoria Cartusiensem aliquando factum volunt, sive ante sive post adeptum Matisconensem episcopatum. De quo alibi plura.

Rigord. de gestis Philip. Regis.

Hist. Univ. Paris. secul.4. pag. 53.

V. infra ad an. 1221.

DOMUS TRISULTI FUNDATUR.

VII. Ad præsentem etiam annum refertur fundatio cartusiæ Sancti Bartholomæi de Trisulto provinciæ S. Brunonis, in Campania Romana, in monte Porcæ et diœcesi Alatrina ; ab ipsa urbe Alatro versus orientem septem distans milliaribus, quinque ab Aversa ad occasum, sex vero ab ora Laci Fulcini in septentrione positi. Constituta in vastissima voraginis vertice, circumquaque exesis montibus obductæ ; ubi et altissimi supereminentis montis pes declivis desinit, et parvo areæ tractu illi interjecto, iterum se demittit præcipitem in imum torrentem, innumeris aquarum limpidissimarum vorticibus flexuosisque recursibus grato murmure decurrentem. Habet ex se nescio quid latentioris pietatis aculei et incentivi, quibus mirum in modum excitatur spiritus ad amorem divinum et mundi contemptum. Hic ex cœli genuina puritate et Cartusianæ parcimoniæ largitate, vita permultis Religiosis protrahitur incolumis usque ad centesimum annum.

Alfaura in orig. Cart.

Loci descriptio.

Pentimal. in catal. Erem. Cart.

In eadem regione, in spelunca quadam præfati montis

Ibi S. Dominicus Fulgin. abbatiam olim construxit.

Porcæ, B. Dominicus Fulginas Ordinis S. Benedicti (cujus dies natalis 22 Januarii celebratur), multorum cœnobiorum fundator et plurimorum patrator miraculorum, per triennium olim sanctissime conversando perseveraverat, jussusque ab Angelo ex parte Dei, monasterium in honorem S. Bartholomæi Apostoli in loco sibi ab Angelo demonstrato construxerat. Illud nunc *Abbatia vetus* nuncupatur, ab hac Trisultana cartusia centum non amplius passibus distans, cujus etiam ecclesia integra permanente, cæterorum ædificiorum ruinæ dumtaxat apparent. Ibi aliquot annis B. Dominicus cum sua congregatione gratum Domino præstitit famulatum. Post cujus felicem discessum, resoluto ibidem observantiæ vigore, Innocentius III, Summus Pontifex, eamdem Abbatiam cum omnibus juribus et proventibus, adjectis amplioribus gratiis et privilegiis in fundationis bulla contentis, ad Cartusiensem Ordinem transtulit; et monasterium hoc nostrum in honorem B. V. Mariæ (retento tamen S. Bartholomæi nomine antiquæ Abbatiæ indito) a fundamentis erexit ; accersitis propterea e diversis Domibus maxime e Casularum cartusia Monachis, qui cum Priore Rodulpho in dictæ Abbatiæ possessionem solemniter fuerunt immissi præsenti anno, ut in quodam legitur codice sub hac forma :

ANNUS 1208

Ex mss. ejusdem Dom.

Hanc ad nos transfert Innocentius III.

Ludovicus Jacobil. in notis ad vitam S. Dominici ap. Bolland. ad 22 Januarii.

« Dignum est omnino notari diligentius atque sciri quod septimo Calendas Octobris, die scilicet quarta ante festum S. Michaelis hebdomadæ, feria quinta, Indictione undecima, Incarnationis Dominicæ anno MCCVIII, Pontificatus Dom. Innocentii Papæ III anno XI, intravit conventualiter Ordo Cartusiensis in Domum S. Bartholomæi de Trisulto. Intravit autem, in Monachis quidem cum Priore Rodulpho numero decem, Conversisque octo cum equitaturis decem et octo, cum famulis vero duodecim. Supra hos Conversi quatuor fuerant ante ad loci custodiam destinati : quibuscum superioribus computatis, triginta quatuor fit numerus personarum, et hoc absque equitaturis et famulis jam dictorum quatuor Conversorum. » Præter concessionis loci bullam, quam non vidimus, aliam dedit Innocentius de qua post triennium dice-

Rodulphus primus Prior.

ANNUS 1208

mus. Construendæ hujus cartusiæ occasionem quidam, post nostrum Dionysium, tribuunt visioni cuidam Eremitæ coram ipso Innocentio III factæ antequam ad Summum Pontificatum eveheretur. Sed hanc spectare Innocentium VI, Avenionensis cartusiæ fundatorem, probabimus cum de ejusdem Domus fundatione agemus.

V. ad annum 1356.

QUID MERCEDIS EX HAC FUNDATIONE INNOCENTIUS RECEPERIT.

Surius ad 16 Junii.

VIII. Quanta vero salus Innocentio III ex hac Trisultani monasterii erectione provenerit, liquet ex sanctæ Lutgardis Vita a Thoma Cantipratensi et post eum a nostro Surio conscripta. Dicunt enim Innocentii animam in visione admodum horribili dictæ sanctimoniali apparuisse, eidemque sciscitanti quisnam esset respondisse : « Anima sum Romani Pontificis Innocentii, quæ tribus de causis atrocissime crucior, quæ me procul dubio æternis suppliciis justissime addixissent, nisi B. Dei Genitricis Mariæ, cui monasterium ædificavi, meritis et intercessionibus me in extremis pœnituisset ; verumtamen ad extremum Judicii diem acerbissimis pœnis cruciabor. Quod autem a te suffragia petiturus accedere potui, id mihi piissima Virgo a Filio suo impetravit. Et his dictis disparuit. » Hæc ex Cantipratensi, viro fide dignissimo, inquit Spondanus, qui cum sancta Lutgarde pie conversatus est ; et tres illas causas ab ea se didicisse testatur, pro tanti tamen Pontificis reverentia referre nolle. Alterius visionis non minus horrendæ meminit Bzovius. De quibus visionibus hæc habet Bellarminus : « Ego, inquit, sane facile mihi persuadeo tantum Pontificem, qui in oculis hominum non probus et prudens solum, sed etiam sanctus et imitatione dignissimus habitus est, non potuisse lethalia peccata committere, nisi sub specie boni deceptum ab adulatoribus et domesticis, de quibus in Evangelio dicitur : Inimici hominis, domestici ejus. » At Raynaldus, Baronii continuator, inductionibus satis probabilibus, quas ex testimoniis gravium Autorum qui laudes Innocentii celebrarunt infert, hujusmodi narrationes tanto Pontifice prorsus indignas probare nititur, quas proinde ab inimicis confectas atque subornatas putat. An vero ejus inductiones Cantipratensis narrationi sint

Bzov. ad an. 1216. num. 7. et Spondan. num. 13.

Bell. l. 2. c. 9. de gem. columbæ.

Raynald. ad an. 1216.

præponendæ, aliis decidendum relinquimus, cum res accuratiorem poscat inquisitionem. Præter Innocentium fundatorem, alios Summos Pontifices beneficos Trisultani monachi experti sunt, ut testantur ultra ducenta Pontificia diplomata quæ in eorum tabulario asservantur. Ibi etiam extant Imperatorum, Regum et Principum privilegia non pauca; quorum nonnulla quæ ad res nostras spectare posse existimabimus, suis curabimus locis interseri. De cæteris benefactoribus nihil habemus, duobus exceptis quorum nomina et obitus nostris in chartis reperiuntur. Unus vocatus Joannes de [a] Annania, qui se et bona sua in statu Donati huic Domui tradidit. Alter quoque, « [b] Oblatus et benefactor Domus Trisulti, nomen habet dominus Chrysostomus Ananias. »

ANNUS 1208

[a] Ex chart. 1526.

[b] Ex chart. 1559.

JESU CHRISTI

ANNUS 1209.

Innocentii PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 12.	Ann. 126.	Ann. 30.

DOMUS GYRIENSIS ORDINI RESTITUITUR.

I. CHRISTI Jesu adest annus ducentesimus nonus supra millesimum, currente duodecima Indictione, quo Domus Vallis Sancti Mauritii in Gyrio in Sclavonia, quondam Ordini Cartusiensi ante annos circiter 40 addicta et a Nostris licet invitis anno 1189 derelicta, pristinis possessoribus restituitur interveniente autoritate serenissimi Principis Leopoldi Ducis Austriæ, ut constat ex restitutionis Literis hoc præsenti anno sub sequenti forma scriptis :

Litteræ restitutionis a Leopoldo Austriæ Duce datæ.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Amen. Luipoldus, Dei gratia, dux Austriæ et Styriæ, universis Christi fidelibus tam præsentibus quam futuris in perpetuum. Quia nonnunquam temporum labente circulo, res gestæ oblivionis consueverunt pati dispendium, et periculum diffidentiæ videtur frequenter turbare veritatem : hinc est quod nos, notitiæ tam præsentium quam futurorum transmittere curavimus, qualiter nos pro remedio animæ nostræ et parentum nostrorum tam vivorum quam mortuorum, Domum quamdam Cartusiensis Ordinis, Gyrio nomine, restituimus ; quæ cum quondam a venerabili Heinrico Gurcensis Ecclesiæ episcopo feliciter fuisset extructa, ab Ordine prædicto per successores memorati episcopi in alium fuit translata Ordinem, et sic pene annihilata est et destructa : quam nos inducti pietatis officio, ad honorem Domini nostri Jesu Christi et sanctissimæ ejus

Henricus Gurcensis Episcopus illius Fundator.

genitricis Mariæ et sancti Joannis Baptistæ, ad Ordinem Cartusiensem revocavimus, nostræ sibi manum consolationis porrigentes. Igitur juxta nostræ discretionis beneplacitum, possessionibus quas ab initio suæ extructionis habuit, et quas nos de novo adaugemus, certissimos assignamus terminos hoc modo : contra Orientem in loco ubi rivulus nomine Gothroynich fluit in torrentem qui dicitur Grassenich, sumunt initium termini prædictarum possessionum ; abhinc per tramitem dicti rivuli Gothroynich sursum se extendit terminus ad locum qui dicitur Crucetanne, qui separat terram nostram a terra Ortolphi de Monparis; ibi via pertransiens a læva ambit terminum suo descensu, qua meta deficiente, oritur in extremitate ejusdem viæ rivulus dictus Lochomel, qui item a læva manu circuit prædictum terminum usque ad villam, quæ sita est in littore eodem, quæ dicitur Theltsach, super quam eminet excelsa rupes ad quam de vertice proximi collis defluit rivulus, qui dat signum terminis. Rursum de summitate ejusdem collis ad aliam partem deorsum descendit rivulus in torrentem prædictum Grassenich, a quo incepit et hic etiam clauditur. Quodque hoc termino clauditur, nos, ut prædictum est, Deo et Beatissimæ Mariæ et S. Joanni Baptistæ inviolabiliter et perpetuo tradidimus. Præter hos terminos conferimus ei villam vinearum nomine Plamiuch. Præterea annuatim constituimus ei in foro Marchpurch quinque marcas Frisacensis pro piscibus. Concessimus etiam si quis ministerialium nostrorum prædia vel quævis alia, quæ sine nostro consensu dare non possunt, ei conferre voluerit, libere faciat, et Fratres Domus præfatæ illa perpetuo et sine infestatione possideant. Tale quoque præceptum statuimus, ne quis terminos eremitarum ibidem habitantium venationibus, vel pascendis pecoribus, vel lignorum incisionibus sive quibuslibet tumultuosis accessibus præsumat inquietare. Advocatiam etiam ejusdem loci nobis ipsis conservamus, et hanc totalem nostræ pietatis actionem sigilli nostri roboramus impressione. Si quis vero hujus nostri præcepti temerator extiterit, tremendi Judicis sentiat indignationem, et nostram procul dubio

ANNUS 1209

Ejus terminorum designatio.

Nova beneficia a duce collata.

ANNUS 1209

merebitur offensam. Testes autem qui in hac nostra præsentes fuerint donatione subscribere studuimus : Weregandus de Hohencke, Gebehardus de Sounette, Luitoldus de Peta, Dietmarus de Liechstentein, Otto de Chremis, Ulricus de Stubenberg, Cholo de Truchsen et fratres ejus Godefridus et Otto, Fridericus de Pettove, Reinbertus de Mureke, Albertus de Roas, Cholo de Rasa, Bertholdus dapifer de Emberberch, Albera pincerna de Grimmensteine, Rudegerus mareschalcus de Planchen Warte, Ekehardus de Libenck, Ottacher de Wolchensteine, Otto de Vasen, Gerhardus Chrumpach et frater suus Heinricus, Fratres de Wilthusen, Albertus de Sulh de Austria, Ulricus Struno, Werenhardus Struno, Heinricus de Prunnen, Heinricus camerarius de Tribans Winchel, Dietmarus de Ratelenperge, Ulricus de Wahinge, Wikerus de Luibes, Heinricus de Sibenhirten. Acta sunt hæc in foro nostro Marchpurch, anno Dominicæ Incarnationis 1209, Indictione duodecima, quinto Idus Septembris. »

Hujus etiam restitutionis meminit Cuspinianus in sua *Austria*, sic dicens : « Fuit Leopoldus *Pater Cleri* a plerisque dictus, cum sacerdotes nimirum veneraretur et monasteria collapsa reficeret : nam Cartusianorum claustrum Styriæ, Geirach vocitatum, reparavit et censibus auxit. »

HÆC RESTITUTIO FALSO AD ALIUD TEMPUS REJICITUR.

II. Supra portam hujus monasterii legitur, aut certe olim legebatur, sequens epigraphe : « Anno post Christum natum 1227, cartusia hæc ab illustrissimo ac potentissimo Domino Domino Leopoldo archiduce Austriæ, ad laudem Dei et honorem divi Mauritii fundata et dotata est. » Sed hujusmodi inscriptio antiquitatem non redolet, eo maxime quod Leopoldus in ea nominatur « Archidux » : cujus dignitatis titulus, secundum Lazium, primum attributus est Alberto Habsburgensi, Alberti I Imperatoris filio, cartusiæ Gemnicensis fundatori, qui diu post præfatum Leopoldum vixit. Præterea non solum ex supra scriptis ejusdem Leopoldi literis apparet hanc Domum restitutam fuisse ante annum 1227, sed idem etiam colligitur ex Innocentii Papæ bullis anno 1212 datis, quibus eam sub Apostolica suscipit protectione, quarum initium

Wolphangus Lazius lib. 3. rerum Viennens.

tale est : « Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Priori et Fratribus Domus de Gyrio, Cartusiensis Ordinis tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, etc.

ANNUS 1209

Innocentius nostros in hac Domo tuetur.

« Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, et Domum vestram cum omnibus bonis, pascuis et possessionibus quas impræsentiarum rationabiliter possidetis aut in futurum justis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, etc. Nec ullæ literæ firmitatem habeant, quas tacito nomine Cartusiensis Ordinis, et contra tenorem Apostolicorum Privilegiorum constiterit impetrari, etc. Datum Laterani per manum Joannis sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis, S. R. E. Cancellarii, Idibus Aprilis, Indictione 15, Incarnationis Dominicæ anno 1212, Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ III anno 15. »

Summorum et aliorum Pontificum in hanc Domum benevolentia.

Anno 1228 Gregorius IX simile concessit Privilegium. Anno 1264 Urbanus IV Leopoldi ducis literas superius exscriptas confirmavit.

Anno 1305 Ottobonus patriarcha Aquileyensis literas dedit quibus mandavit Archidiaconis, Plebanis eorumque vicariis Aquileyensis diœcesis, ut hujus Domus subditos, qui alieno se dominio subdiderant, redire compellerent; et oppressores ac invasores bonorum ejusdem Domus per ecclesiasticam censuram ad satisfactionem cogerent.

Ottobonus Patriarcha de quo supra similes literas dederat iisdem Domibus anno 1513.

Anno 1537 Nicolaus patriarcha Aquileyensis literas huic Domui concessit, et Domibus in Seitz et in Frenitz, in quibus declarat Nostros non teneri ad quarumcumque Sedis Apostolicæ exactionum solutionem, nisi expressa Cartusiensis Ordinis mentio Apostolicis in literis habeatur.

Anno 1458 Fortunatus episcopus Sarsenatensis, Ludovici S. R. E. cardinalis et patriarchæ Aquileyensis generalis in spiritualibus vicarius, omnium hujus Domus privilegiorum transumptum fieri curavit.

Quamdiu nostri in ea steterint.

Hæc Domus quatuordecim Monachos cum sex laicis Fra-

ANNUS 1209

Ex charta an. 1509.

tribus aluit usque ad annum 1506 quo cœpit paulatim deficere in utroque statu. Unde tribus post annis, per generalis Capituli Chartam « committitur Visitatori ut provideat Domibus in Gyrio et in Plectriach, de personis illuc mittendis ac etiam hinc amovendis, cum plena autoritate Capituli generalis. Et ut personæ promptiores reddantur illuc accedendi, spiritualibus duximus eas stipendiis remunerandas, concedentes unicuique, qui illuc accesserit et perseveraverit, unam Missam de Beata Maria a quolibet sacerdote dictæ Provinciæ celebrandam, ad relationem Visitatoris Provinciæ. » Annui reditus reddebant tunc centum tantum florenos Hungariæ, ut ex statu Domus in Chartis Visitatorum juxta morem Ordinis posito apparet. Sed anno 1541 auctæ erant facultates usque ad summam centum quinquaginta florenorum, præter alia bona quæ Nostri suis sive suorum servorum manibus colebant. Denique grassantibus Turcis pariter et Hæreticis omnia vastantibus, Nostris hanc Domum et alias ejusdem regionis deserere coactis, ipsas aliæ manus occupaverunt ut suis locis fusius enarrabimus.

V. ad an. 1564 et seqq.

CARTUSIÆ BELLILARICI FUNDATIO.

III. Hoc etiam præsenti anno, jacta sunt cartusiæ Bellilarici in ducatu Nivernensi et diœcesi Antissiodorensi fundamenta. Locus plane solitarius est, nemoribus et sylvis undequaque cinctus, ab urbibus remotissimus; ita ut tribus aut quatuor leucis versus orientem distet a Charitate, oppido noto ex Prioratu Ordinis Cluniacensis ditissimo unde et nomen accepit.

Qui fundatores.

Fundatores nullos agnovit præter Hervæum Donziaci dynastam et Mathildem Nivernensem comitissam ejus uxorem, qui hanc a fundamento erexerunt, ea, quæ sequitur, occasione.

Ex ms. Domus.

Sammarth. lib. 22. Histor. geneal.

Moto bello inter Petrum de Courtenay hujus nominis secundum, Ludovici Crassi Francorum regis nepotem (non filium ut Coquilleus et quidam e Nostris scripserunt), Antissiodorensem Nivernensemque comitem, et Hervæum, hujus nominis tertium, Donziaci dominum. Utrimque copiæ in aciem educuntur : prælium commissum juxta abbatiam sancti Laurentii sitam inter Polliacum et Bellilaricum; pugna ab ulla hominum memoria talis in istis partibus nunquam pugnata;

victoria a Domino donatur Hervæo. Hujus prælii diem et annum vetus ms. apud Sammarthanos ita commemorat : « Anno 1199, in festo Inventionis corporis B. Stephani Protomartyris, contritus est exercitus Petri comitis Nivernensis cum omnibus Baronibus et Coterellis. Factum est apud abbatiam B. Laurentii ab Hervæo domino Donziaci, BB. Stephano atque Laurentio ipsum adjuvantibus, cujus omnino ecclesiam destruxerunt. »

ANNUS 1209

Iidem tom. 4. Gall. Christ. in Abbatia S. Laurentii.

Is quamvis vela ejus tumerent secundo vento, a victo Petro, quem etiam captivum tenebat, expetitam pacem non abnuit, quam interventu et autoritate Philippi Augusti regis sancivit religione connubii cum Mathilde Petri filia; quæ nupta tandem contulit Hervæo comitatum Nivernensem. Verum quia utrumque conjugem sanguinis proximitate lex Dei a toro semovebat; ne matrimonium jam initum tamquam illicitum damnaretur, ab Innocentio tertio Summo Pontifice dispensatio imploratur; indulta quidem fuit, sed sub indictione constructionis trium monasteriorum in expiationem noxæ. Primum fuit Fratrum de Espallo, Ordinis Valliscaulium, (non Scholarium ut quidam posuit) sexto fere lapide a Donziaco constructum ; alterum de Boscofardelli, cujus tamen fundationem Coquilleus tribuit Guillelmo IV, comiti Nivernensi ; tertium quod Hervæus ædificavit monasterium, fuit hæc nostra Bellilarici Domus, cujus historiam conscripsit monachus quidam anonymus ex primis illius Professis, qui in ea vixit ab anno circiter 1220 usque ad annum 1270. Cujus vetus apographum habuimus, ex quo præclariora ac utiliora, juxta temporum seriem desumpta, suis interseremus locis. Sic igitur præfatus Autor suam orditur Historiam :

Occasio fundandæ Domus.

Ejus Historiam monachus anonymus scripsit.

« Ad laudem Dei omnipotentis, et gloriam atque honorem gloriosæ ejusdem Dei genitricis Mariæ, et omnium Sanctorum, et ad corroborandam fidei, spei, et charitatis tam futurorum quam præsentium, eorum maxime qui nostri Propositi sunt devotionem, scribere dignum duximus quemadmodum vel qua ratione Domus Bellilarici, seu Belli loci in Bellolarico, Cartusiensis Ordinis, primum a fundamentis ha-

Prolog. Histor. ms. ejusdem Dom.

ANNUS 1209

buerit exordium; et præcipue quæ per servos suos et in servis suis ibidem in Christi servitio pie commorantibus, divina potentia dignata est mirabiliter operari. Ad hoc nos excitat illa vox evangelica, qua videlicet facta refectione quinque millium hominum de quinque panibus hordeaceis in deserto et duobus piscibus, Dominus jussit fragmenta colligi ne perirent. Illud etiam quam maxime formidantes, ne si micas de mensa Domini decidentes collegerimus, tamquam pigros et negligentes apud justum Judicem nostra nos taciturnitas condemnasset. »

Deinde multa, capitulo primo, de Bellilarici nominis interpretatione subjungit autor, quæ præterimus velut ad rem nihil conducentia. Postea, capitulo secundo, occasionem qua Domum hanc exordium sumpsisse diximus, sic describit.

SUPRADICTA OCCASIO DESCRIBITUR.

Histor. ms. cap. 2.

IV. « Ipso igitur disponente qui omnia novit antequam fiant et quæ futura sunt fecit, eam quam in prædestinationis suæ providentia loci nostri ædificationem ante tempora factum cognoverat, præfinito ab æterno tempore ad notitiam hominum, eo judicio quo ipse noverat, hujusmodi occasione, ut dicitur, voluit esse faciendam. Post inimicitias itaque, et post congressionem illam quæ facta est anno Domini 1199 juxta abbatiam S. Laurentii, de qua victoriam obtinuit vir nobilis Hervæus Donziaci dominus contra Petrum comitem Antissiodorensem; facta postmodum inimicitiæ concordia, filiam ejusdem Comitis Mathildem duxit præfatus Nobilis in uxorem; cum qua etiam Nivernensem suscepit obtentu matrimonii comitatum. Sane cum dictum matrimonium illicitum esse diceretur, eo quod adinvicem quodam consanguinitatis gradu pertinere videbantur, impetrata a Summo Pontifice dispensatione, dedit eis in mandatis ut tres Domos Religiosorum (quarum una nostra hæc est, altera Domus Fratrum de Espallo, alia vero de Boscofardelli) ad honorem Dei et animarum salutem construerent, ut ab hujusmodi delicto veniam a Domino consequi mererentur. Ob hoc igitur missis apud Cartusiam, ut tantos Principes decebat, nunciis; cum generale Capitulum huic tam sancto operi præberet assen-

ANNUS 1209

sum, præmissi sunt duo Fratres laici quorum cura et industria fierent ædificia, in quibus Conventus in proximo venturus recipi deberet et ibidem Domino pie et laudabiliter deserviret. Anno itaque Domini 1209 (sicut cartulæ ejusdem Comitis de donatione loci confectæ nobis testificantur), XV Calendas Julii, ingressus est Conventus eremum Bellilarici cum Stephano Priore suo utique sanctissimo, et sicuti favente Domino dicemus in subditis, virtutum gratia sublimiter illustrato. Porro in inferiori Domo, tam Monachi quam Conversi pariter collocati ibidem divinum Officium celebrabant, expectantes donec in superiori loco ecclesia, refectorium et cellarum aliquantulæ perficerentur, quamvis tunc essent omnia istiusmodi ædificia lignea, parva pariter et angusta.

Quando Conventus novam Domum ingressus.

« Cum ergo basilica superior a carpentariis fabricaretur, ecce humani generis antiquus hostis, videns locum orationis et salutis construi et ex adverso malignitatis suæ fraudem destrui, doluit et invidit. Nam nocturnis temporibus veniens cum Angelis suis apostaticis tam terribilem strepitum et tumultum ibidem incutiebat, ac si malleo super ligna validissime percussissent. Unde ipsi artifices vehementer perterriti; qui nimirum, videlicet cum in refectorio, quod jam magna ex parte fuerat ædificatum, corpora ex diurno labore lassata sopori committere voluissent, præ nimio timore et frequenti dæmonum infestatione quiescere non valebant. Quo audito admirantes Monachi unum ex ipsis miserunt superius, quatenus per loca in quibus phantastica dæmonum illusio sæviebat, aquam benedictam circuiens aspergeret, et etiam, consolationis gratia et securitatis cum eisdem carpentariis somnum capiens pernoctaret; et sicut a sanctissimo Hermanno* id æstimo audiisse, tandem immundi spiritus recedentes extra pontem tanquam equi hinniebant, vocesque confusas atque terribiles quasi diversorum animalium emittebant. Qua de re (dilectissimi) astutias adversarii nostri, quamvis ubique circuiens quærat quem devoret, pertimescere non debemus; sed magis confidere et sperare, juxta Psalmographi sententiam, qui de hujusmodi adversariis intonans ait : Si consi-

Dæmones terrent opifices.

Ubi supra cap. 3.

Fugantur aqua benedicta.

* *Monacho ex primis ejusdem dom. incolis.*

Psal. 26.

ANNUS 1209

stant adversum me castra non timebit cor meum; si exurgat adversum me prælium in hoc ego sperabo. Non enim tam sævus tamque terribilis apparuisset, nisi omnium nostrum qui impræsentiarum sumus, quin etiam ac futurorum in hoc loco Christo servientium salutem, cui invidet, fabricari manifestius persensisset.

Fundatoris fervor tepescit.

Ubi supra cap. 4.

« Ea siquidem novitate dum hæc agerentur, vir præfatus Nobilis tanto fervore tantoque affectu circa promotionem nostræ quam inceperat Domus anhelabat, ut etiam quasi quodam jam pulsatus jactantiæ spiritu illam totius Ordinis speculum* promitteret se facturum. Sed quia homo dubius proponit et Deus salubrius disponit, qui utique vult omnes homines salvos fieri, voluit ut supradicto Principe a tam sancto proposito frigescente, sui qui advenerant famuli, vel qui venturi fuerant sibi in hoc loco humiliter servituri, per aliquantulum temporis in camino paupertatis expurgati majoris meriti fructuosiores esse probarentur; et fideles quamplurimi de facultatibus suis eorum inopiam sublevantes, facilius a Domino misericordiam mererentur. Unde contigit ut pro nimia victualium ac alimentorum egestate quam tunc Fratres voluntarie sustinebant, ad villas et castella proxima, causa quæritandi accedere cogerentur. Maxime autem ad castrum Sacri Cæsaris per plures annos vindemiarum tempore properantes, ad hospitium dominæ Bermundis*, religiosæ videlicet mulieris quæ cum viro suo Stephano hospitalitatis operibus devotissime insistebat, humiliter divertebant. Quæ profecto sancta mulier fervore devotionis accensa, cum Fratribus laicis ad singula pressoria audacter et hilariter introiens lagenam deferebat; ab uno quidem scyphum, ab alio vero pelvim vino plenam, ab altero autem sextarium, secundum quod uniuscujusque voluntas suggerebat aut suppetebat facultas, plus minusve accipiens, donec tandem dolium de hujusmodi donis adimpletum egenis Fratribus transferretur. » Hactenus de Bellilarici Domus fundatione. Quæ vero de primis illius incolis narrat Autor Historiæ, reservamus suis locis describenda.

* Spectaculum.

Nostri coguntur mendicare.

* *Al.* Beringardis.

Bermundis piæ mulieris in eos charitas.

V. Quod spectat ad Hervæum fundatorem, præter locum quem sub fundationis initium contulerat, alia quoque bona, terras et vineas concessit anno 1218, in cujus concessionis literis titulum accipit Comitis Nivernensis. Cæterum anno 1222 e Terra Sancta reversus ad quam non semel perrexerat, veneno interiit apud sanctum Anianum in Biturigibus, ubi et primum corpus ejus humatum, inde ad Pontiniacensem abbatiam delatum fuit, quo loco supremis testamenti tabulis suam delegerat sepulturam. Monachi tamen de Espallo asseverant corpus vel saltem partem quamdam, ut assolet fieri, ante majus ecclesiæ suæ altare sepultum fuisse, quod dicunt a majoribus suis accepisse. Siquidem eadem ecclesia, sicut et Bellilarici cartusia, anno 1562 ab Sacri Cæsaris hæreticis aliisque perduellibus incensa fuit ac penitus desolata. Unde fornicibus ecclesiæ injuria temporis decidentibus, ipsius sepulturæ locus ruderibus nunc et sentibus oppletus est; ita ut nulla ejusdem ibi supersint vestigia. Hujus Hervæi autor coævus in Chronico sancti Martini Turonensis ms. eum vocat « arcum justitiæ inflexibilem, continuamque hostium tempestatem. » Sed majori adhuc cum laude de ipso loquitur Vincentius Belvacensis. « Nec multo post, inquit, Hervæus de Giennis, comes Nivernensis, vir magnanimus, ecclesiastica jura conservans, præcipuus hæreticorum persecutor, hostium superator, fidelis vassallus Justitiæ, cujus etiam magnanimitati invidebant Barones Franciæ; apud S. Anianum in Bituria castrum suum moritur, ibique in quindena Dominicæ Ascensionis tumulatur. Porro Abbate Pontiniacensi cum septem Abbatibus, pluribusque Monachis et aliis multis venientibus ut corpus ejus secum portarent, fere a minutis populis lapidantur. Demum tamen idem corpus apud Pontiniacum transfertur. » Hæc Belvacensis. Et ibidem, nempe in Pontiniaci ecclesia, ad ejus tumulum hæc duo carmina pro epitaphio leguntur. »

ANNUS 1209

FUNDATORIS OBITUS ET ELOGIUM.

Sammarth. Histor. gener. Franc. ubi supra.

Bohic. Annal. ms. ad hunc annum.

In Speculo histor. lib. 31. c. 123.

Hic lapis Hervæi comitis celat faciei
Formam, forma Dei clarificetur ei.

ANNUS 1209

MATHILDIS EJUS UXOR BEFICIA EJUS CONFIRMAT.

VI. Mortuo Hervæo, Mathildis ejus vidua eodem anno fundationem confirmat novaque confert beneficia, ut ex sequentibus literis apparet :

« Ego Mathildis, comitissa Nivernensis, notum facimus præsentibus et futuris quod Hervæus bonæ memoriæ charissimus maritus noster, quondam Comes Nivernensis, de consensu nostro dedit et concessit Fratribus Cartusiensis Ordinis locum qui dicitur *Villa Salvagiarum,* terras, prata et omnes teneuras quas habebant homines qui ibi manere solebant. Nos vero prædictam donationem ratam et firmam habentes, donamus et concedimus eisdem Fratribus pro remedio animæ nostræ et prædecessorum nostrorum, partem quam habuimus in terris, etc. Concedimus etiam eisdem Fratribus, ut ipsi et servientes, animalia et pecora, quadrigæ et quarri eorum per totam terram nostram ab omni pedagio, theloneo, corvæis et charræis sint immunes. Donamus etiam eisdem pasturas ad opus omnium bestiarum suarum ubique, etc. Concedentes etiam ut acquirere valeant quæcumque voluerint et potuerint. Et si forsitan ipsi, vel servientes vel canes ipsorum, ceperint vel occiderint casu fortuito feras in nemoribus nostris vel in terris de forisfacto, ipsos in pace volumus remanere. Præterea volumus et concedimus quod quidquid Comes supradictus eisdem Fratribus dedit, et quidquid eisdem dedimus, et quidquid acquisierunt vel de cætero acquisierint, libere teneantur et quiete. Ut autem prædictæ donationes et concessiones ratæ et firmæ futuris temporibus habeantur, et ne possint ab aliquo hæredum nostrorum seu quolibet alio revocari de cætero vel infringi, nostrum sigillum præsentibus literis apponi fecimus in testimonium et munimen. Actum apud Clamiciacum, anno 1222, mense Octobri. »

Fundationem auget cum Guidone altero marito.

Anno quoque 1225, eadem Mathildis adhuc vidua, alias concessit literas in ejusdem Domus favorem scriptas apud Druyam mense Septembri. Cumque postea ad secundas convolasset nuptias cum Guidone comite Forensi, beneficia a se et priori marito concessa, voluit iterum ab altero confirmari et augeri, dato tali diplomate :

« Ego Guido comes, et ego Mathildis uxor ejus comitissa Nivernensis et Forensis, universis præsentibus pariter et futuris ad quos præsentes literæ pervenerint, notum fieri volumus quod ego Comitissa, et bonæ memoriæ quondam vir meus Hervæus comes, cum in proprio fundo construi fecissemus Domum Belliloci de Bellolarico Cartusiensis Ordinis, eidem Domui minus provisum fuit ab initio in nemoribus quæ circumcingerent Domum ipsam. Unde Fratres ibi Domino servientes, tum ab emptoribus nemorum ipsorum quæ circa sunt frequenter multas molestias sustinebant, tum de porcis quando erant in pasnagio, tum de carbonariis quorum fumus cellas monachorum quandoque implebat non sine multa eorum molestia, tum in pluribus aliis, etc. Ea ratione, ego G. Comes et ego Comitissa ut suppleremus quod minus factum est in jam dictæ Domus prima fundatione, et eidem provideremus circa hunc articulum in futurum pia liberalitate, divino intuitu, ob remedium animarum nostrarum, eidem Domui et Fratribus ibidem Domino servientibus donamus et concedimus in perpetuum partem illam nemoris, etc., in corporalem eos possessionem ejusdem nemoris inducentes. Et ut hæc nostra donatio et concessio futuris non debeat temporibus irritari, eam præsenti Instrumento et sigillorum nostrorum patrocinio communivimus. Actum anno Domini 1230. » ANNUS 1209

In chartophilacio hujus Domus habentur et aliæ dictorum Comitum literæ, in quibus Comes vocatur Guigo, non Guido. Ultima harum literarum data est anno 1236, mense Februario, die Veneris post Cathedram S. Petri. Eo, sexennio post sine liberis defuncto, Mathildis diu in viduitate vixit. Nam anno 1253 adhuc morabatur apud Clameciacum ; tandemque induto monialis habitu in abbatia Fontis Evraldi, diem ibi clausit extremum, 2 vel 12 Decembris, juxta Coquilleum ; vel 29 Julii juxta Bellilarici necrologium. Annus vero incertus est. Ex ea et Hervæo priore marito nata est Agnes filia unica, Guidoni de Chastillon comitis S. Pauli nupta ; ex quo habuit filiam Yolandam Archambaldi domini

Quando obiit Guido.

Item et præfata Mathildis.

ANNUS 1209

de Borbonio uxorem. Hæc autem genuit Mathildem a Borbonio, quæ Odoni a Burgundia nupta, fuit Comitissa Nivernensis et hujus cartusiæ benefactrix.

BENEFACTORES DOMUS BELLILARICI.

VII. Inter hujus Domus benefactores præcipui annumerandi sunt domini de Montefalconis, de quibus sic habet autor hujus Domus Historiæ, de Stephano Protopriore loquens : « Sara illustris Domina Montisfalconis ad exhortationem illius (Stephani) non solum ipsa, verum et multi de cognationis ejus progenie Nobiles ab initio Domus tanta per eum contulerunt et adhuc conferunt beneficia, quod post loci fundatores specialissimi benefactores merito nominentur.

Domini de Montefalconis

Guido de Monte Perron quædam concessit, Guillelmi episcopi Antissiodorensis literis confirmata anno 1220.

Gacius abbas S. Laurentii prope Conadam cum toto suo Conventu decimas concessit, et alia plura contenta in literis datis anno 1225 die sexta Augusti, præsente et consentiente Henrico episcopo Antissiodorensi ; cujus etiam extant literæ eodem anno in festo S. Laurentii scriptæ. Idem etiam Episcopus anno 1231 quædam largitus est.

Gaufridus de Burliaco, marescallus Nivernensis, anno 1231 et iterum quinquennio post, decimas dedit, donationem laudantibus Andelina ejus uxore, Joanne, Gaufredo, Elisabetha, et Maria eorum liberis.

Alii benefactores fuerunt Joannes de Castronovo anno 1232 ; Herbertus decanus Antissiodorensis, qui moriens anno 1259 septimo Calendas Augusti, jacet apud Cartusienses hujus Domus, quos difficillimis temporibus foverat suis facultatibus, sicut testantur Sammarthani.

Henricus le Retif, cujus obitus denunciatur in Charta anni 1494, dicitur benefactor, sicut et Domina Ludovica Desbans quæ post mortem commendatur in Charta anni 1514.

Ex chartis Cap. gener.

Floruit in hac Domo observantia Ordinis per ducentos et amplius annos, donec ab Anglis et Burgundis circa annum 1423 vastata et eversa, monachis etiam suis per plures annos vacua fuerit. Cumque post seculum unum velut ab interitu

excitata ad pristinum statum redire videretur : ita plenam iterum ruinam ab hæreticis perpessa est, ut vix etiamnum, diuturna licet pace recreata, octo possit Monachos ex suis facultatibus alere.

ANNUS 1209

JESU CHRISTI

ANNUS 1210.

Innocentii PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 13.	Ann. 127.	Ann. 31.

BENEDICTINI MONTISMERULÆ FIUNT CARTUSIENSES.

I. ANNUS Christi millesimus ducentesimus decimus exurgit, Indictione tertia, quo Prior et monachi monasterii Montismerulæ Ordinis S. Benedicti album Cartusiensium habitum, nigro relicto, induerunt, ac se suamque Domum cum omnibus illius facultatibus ad Nos, Summi Pontificis autoritate, transtulerunt. Inde exacerbatus Jugi Dei Abbas, cui Mons Merulæ quoad spiritualia ab annis aliquot subjectus erat, novos Cartusienses cœpit adeo lacessere, ut etiam aliquando eos e monasterio ejecerit. At illi post emensum durum ac diuturnum tirocinium ad sua non sine aliquo Abbatis pudore reversi, vitæ solitariæ quietem suavius degustarunt. Sed rem ab ovo resumamus.

Sup. an. 1168. num. 6 et seq.

Consuetud. Guigon. c. 41. num. 1.

Olim subditi Prioratui Sellionis.

Guicheno Hist. Bress. et Burg.

Vidimus anno 1168 Sellionenses Benedictinos Cartusiensium Institutum amplexos esse. Hi cum juxta novæ suæ professionis Statuta quicquam, sive etiam ecclesias (ut loquitur noster Guigo) extra circumscriptos a Patribus terminos possidere non possent, Prioratum Montismerulæ a sua fundatione sibi subditum, libenter nulla facta mora dimiserunt, jus omne suum Abbati Jugi Dei transcribentes. Hanc cessionem aliquot post annis utraque pars sub certis conditionibus confirmavit, scriptis codicillis quos Guicheno inter Probationes suæ Historiæ sub hoc tenore retulit :

« Multis incommodis prudenter occurrimus, cum ætatis

nostræ negotia litterarum memoriæ commendamus : ideo charta præsenti ad notitiam omnium exarare curavimus, quod priusquam Ordo Cartusiensis in Domo Sellionis eluceceret, Domus de Montemerulo regulari famulatu ei subjacebat; sed quoniam præfatus Ordo Cartusiensis extra circumpositos terminos aliquid possidere non patitur, Fratres Sellionis sibi provide consulentes, convocatis religiosis viris, Raynaldo scilicet abbate de Jugo Dei et Guichardo ejusdem Domus Monacho, commendaverunt eis et Domui de Jugo Dei Domum de Montemerulo, talem pacti modum disserentes, quod cum facultas rerum et tempus expostularet et voluntas Dei annueret, in Domo de Montemerulo abbatiam fieri concederent, nec in ea homines alterius præterquam Tyronensis professionis intromitterent; istud quoque sedatum est, quod illi de Montemerulo animalia sua infra pascuales terminos Sellionis ipsis invitis non pascant, nec aliquod ædificium construant, et in tempore vindemiarum in confinio Sellionis, id est, Tessongiaci, Saiseriaci, Revonaci, vinum non emant contra ipsorum voluntatem aut permissum : prædicta litterarum apicibus annotare dignum duximus, quod ex utraque parte sancitum est, ut certus numerus monachorum in præfato loco Montismeruli conservetur, nec amplius quam quindecim monachi cum eorum Abbate sub monachali professione ibi habeantur ; hoc autem diligenter paginæ huic inseruimus, quod primo Dom. Domino G. de Jugo Dei existente Abbate, atque Domino G. Priore Sellionis heirogriphum recitatum est, et apud utramque Domum in communi Conventu confirmatum. Facta est vero hæc confirmatio anno ab Incarnatione Domini 1186, Indictione quarta, quæ per alphabetum divisa est apud utrosque in testimonium conservanda perpetuum. »

ANNUS 1210

Deinde Abbatiæ de Jugo Dei.

His ita transactis, Montismerulæ monachi, sub Benedictino ut prius, vexillo militantes, Domus suæ facultates auxerunt acceptis beneficiis a quibusdam vicinis Nobilibus, inter quos eminent Raynaldus de Balgiaco, et Clementia de Beyviers Bernardi de Monteruyno vidua, quæ annis 1200 et 1207

Eorum benefactores præcipui.

Ex Tabular. Domus.

ANNUS 1210

diversas fecit donationes, approbantibus Berardo de Beyviers illius germano, et Ulrico de Balgiaco ac Guidone ejus filio tamquam supremis Dominis.

MUTATIONEM ORDINIS PAPA CONFIRMAT.

II. Hoc denique anno, R. quondam Tyronensis abbatiæ monachus, tunc vero Montismerulæ Prior et Fratres illius, Sellionensium suorum olim patronorum secuti vestigia, dimisso ut diximus Benedictino labaro, Cartusiensium cilicio se convestierunt; eorum ad nos translationem confirmante Summo Pontifice, cujus bulla subjicitur ex eisdem desumpta Probationibus.

Inter probationes Histor. Bress. ubi supra.

« Innocentius episcopus, etc. Dilectis filiis Superiori et conventui Montismerulæ salutem et Apostolicam benedictionem. Cum esset olim monasterio Sellionis Domus vestra subjecta, illo se demum per inspirationem divinam ad Cartusiensem Ordinem se transferente, de providentia ejus fuit Abbatiæ de Jugo Dei Domus memorata commissa, cui vos hactenus obedientes in spiritualibus extitistis : nunc autem prioris capitis vestri sanctam religionem videntes in Domino profecisse, sicut bona membra cupitis illam sequi et Cartusiensem Ordinem profiteri. Nos igitur piis vestris postulationibus annuentes, autoritate vobis præsentium indulgemus ut, nonobstante temeraria contradictione cujusquam, libere ad ipsum Ordinem transeatis, etc. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, IV Calend. Maii, Pontificatus nostri anno XIII. »

Innocentius electus fuit anno 1198, 8 Calendas Martii ac proinde tertius decimus illius Pontificatus annus in præfata bulla notatus, hoc anno occurrit, non 1212 ut quidam incaute posuerunt. Post obtentam hujusmodi Pontificiam licentiam, voluerunt Abbas et Conventus Jugi Dei in Nostros, ac si essent adhuc sui, jurisdictionem exercere, eos acriter licet clanculum persequentes. Quamobrem interpellatus Summus Pontifex, quoscumque Ecclesiæ Prælatos per bullam Anagniæ datam 17 Calendas Septembris, Pontificatus sui anno quinto decimo qui fuit Christi 1213, hortatus est mandans et præcipiens, quatenus Fratres Domus Montismerulæ Cartusiensis

Eos contra Abbatem Jugi Dei protegit.

Ordinis, merito suæ Religionis charos, defendant contra eos qui prædictos Fratres ex occasione aliqua persequuntur; ac quemcumque, qui contra indulta eis privilegia venire præsumpserit, per censuram ecclesiasticam, nullius contradictione vel appellatione obstante, compescant. »

ANNUS 1210

Ex Tabulis Domus.

Interim præfatus Abbas subreptitias ab eodem Innocentio obtinuit litteras, quibus Commissarii ei addicti ad rem diffinite judicandam nominabantur ; unde magna Cartusienses inter et Benedictinos excitata est perturbatio, de qua fusius post tres annos agemus.

Inde turbæ inter nos et Benedict.

III. Sita est hæc Domus in Sebusia et diœcesi Lugdunensi, juxta oppidum S. Juliani, flumine intermedio, et ab oppido Montrevel una distans leuca. Swertius scribit eam esse in Ararim ripa opposita ; sed insigni errore eam confundit cum monasterio PP. Minimorum in Dumbensi tractu, quod etiam Montismerulæ nomen habet. Sancto Stephano, antequam nobis ascriberetur, dicatam esse vult Guicheno ; sed eam tunc Sanctæ Mariæ titulum habuisse reperio ex variis documentis. Sic enim eam nuncupat Raynaldus de Balgiaco in litteris datis circa annum 1180 quo ipse obiit. Sunt autem hujus tenoris.

SITUS HUJUS CARTUSIÆ.

In Archiep. Lugdun. sub Raynaldo.

Quo nomine sub Benedictinis appellata.

« Noscant præsentes et posteri quod ego Raynaldus de Baugiaco laudante uxore mea et filiis meis, Ulrico videlicet atque Raynauda, laudantibus pro salute animæ meæ et antecessorum nostrorum, Domui sanctæ Mariæ Montismerulæ quicquid in franchesia continetur, quod ad jus meum pertinet, concedo et in perpetuum dono. Hujus donationis testes : venerabilis Stephanus Matisconensis episcopus, dominus Humbertus Prior Sellionis, et Rolandus de Asnieres et Humbertus frater ejus, Gofredus Martinus, Bernardus de Montegilbert, Milo de Courtos. »

Hugo de Coloniaco, cartusiæ Siligniaci fundator, Benedictinis Montismerulæ quædam bona conferens, eamdem B. Mariæ nuncupationem eorum ecclesiæ tribuit, ut fidem facit ejus donationis Instrumentum inter *Observationes* Caroli Dufresnii Cangii editum ut sequitur :

ANNUS 1210

« Notum sit omnibus quod dominus Hugo de Coloniaco proficiscens Jerosolymam, dedit Deo et S. Mariæ de Montmerle pro salute animæ suæ et antecessorum suorum terras, prata, nemora et pascua ad grangiam ædificandam. Promisit autem hanc grangiam fore liberam ab omni consuetudine et exemptione sui et suorum in perpetuum. Fecit autem hoc donum apud Ambroniacum, anno Verbi Incarnati 1202, feria quarta, luna tertia, etc. »

Sub Cartusiensibus.

Ex his igitur patet hanc Domum dum a Benedictinis tenebatur sanctæ Mariæ solum inscriptam fuisse, quæ post suam ad nos translationem dicta est Domus Vallis S. Stephani, ut videre erit tum ex bullis Summorum Pontificum suis locis inserendis, tum ex aliis benefactorum Instrumentis, quorum quædam libet hic exscribere.

Raynaldus dominus de Balgiaco, filius Ulrici et alterius Raynaldi nepos, de quo supra, hanc cartusiam, ut diximus, in suam suscipiens tutelam, Vallem S. Stephani eam nuncupat scripto tali diplomate :

« Ego Raynaudus, dominus Baugiaci, notum facio universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, quod ego promisi bona fide, in præsentia S. Evangelii, Fratri Martino Priori et Fratribus Domus Vallis S. Stephani Cartusiensis Ordinis, quæ *Montmerle* vocari consuevit, personas ejusdem Domus, familias, homines et omnia bona mobilia et immobilia ad eamdem Domum et ad omnes prædictas personas pertinentia ubicumque sint constituta, custodire fideliter et servare prout res meas proprias ; intendo cum Domini adjutorio defendere et gardare, nec permittam pro posse meo, quod a me, vel meis seu etiam ab aliis vicinis sive extraneis, recipiant in personis vel in rebus suis injuriam aliquam aut guerram ; ita quod antedicti Fratres in pace et tranquillitate cum suis omnibus pertinentiis bene defensi et custoditi dignas Domino hostias pro seipsis, et me et domina et matre mea et S. uxore mea et omnibus antecessoribus meis vivis et defunctis, quotidie valeant quietius et devotius ministrare, etc. Actum anno gratiæ Domini 1231. »

ANNUS
1210

Albertus de Turre et Beatrix uxor ejus, filia et hæres Hugonis de Coloniaco (de quo etiam supra), donationes ejus Benedictinis quondam factas, Cartusiensibus confirmant : « Notum, inquiunt, facimus nos cum filiis nostris concessisse et laudasse, Deo et Beatæ Mariæ ac Sanctis præsentibus et futuris Domus Vallis S. Stephani Cartusiensis Ordinis, quæ vocari consuevit Montmerle, omnes eleemosynas, etc. Sicut præfatus Hugo concessit, etc. Actum an. MCCXXXIV. »

Christoph. Justel. in probat. Genealog. de Turre lib. 5.

A QUO FUNDATA PRO BENEDICTINIS.

IV. Fundationis illius pro Benedictinis autorem Guicheno facit Hugonem de Asneriis, S. Juliani super Reyssousse dominum ; idque probare nititur autoritate quarumdam litterarum Alexandri IV, quibus Summus Pontifex Humberto, præfati Hugonis filio, licentiam dans sepulturam in hac domo eligendi, eumdem Hugonem fundatorem vocat.

Guichen. ubi supra.

« Alexander, etc. Dilecto filio nobili viro Humberto de Asneriis Lugdunensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem. Pro devotione sincera quam circa dilectos filios Fratres Domus Vallis S. Stephani, Cartusiensis Ordinis, Lugdunensis diœcesis, obtentu nominis divini gerere diceris, te digne prosequimur favoris gratia specialis. Cum itaque Hugo quondam pater tuus, sicut asseris, Domum ipsam de propriis bonis suis pietatis intuitu fundaverit, et ipsius corpus sit ibidem ecclesiasticæ traditum sepulturæ ; nos tuis supplicationibus inclinati, ut, si Fratribus ejusdem placeat, tu in eadem Domo possis eligere sepulturam, statuto contrario ipsius Ordinis nonobstante, tibi autoritate præsentium licentiam elargimur. Datum Neapoli, sexto Kal. Februarii, Pontificatus nostri anno I » qui fuit Christi 1255.

Etsi hujus bullæ autoritas dubia non videatur, eam tamen parum conferre credimus ad asserendum Hugoni fundatoris titulum, quem Summus Pontifex ei ad solam ejus filii testificationem tribuit. Nihil enim in hujus Domus tabulario præter præfatam bullam occurrit, quo demonstrari possit Prioratum hunc ab Hugone dotatum et ædificatum fuisse, cujus tamen fundator ex eo solum dici potuit, quod præcipuus forsan extiterit illius benefactor. Hanc igitur prærogativam

ANNUS 1210

censemus Dominis de Balgiaco potiori jure tribuendam, qui tot ei bona et privilegia concesserunt, non solum ante, sed post illius ad Ordinem nostrum transcriptionem. Unde miror Rolandum et Humbertum de Asneriis milites, quos Guicheno asserit ejusdem Hugonis fuisse filios, in Calendario dici « Fundatores Domus istius. » Nam si hic Humbertus idem est qui litteras a Summo Pontifice anno 1255 impetravit, cur in his eumdem sibi non arrogavit titulum ? Nihilominus eidem Humberto ejusque antecessoribus benefactorum nomen non videtur esse denegandum.

Qui novæ Cartusiæ benefactores.

Ex Calendario Domus.

Primus novis Cartusiensibus in hac Domo gratificatus fuisse agnoscitur Raynaldus de Balgiaco, Ulrici filius et alterius Raynaldi (de quo supra) nepos, qui ducentas libras in cellarum ædificationem largitus est, nostrosque ac res eorum omnes in suam clientelam adscivit.

Paris. Hist. Angl. ad an. 1239.

Goswin. de Episc. Hereford.

Albertus, dominus de Turre et de Coloniaco, ex Beatricis uxoris parte anno 1234, ut jam vidimus, et Joannes comes Burgundiæ anno 1237 quædam bona contulerunt, sicut Petrus de Egueblanc sive de Aquabella in Sabaudia, Guillelmi Sabaudi, Thomæ comitis filii, episcopi Valentinensis promus sive expensarum procurator (ut eum vocat Matthæus Parisiensis) qui dominum suum in Angliam secutus, ejus gratia ad episcopatum Herefordensem evectus est, unde forsan Parisiensis, Sabaudis infensus, in Petrum invehitur ejusque famam multis ignominiæ maculis obscurat. Constat tamen eum fuisse virum in pauperes monachos beneficum. Novos namque Cartusienses in hac Domo rerum temporalium inopia laborantes tot bonorum largitione levavit, ut magni benefactoris nomen meruerit. Cœnobium quoque apud Aquambellam ubi natus est, condidisse, atque Canonicis Herefordensibus 190 frumenti modios certa lege annuatim distribuendos legasse, scribit Goswinus. Obiit anno 1268 quo etiam tempore decessit alter hujus Domus benefactor, scilicet Stephanus de Montelupello Humberti in Domum Portarum benefici filius, et in gratiam Sabaudorum apud Regem Angliæ favore pollentium Cantuariensis archidiaconus.

ANNUS 1210

Stephanus de Thoire et de Villars, anno 1246; Pontius de Gorrevod, Guidonis (a quo Duces de Pont de Vaux) filius, anno 1260; Joannes de Balma comes de Montrevel, anno 1435; et plures alii quos Guicheno diversis in locis recenset. Qui vero in Chartis Capitularibus inter defunctos reperiuntur, hi sunt: Joannes Morelli[a] dicitur promotor et benefactor Montismerulæ et Vallisbonæ. Honesta domina[b] Peronetta Malacherde. Philibertus[c] Emmanuel Dortans, dominus de Lyonnieres. Joannes Duradus[d], curio parœciæ Varennæ S. Salvatoris, singularis dicitur benefactor, quamobrem Missam de B. Maria meruit per totum Ordinem, et anniversarium sub die obitus sui, 5 Octobris.

Guichenon in famil. Bress.

[a] Ex ch. 1457.
[b] Ex ch. 1498.
[c] Ex ch. 1618.
[d] Ex ch. 1640.

DOMUS SILIGNIACI FUNDATUR.

V. Hoc pariter anno fundatio cartusiæ Vallis sancti Martini de Siligniaco, quam ante decem annos Hugo, dominus de Coliniaco pergens in Terram Sanctam instituere decreverat, cœpit perduci ad effectum, Stephani Burgundiæ auspiciis et liberalitate; negotium hoc procurantibus Stephano Portarum et altero Stephano Sellionensis cartusiarum Prioribus, quorum precibus excitatus pius Comes, quicquid juris in villa dicta de Siliniaco habere poterat et usum pascuorum per totam terram suam contulit scripto sequenti diplomate :

« In nomine S. et individuæ Trinitatis, Amen. Ego Stephanus, comes Burgundiæ, notum facio quod pro remedio animæ meæ et patris mei. . . . Deo et Ordini Cartusiensi libere et absolute dedi per manus Stephani Prioris Portarum et Stephani Prioris Sellionis, quicquid juris habebam in villa quæ Siliniacus dicitur et in appenditiis ejus; atque locum ipsum cum habitatoribus et omnibus rebus suis sub protectione mea et successorum meorum in perpetuum suscepi, et eos manutenere et defendere bona fide promisi. Præterea per totam terram meam usum pascuorum eis concessi, etc. Actum est hoc in Capitulo Giniaci, anno ab Incarn. MCCX.. »

Anno sequenti Guillelmus de Coliniaco, Hugonis primi fundatoris frater, non solum ejus donationem approbavit, sed cuncta quæ apud Siligniacum possidebat, generose largitus est; novamque plantationem ab omni vectigali et pedagio

ANNUS 1210

exemit, in suam clientelam adscivit, ac jure pascendi animalia donavit; scriptis sua munificentia literis in castro S. Andreæ, coram utroque Stephano Portarum et Sellionis ac Ogerio Boniloci cartusiarum Prioribus.

Eodem itaque tempore, sufficientibus, pro more hujus ætatis ad habitandum aptatis ædificiis, locus ab Ordine acceptus est et in eum missi Monachi. Sita est hæc Domus in Sebusia et diœcesi Lugdunensi, inter oppida de *Chavanes* et de *Cormorant,* ab utroque una fere leuca distans in valle altissimi montis. Ecclesia sancto Martino dicata, nomen toti Domui dedit Vallis S. Martini de Siligniaco. Albertus de Turre et Beatrix de Coliniaco illius uxor, præfatorum Hugonis patris sui et Guillelmi patrui fundatorum hæres, omnes donationes confirmavere et auxere, multaque bona cæteris harum regionum Domibus præstitere.

Inter præcipuos ejusdem Domus benefactores annumerantur Joannes de Burgundia Stephani de quo supra filius, vivente patre comes Cabilonensis dictus; feudum quoddam dedit anno 1245, Montemque Merulæ suis locupletavit facultatibus et in Domo Luvigniaci fundavit anniversarium suum; et in literis dotalibus, an. 1244 scriptis, meminit Mathildis quondam uxoris suæ et Elisabethæ alterius uxoris tunc viventis. Ludovicus, dominus de Bellojoco, anno 1277 immunitatem et exemptionem ab omni peagio, et centum cyprinos seu carpas quotannis in magno suo stagno captandas concessit. Raynaldus, comes Montis Belligardi, exemit ab omni pedagio et copponagio (ut loquuntur tabulæ), ratione frumenti vendendi seu emendi in nundinis de Montfleur et de Tramelay. Hic præterea erga totum Ordinem bene affectus,
Ex ch. cap. gen. 1315. preces a Capitulo generali sæpe petebat et obtinebat pro se, uxore et filiis suis. Guillemetta ejus conjux, Comitis de Novo castro filia, post obitum suum meruit tricenarium per
Ex ch. 1318. totum Ordinem. Hugo de Chambut et Bernardus filius ejus circa an. 1220 quasdam decimas largiti sunt. Guioninus de Thoire eques, et Humbertus dominus de Thoire et de Villars
Ex ch. 1280. immunitates et pascua contulere. Idem Humbertus in gra-

tiam collatorum beneficiorum precibus Ordinis dum vivebat commendabatur, obiit primo quarti decimi seculi anno. In Chartis vero capitularibus post mortem, cum beneficio tricenarii, denunciantur Joannes Cathodi[a] legum doctor et Joannes Parvi Guinchardi[b]; Antonius de Saxo[c] vir potens nominatur, et Petrus Ruffi[d] benefactor quoque dicitur.

ANNUS 1210

[a] [b] Ex chart. 1438.
[c] Ex ch. 1512.
[d] Ex ch. 1516.

QUIDAM NOBILIS INFESTUS DOMUI ANGIONIS RECONCILIATUR.

VI. Hoc etiam anno Bernardus, Genevensis episcopus, Guidonem de Monz ex genere fundatorum Domus Alionis (sive Angionis) cum monachis ejusdem Cartusiæ reconciliavit multaque ab eo beneficia in eorum gratiam impetravit, ut ex subjecto apparet diplomate. « Universis ad quos præsens scriptum pervenerit, Bernardus divina permissione Gebennensis Ep. salutem in Auctore salutis. Noverit Universitas vestra quod Guido de Monz in nostra præsentia constitutus, concessit et dedit Domui Alionis quicquid juris habebat, vel videbatur habere, infra terminos ejusdem Domus, et dominium in pratis, in pascuis, in nemoribus, in aquis sive in cursu aquarum, in vinea et in omnibus terris cultis et incultis. Quæ autem habebant homines ipsius Guidonis infra terminos Domus Alionis, si Domus Alionis ea posset acquirere, libere ac quiete possidenda concessit ; omnesque calumnias et querelas, quas prius fecerat, idem Guido guerpivit et solvit Domui Alionis in perpetuum. Insuper laudavit bona fide quæcumque antecessores sui contulerant prædictæ Domui dando vel vendendo ; et de omnibus investituris, quibus Domus Alionis eo tempore investita fuerat, pacem fecit. Præterea idem Guido dedit in eleemosynam Fratribus Domus Alionis quamdam terram, et inde investivit eos, et guerentem contra omnes se esse promisit. Quæ terra terminatur, etc. Et habuit ipse Guido a Domo Alionis propter hoc quingentos solidos Gebennensis monetæ. Posuit etiam dictus Guido bannum, quod si quis suorum causa pascendi animalia cujuscumque generis infra terminos Domus Alionis mittere præsumeret, omni remota occasione, a violatore sumeret bannum trium solidorum : quia nec ipse Guido, nec alius causa pascendi, animalia cujuscumque generis infra terminos

Ex originali.

ANNUS 1210

Domus Alionis mittere debet. Si etiam contingeret quod Guido dictus latronem infra terminos domus Alionis caperet, super hoc voluntati Domus Alionis staret. Concessit præterea dictus Guido pascua Domui Alionis in terra sua. Juravit autem ipse Guido in manu nostra, quod prædicta omnia in perpetuum fideliter observaret, et quod super prædictis Domui Alionis defensor existeret, et contravenientibus sese opponeret bona fide. Fidejussores etiam dedit et ostagios dictus Guido Domui Alionis : Petrum de Brusiniauz militem, Joannem Fabrum, et Tiodum, et Anselmum, et Arduinum fratres ejus ; Stephanum de Veromeis, Bornonem et Costier ejus filium. . . . . . , Willelmum Breton, Aymonem del Buignum, etc. Qui omnes tenentur facere ostagium ubicumque nos voluerimus, vel successor noster Episcopus Gebennensis, dummodo ibi securi esse possint, si Guido, vel hæres ejus, aliquam injuriam Domui Alionis faceret, donec esset Domui Alionis plenarie satisfactum. Et hoc ipse Guido et fidejussores juraverunt ; ita tamen quod si quis fidejussor dum esset in ostagio moreretur, non posset illi christiana sepultura negari, sed hæres illius loco ejus fidejussor esset, et ostagium facere teneretur. Similiter si quis fidejussor vellet ire in Peregrinationes vel intrare in Religionem, sive esset in ostagio sive non, a Domo Alionis non posset aliquatenus impediri. In cujus rei testimonium præsentem chartam sigilli nostri munimine curavimus roborare. Ego etiam Ludovicus abbas Laci Juris, Præmonstratensis Ordinis ; et ego Albertus decanus, et nos Priores Cartusiensis Ordinis Willelmus Repausatorii, Hugo Pomerii, Petrus Valonis, Gaucherus Alionis, Petrus Sancti Joannis Gebennensis. Et nos Amedeus Gebennensis dominus de Jaiz, Joannes dominus de Cosonai milites, de mandato Guidonis de Monz, et rogati testes, sigilla nostra apposuimus in testimonium prædictorum. Actum apud Monen, anno ab Incarnatione Domini MCCX, mense Julio, quinto Idus ejusdem mensis. Sigillum Bernardi Gebennensis episcopi. Sigillum Ludovici abbatis Laci Juris. Sigillum Alberti decani. Sigillum Willelmi Prioris Repausatorii. Sigillum Hugonis Prioris

Pomerii. Sigillum Petri Prioris Valonis. Sigillum Gaucheri Prioris Alionis. Sigillum Petri Prioris S. Joannis Gebennensis. Sigillum Amedei domini de Jaiz. Sigillum domini Joannis de Cosonai. »

ANNUS 1210

Eblo dominus de Monz, Guidonis supradicti filius, eidem Domui dedit « annuatim, ad faciendum convivium in festo Omnium Sanctorum servitoribus ejusdem loci, sex cupas frumenti, et duodecim cupas vini ad opus sacristæ; et alias duodecim ad prædictum convivium cum quinque solidis pro pitantia, et duabus cupis castanearum. » Hoc donum laudaverunt Beatrix uxor ejus et Henricus et Eblo utriusque conjugis filii. Data est charta anno MCCXXXVII, III Calendas Februarii.

GUILLELMUS ABBAS CLUNIAC. CARTUS. BENEFICUS.

VII. Hoc denique anno, Guillelmus abbas Cluniacensis pro beneficio satis levi quod a Priore Vallis S. Hugonis acceperat gratiam satis amplam referre conatus est, ut ex sequenti apparet diplomate :

Ex Cartular. domus Vallis S. Hugonis.

« Venerabili et Karissimo fratri nostro Petro, Priori de Valle S. Hugonis, f. Willelmus humilis Cluniacensis abbas et totus ejusdem loci Conventus, æternam in Domino salutem. Licet nostræ subjaceat memoriæ quantam et quam meram ergo nos et res nostras hactenus habuistis et adhuc habetis dilectionem, in deposito tamen bonæ memoriæ Antelmi quondam de Domena et de Alavardo Prioris, Ecclesiæ Cluniacensi per vos fideliter restituto vestrum experti sumus affectum; unde vobis non ingrati gratias vestræ persolvimus bonitati, vobis et vestris successoribus remittimus, etc. Actum anno gratiæ MCCX, mense Aprili. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1211

Innocentii PP. III Ann. 14.	Ord. Cartus. Ann. 128.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 32.

INNOCENTII ERGA TRISULTANAM CART. AMOR.

I. ANNUS sequitur redempti orbis millesimus ducentesimus undecimus, Indictione quarta decima, quo Innocentius Papa cartusiæ Trisultanæ fundator, eam non solum sub Beati Petri protectione suscipit, sed privilegia a Cœlestino III toti Ordini concessa ad eam etiam vult extendi, data bulla, in qua totus est in celebrandis Cartusiensium laudibus; cujus apographum in tabulario Matris Cartusiæ repertum, talem habet tenorem :

Ex codice maj. Cart.

« Innocentius, etc. Priori et Fratribus sancti Bartholomæi de Trisulto Cartusiensis Ordinis, tam præsentibus quam futuris eremiticam vitam professis in perpetuum. Vinea culturæ cœlestis, in qua manu divina Cartusiensis est Ordo plantatus, ita jam palmites suos longe lateque diffudit, flores producentes et fructus uberes ac suaves, ut eorum delectati fragrantia decreverimus juxta nos ipsius delectabile germen habere, non solum ut ejus intercessionibus apud Dominum efficacius adjuvemur, vel etiam ut ipse Ordo ex Apostolicæ Sedis vicinitate familiarius sibi jungatur in visceribus charitatis. Unde nos ecclesiam sancti Bartholomæi de Trisulto jamdudum Ordini vestro concessimus, facientes ibidem construi monasterium secundum ipsius Ordinis instituta. Vestris igitur justis precibus annuentes, præfatum sancti Bartholomæi monasterium in quo divino estis obsequio mancipati, sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus, et præsen-

tis scripti privilegio communimus. Imprimis siquidem statuentes ut eremiticus Ordo, qui secundum Deum et institutionem Cartusiensium Fratrum in eodem loco per nos institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium impræsentiarum laudabiliter obtinet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata consistant. Terminos autem qui Domui vestræ provide sunt statuti, autoritate Apostolica confirmamus. Qui profecto sunt hi : videlicet rivus veniens de Guarcino usque dum jungitur, etc. Ad instar quoque felicis memoriæ Cœlestini Papæ prædecessoris nostri, qui capitula subsequentia Ordini vestro concessit, sicut in ejus privilegio nos ipsi perspeximus contineri, autoritate Apostolica interdicimus et sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis infra prædictos terminos Domus vestræ, hominem capere, furtum seu rapinam committere, aut ignem apponere et cætera ; » quæ prorsus sunt eadem quæ habentur in Cœlestini tertii bulla inter privilegia Ordinis ad calcem Antiquorum Statutorum edita.

ANNUS 1211

Inter privil. Ord. num. 16.

II. Præterea eodem anno Cartusienses inter et Cistercienses emergentibus controversiis, Innocentius ipse, velut omnium Christianorum communis Pater et præcipue monastici Status protector, utriusque Ordinis decorem zelans et quietem quam plerumque rerum exteriorum œconomia disturbat, ad omnes Christiani Orbis Episcopos litteras dedit, quibus jubentur dare operam ut pax inter eos brevi et sine sumptu et strepitu judicii concilietur. Sunt autem hujusmodi litteræ :

SUMMUS PONTIFEX DISSIDENTES CARTUSIENSES ET CISTERCIENS. RECONCILIAT.

« Innocentius, episcopus, etc., universis fratribus Archiepiscopis, Episcopis et cæteris ad quos hæ litteræ pervenerint. Cum inter omnes religiosos nostri temporis viros Cisterciensis et Cartusiensis Ordinis Fratres magna per Dei gratiam polleant honestate, si qua forsitan inter eos humani generis inimico disseminante zizania, materia litis exoritur per quam

Extat inter privil. Ordin. num. 23.

ANNUS 1211

apud eos sanctæ quietis otium perturbetur : nos qui puritatem Religionis ipsorum charitate fervente zelamus, non possumus non moveri, scientes quod contentiones hujusmodi, a suo proposito alienæ, Religionis maculant puritatem, cum secundum Apostolum servos Dei non oporteat litigare ; ut igitur diabolicæ fraudis astutia, quæ ut in eis Religionem maculet lites suscitat inter ipsos, per Apostolicæ sollicitudinis studium celeriter elidatur, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus cum in diœcesibus vestris aliqua inter eos fuerit materia litis exorta, sine mora partes vestras interponatis ad pacem inter eos amicabiliter reformandam. Quæ si forsan hoc modo provenire non poterit, sine sumptu et strepitu causam inter eos mediante justitia terminetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam sine cujuslibet contradictionis et appellationis obstaculo firmiter observari. Datum Laterani, IV Nonas Octobris, Pontificatus nostri anno quarto decimo. »

Has etiam litteras Angelus Manrique suis inseruit Annalibus, sed fatetur se causam ignorare dissidii, quod nos, non totius Ordinis corpus, sed quasdam tantum Domos et Abbatias inter se de terminis vel pascuis dissidentes spectare credimus. Verum cum hujus bullæ originale reperiatur in tabulario Cartusiæ, indicium est Cartusienses pacem priores petiisse, Summique Pontificis gratiam et autoritatem ad eam obtinendam aucupatos fuisse, ut ex subjecto exemplo conjicere est.

UNDE ORTA DISSIDIA.

III. Præsenti namque anno nostri Angionis cartusiæ monachi, injuriam sibi a Bonimontis abbatiæ Cisterciensibus fieri arbitrati circa pascuorum divisionem inter utrumque monasterium olim factam, ejusdem postularunt Summi Pontificis autoritatem, a quo et sequentes ad Episcopos Genevensem et Sedunensem et Abbatem Abundantiæ in sui gratiam litteras obtinuerunt.

Angionenses contra Bonimontenses eum appellant.

Ex originali.

« Innocentius, episcopus, etc. Venerabilibus Fratribus Gebennensi et Sedunensi Episcopis et dilecto filio Abbati Abundantiæ Gebennensis diœcesis, salutem et Apostolicam bene-

dictionem. Dilecti filii Prior et Fratres Angionis, Ordinis Cartusiensis, sua nobis insinuatione monstrarunt, quod cum inter se et Fratres Bonimontis Cisterciensis Ordinis divisionem pascuorum fecissent, Domus eadem Angionis simplicitate Fratrum enormiter est gravata; quare nobis humiliter supplicarunt, ut super hoc eis providere misericorditer dignaremur. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatinus accedentes ad locum, tam ejusdem Domus Angionis penuriam pascuorum quam et abundantiam Fratrum Bonimontis diligentius attendentes, quod super hoc secundum Deum statuendum videritis sublato appellationis obstaculo statuatis, et faciatis quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani, IV Nonas Octobris, Pontificatus nostri anno quarto decimo. »

Simile dissidium cum tribus Ordinis Domibus, et Abbatiis Cisterciensibus.

Simile dissidium nostris Majorævensibus cum Cisterciensibus S. Sulpitii intercesserat, quod præsenti anno compositum fuit, lata a Berardo Genevensi antistite sententia, quam suis firmaverunt chirographis Rainaldus Lugdunensis, Humbertus Viennensis archiepiscopi, et Berardus Bellicensis episcopus. Monachi ejusdem Abbatiæ et Arveriæ Cartusienses paulo ante dissederant de eadem re, sicut et Bonævallenses ejusdem Cisterciensis Ordinis et nostri Majoris Cartusiæ et Excubiensis Monachi, ut apparet ex his quæ diximus superioribus annis, et ex dicendis anno proxime sequenti apparebit.

STEPHANUS ABBAS S. JUSTINÆ AN FACTUS CARTUSIENSIS.

IV. Circa hæc tempora, quidam Stephanus S. Justinæ de Padua Ordinis S. Benedicti Abbas, dimissa Abbatiali dignitate factus dicitur Cartusiensis Monachus, in quodam illustrium Ordinis nostri Virorum Indiculo; sed reperimus apud Ughellum, in catalogo Patavinorum Episcoporum, quemdam Stephanum virum sanctissimum, relicta abbatiæ S. Justinæ dignitate, anno 1209 in eremum Montis de Verda se recepisse; et itidem, anno 1241, 16 Septembris, non sine opinione sanctitatis obiisse. Cui vero fidem potius habeamus Ughello an

ANNUS 1211

Indiculi autori? prorsus hæremus, donec res certiori autoritate probetur.

RADULPHUS MONACHUS CARTUSIÆ B. VIRGINIS MARIÆ VISIONE RECREATUR.

V. Eodem quoque tempore florebat in Majori Cartusia Radulphus Monachus, et postea ibidem Procurator, qui, ut narrat noster Molinus, beatissimam Mariam Virginem sibi apparentem facie ad faciem aliquoties vidit, ab eademque didicit sibi extremam horam imminere. Qua de causa, dum expiato noxis animo susceptisque magna cum reverentia Sacramentis, ultimam diem a B. Virgine prænunciatam expectat, visibili specie Christi mirifice recreatus, audivit Angelos felicissimum Euge præcinentes, a quibus mortali e carne eductus ad cœlestem patriam sanctissima morte vitæ cursum absolvit, die 18 Julii, ut asserit idem Molinus. Qui præterea testatur eum vixisse sub Jancelino Priore, ad cujus testimonii veritatem roborandam, nomen illius in Cartulario reperimus, ut anno mox sequenti ex Instrumento citando videbimus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1212.

Innocentii PP. III Ann. 15.	Ord. Cartus. Ann. 129.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 33.

I. QUI novus volvitur annus millesimus ducentesimus duodecimus, Indictionis decimæ quintæ, veteres vidit controversias inter Cistercienses et Cartusienses recrudescere, maxime inter Majorem Cartusiam et Abbatias Altæcumbæ, Bonævallis et Stamedei. Partium tranquillitati consulens Innocentius Papa, Nostrorum efflagitatu ad Ecclesiæ Præsules litteras scripsit, iis quas ad eosdem anno præcedenti dederat prorsus similes, nisi quod in illis nominet « Priorem et Fratres Cartusiæ ex una parte, et Fratres Altæcumbæ, Bonævallis vel Stamedei ex altera ; » suntque datæ Signiæ sexto Calendas Septembris, Pontificatus sui anno quinto decimo; nec dissidii causa nominatim designatur, quæ nulla alia videtur fuisse, præter eam quam anno præterito perstrinximus : nam sæpe sæpius recruduit et ad multa sæcula productum fuit litigium illud ab anno 1185 inter Bonævallenses et Cartusienses motum quorumdam pascuorum occasione, de quibus iterum alibi forsan agemus.

NOVÆ CONTROVERSIÆ CUM CISTERCIENSIBUS.

Hinc factum fuit quod eodem tempore, fere omnes Domus nostri Ordinis terminos suos a Diœcesanis curaverunt designari et dilatari ac litteris confirmari. Joannes Gratianopolitanus id præstitit omnium primus, scriptis ea de re sequentibus tabulis :

Inde nova terminorum designatio.

« In nomine Domini nostri, etc. Anno Incarnationis Verbi MCCXII, mense Junii, manifestum sit omnibus præsentibus

A Jo. episc. Gratianop.

ANNUS 1212

Ex archiv. major. Cart.

et futuris quod isti sunt termini Cartusiæ. Incipiunt autem, etc. Omnia sicut superius continentur vera esse, et omnia quæ infra terminos suprascriptos continentur ad Domum Cartusiæ pertinere testificati sunt multi, inter quos fuere tres Conversi, scilicet Joannes de Vilari qui dixit se scire vera esse et Domum Cartusiæ ita possedisse per quadraginta annos ; ita quod quando inveniebant alios, pignorabant illos et expellebant. Et Guifridus qui similiter dixit se scire ea vera esse ; addidit etiam se audisse Otmarum et Petrum de Rucheria et Bernardum Pullinum et Bornonem et Guigonem de Claromonte, et Petrum de Ostrant et Raynaldum et Petrum fratrem ejus et Ungrinum, dicentes omnia suprascripta vera esse ; de tempore, dixit quod vidit per sexaginta annos Monachos et Fratres Cartusiæ ita possidere. Willelmus idem quod Joannes ; sed de tempore dixit quod per 50 annos hæc vidit. Hujusmodi vero testimonia tulerunt sicut suprascripta sunt tres prædicti Conversi Cartusiæ, commoniti et jussi in virtute obedientiæ a Domino Priore ut dicerent veritatem, domino Joanne Gratianopolitano episcopo eorum testimonia audiente in modum publicationis ad perpetuam rei memoriam et firmitatem, ne migrantibus ab hac luce testibus veritas occultata periret. Facta est autem hæc publicatio apud Cartusiam in prato domus domini Episcopi, anno supradicto et mense jam dicto, domino Episcopo jubente, ut causa ambiguitatis in posterum tollendæ, pro terminis *cruces* sculpantur in rupibus et fossæ fiant in terminis, quæ juxta verba testium loca manifeste designent ; præsentibus testibus qui hanc publicationem audierunt : Amedeo et Petro sacrista, Jacelino, Dalmacio Procuratore, Guiffredo, Gaufredo, Radulpho, Pontio, Joanne, Petro, Monachis Cartusiæ ; et Willelmo novitio, et Joanne de Sylva Converso Cartusiæ, et Petro Danielis canonico Gratianopolitano, et Nantelmo clerico domini Episcopi. Ad hoc ut supradicta habeant perpetuam firmitatem nec aliquo veritas temporum deleatur transcursu, præsentem paginam nostri sigilli autoritate firmamus. »

Guifridus Conversus Cartus. per 60 annos ; adhuc vivebat an. 1216.

Item F. Guillelmus per 50 annos.

Per id temporis vivebat Monachus ille anonymus, qui his-

toriam damnati hominis (quam diximus in Vita S. Brunonis secessui illius occasionem dedisse) primus omnium scriptis mandavit, ac proinde eam potuit accipere a præfatis Conversis qui procul dubio primos S. Brunonis discipulos noverant, cum circa annum 1150 nostrum Ordinem amplecti debuerint. Siquidem in præfatis litteris dicunt hæc per 50 et 60 annos vidisse.

ANNUS 1212

EORUMDEM DILATATIO TERMINORUM A RAYNALDO ARCH. LUGDUN.

II. Raynaldus archiepiscopus Lugdunensis similem ac Joannes episcopus Gratianopolitanus non solum gratiam exhibuit Domibus suæ diœcesis, sed præterea cartusiæ Portarum terminos suos dilatandi dedit potestatem, juxta quam Guido et Stephanus Arveriæ et Sellionis Priores a Capitulo generali nominati, et alter Stephanus Portarum Prior, exposuerunt « Domum sibi commissam magnum laborem et magnum gravamen sustinere per singulos annos in vino emendo; considerantes, inquiunt, quod expensæ Domus illius, sicut et aliarum Domorum Ordinis nostri, majores solito erant et quod ejus eleemosynarum beneficia rariora solito jam proveniebant, Priori præfato et Fratribus Portarum, ut eorum Conversi minorem haberent occasionem cum secularibus conversandi, concesserunt autoritate Dei et totius Ordinis nostri dilatationem terminorum, causa videlicet vinearum acquirendarum, etc. » Idem fecerunt de pascuorum terminis quos idem Prior Portarum et Abbas Cassaniæ protenderunt a Rhodano usque ad Albaronam, et a montibus S. Saturnini usque ad fluvium qui dicitur Innis. Hinc colligimus absolutam aliquando Nostris terminos dilatandi intervenisse necessitatem, tametsi contrarium juberent Statuta et Capituli generalis decreta.

Ex Cartul. Portarum.

EXIMIMUR AB OMNI TRIBUTO PER FORENSEM COMITATUM.

III. Idem Raynaldus Lugdunensis præsul, erga totum Ordinem nostrum propensus, exemptionem ab omni vectigali per comitatum Forensem a patre suo concessum confirmavit in hæc verba :

Ex Archiv. Maj. Cart.

« Raynaudus Dei gratia primæ Lugdunensis Ecclesiæ minister humilis, omnibus fidelibus et amicis suis ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem in Domino. Noverit univer-

ANNUS 1212

sitas vestra quod Guigo comes Forensis, pater noster, pro salute animæ suæ dedit et concessit Ordini Cartusiensi, ut nec pedagium nec leidam donet in toto comitatu Forensi, quam donationem nos autoritate nostra confirmamus ; et ad majorem firmitatem præsentem chartam eidem Ordini concessimus in testimonium, sigilli nostri munimine roboratam. Datum Lugduni, anno Domini 1212. »

CONSTANTINUS CONVERSUS CARTUS. FLORET.

IV. Hoc anno, cum Simon Montfortius, non minus pietate quam armis apud Historicos celebris, multos Albigenses profligasset, Constantinum Conversum Cartusiensem ad Innocentium misit, ut ab eo obtineret Petrum Marcum S. Romanæ Ecclesiæ Proscribam, quem suæ Cancellariæ præficere decreverat. Extat de hoc negotio Innocentii ad eumdem Simonem epistola.

Lib. 15 Epistol. Innocentii III. Epist. 167.

« Innocentius, etc. Nobili viro Simoni de Monteforti comiti Leicestriæ et vicecomiti Biterrensi. Cum dilectum filium magistrum Petrum Marcum subdiaconum nostrum, Correctorem litterarum nostrarum, pro colligendis Romanæ Ecclesiæ censibus aliisque negotiis destinemus, nobilitatem tuam de qua plene confidimus rogamus attentius et monemus per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus ipsi ob reverentiam Apostolicæ Sedis et nostram diligenter assistens, consilium ei efficax et auxilium opportunum impendas ; ut et ipse injuncta sibi negotia ope tua suffultus valeat autore Deo feliciter consummare, ac nos sollicitudini tuæ grata debeamus exinde vicissitudine respondere. Verum quia dilectus filius frater Constantinus, Conversus Cartusiensis, nos ex parte tua suppliciter exoravit ut dictum magistrum, quem pro eo quod in Cancellaria nostra laudabiliter conversatus per diutinum exercitium in hujusmodi plenius est instructus, Cancellariæ tuæ præficere cupiebas, tibi concedere dignaremur ; nos devotæ fidei tuæ ac devotionis fidelis sinceritatem perspicuam sicut convenit attendentes, quæ personam tuam tamquam specialis Apostolicæ Sedis filii et fidelis nobis advehit specialiter diligendam, et preces tuas persuadet quantum cum Deo possumus efficaciter exaudire, ipsum Magi-

Ad Summum Pontificem mittitur.

strum, quamquam non solum plurimum utilis, verum etiam valde necessarius nobis extiterit et existat, utpote cujus fidei puritatem et discretionis prudentiam jamdiu in multis experti, negotia nostra parva et magna eidem committimus incunctanter, devotioni tuæ duximus liberaliter concedendum, etc. »

ANNUS 1212

V. Sed quia idem Simon per nostrum Constantinum quamdam pecuniæ summam Summo Pontifici promiserat in Terræ Sanctæ subsidium, ut verisimile est, oblatæ beneficentiæ gratias in hunc modum egit Innocentius :

QUID APUD EUM EGERIT.

« Nobilitati tuæ gratiarum dignas referimus actiones, quod sicut dilectus filius frater Constantinus Cartusiensis nobis exposuit, tu volens nobis in mille marcis argenti liberaliter subvenire, Raymundum et Eliam de Caturcio fecisti juramento præstito corporaliter obligari ut eas cui voluerimus nomine nostro persolvant. Ideoque devotionem tuam rogamus attentius et monemus per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus dilecto filio magistro Petro Marco subdiacono nostro, Correctori litterarum nostrarum, cui hoc duximus committendum, sine difficultate facias nostro nomine assignari. Datum ut supra. »

Ubi supra Epist. 168.

Deinde ad præfatos Raymundum et Eliam de Caturcio promissæ pecuniæ custodes scribens, mandat quatenus eam apud Petrum Marcum deponant. Has Innocentii litteras, quia nostri Constantini mentionem faciunt, hic libet subjicere.

« Innocentius, etc., Raymundo et Eliæ de Caturcio. Dilectus filius frater Constantinus, Conversus Cartusiensis, nobis exposuit quod vos de mandato dilecti filii Simonis Montisfortis, comitis Leicestriæ, juramento corporaliter præstito, mille marcas ad pondus Trecense cui voluerimus nomine nostro solvere promisistis. Ideoque devotionem vestram monemus attentius per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eas dilecto filio magistro Petro Marco subdiacono nostro, Correctori litterarum nostrarum, latori præsentium, nomine nostro sine qualibet difficultate solvatis, ita quod devotio-

Ubi supra Epist. 169.

ANNUS 1212

nem vestram debeamus merito commendare. Datum ut supra. »

Ab eodem nostro Constantino audierat Innocentius, episcopum Magalonensem velle comitatum Melgoriensem Romanæ Ecclesiæ subditum, in feudum ab ipso accipere; de quo negotio ad eumdem Episcopum sic scribit :

Ubi supra Ep. 170.

« Innocentius, etc. Magalonensi episcopo. Dilectus filius frater Constantinus, Conversus Cartusiensis, nobis proposuit quod tu quingentas marcas, pro comitatu Melgoriensi tibi et Ecclesiæ tuæ a nobis sub annua pensione viginti marcarum locando, ei nostro nomine obtulisti. Cum igitur dilecto filio magistro Petro Marco subdiacono nostro, Correctori litterarum nostrarum, super hoc mandatum dedimus speciale, volumus ut cum ipso tractatum super eo habeas diligentem. Quicquid enim idem secundum mandatum nostrum provide tecum duxerit faciendum, nos ratum habentes volumus firmiter observari. Datum ut supra. »

GUILLELMUS EPISC. UTICENSIS MORITUR.

VI. Circa hæc tempora, in Vallisbonæ cartusia pie decessit Guillelmus de Venejano quondam Uticensis episcopus. Hic statim post incorporatum Ordini nostro, sua suæque Ecclesiæ autoritate, Prioratum de Bondillonet de quo anno hujus seculi tertio egimus, abjectis infulis in novam se cartusiam recepit, ubi ad obitum usque Cartusiensium morem et austeritatem sectans, perseveravit. Quod eodem fundatæ Vallisbonæ anno episcopatum abdicarit, ex Sammarthanis discimus, qui Ebrardum scribunt post ipsum sedisse anno 1203 et post Ebrardum annis 1209 et 1212 Rainardum; quibus annis nostrum Guillelmum inter nos convixisse ex dictæ Domus tabulario constat, ubi in pluribus literis, ab anno 1205 ad annum 1212 datis, hæc clausula legitur, « ad hoc vocatis et rogatis testibus Guillelmo de Venejano quondam episcopo Uticensi. » Anno vero 1212, mense Julio, quidam benefactor donationem aliquam confirmans sic nostrum Præsulem alloquitur : « Pietatis motu et intuitu laudo ac dono tibi Guillelmo de Venejano, quondam episcopo Uticensi, nomine dictæ Domus Vallisbonæ. » Ex quo patet eum adhuc in vivis

Abdicavit ut fieret Cartus.

Gall. Christ. tom. 3. in Ep. Uticens.

ANNUS 1212

fuisse eodem anno. Nec obstat quod in Innocentii III Vallisbonæ fundationem confirmantis bulla quæ anno 1208 data est, nominetur sub hac formula : « bonæ memoriæ episcopus Uticensis. » His enim verbis non mors, sed ejus designatur abdicatio. Post præfatum annum 1212, nulla ejus mentio tamquam viventis in citato tabulario reperitur. Sed post ejus mortem cella sive cubiculum in quo duram et asperam vitam egerat, tantæ fuit venerationi, ut nomen retinuerit Thalami sive Cameræ Episcopi. Sic enim legitur in quibusdam literis : « Actum fuit hoc in Domo Vallisbonæ, coram Thalamo Pontificis. » Et in aliis, datis anno 1228 : « Acta fuerunt hæc omnia in Domo Vallisbonæ, in Camera quæ fuit Domini Guillelmi de Venejano quondam Uticensis episcopi. » Hinc quidam Nostrorum putant eum non fuisse Cartusiensem Monachum, quod sic extra claustrum in privata camera degeret. Sed his respondemus Statuta Antiqua hanc dedisse licentiam Episcopis nostrum Institutum amplectentibus, « ut si habitum nostrum suscipere voluerint, sint in cella. Si vero noluerint, ac Pontificalia retinere voluerint, serviatur eis in Hospitio. » Nec propterea Cartusiensis Monachi nomen eis denegandum est, cum revera non habitus sed victus ac Regulæ observatio faciunt monachum. Eodem tempore in eadem Domo quidam Conversus vixit dictus frater Guillelmus de Venejano, sed certe alius est ; sic cognominatus quod esset ex Episcopi familia aut oriundus ex loco de Venejano. In eodem tabulario, ad annum 1242 et sequentes, recensetur inter Vallisbonæ Monachos quidam Joannes Episcopus, sed quis non videat nomen esse familiæ non dignitatis ?

Ex mss. Vallisbonæ.

Verus fuit monachus.

Antiq. Statut. p. 2. c. 23. num. 9.

JESU CHRISTI

ANNUS 1213.

Innocentii P. III Ann. 16.	Ord. Cartus. Ann. 130.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 34.

ABBAS JUGI DEI JUDICES A SUMMO PONTIFICE OBTINET.

I. ANNUS sequitur Redemptoris ducentesimus tertius decimus supra millesimum, Indictione prima, quo Abbas Jugi Dei Ordinis S. Benedicti translationem monachorum ac proinde totius Prioratus Montismerulæ ad nostrum Ordinem ante tres annos autoritate Pontificia factam ægre ferens, viis omnibus nisus est, nostris expulsis, suos quondam Monachos, novos dico Cartusienses, rursum sibi suæque Abbatiæ subjicere. Impetratis igitur a Sancta Sede Apostolica animo sibi addictis Commissariis, Abbate scilicet Firmitatis, Ordinis Cisterciensis, cum duobus aliis Collegis, rem adeo valide persecutus est, ut duo e Judicibus, altero licet non consentiente nostrisque vix auditis, sententiam secundum Benedictinos pronunciarunt, qua inter cætera possessionem Montismerulæ Jugo Dei addicunt, Priori præcipientes ut Abbati sicut prius obedientiam præstet; Cartusiensibus vero illuc e Domo Sellionis missis, ut loco quantocyus cederent. Nec mora, his armis instructus Abbas confusoque Monachorum stipatus agmine, Montemmerulæ circumcludit, munitiones ejus, villulas dico sive grangias, ac cætera quæ extra Cartusiæ ambitum invenit, violenter intercipit. Deinde structis in aditu Domus insidiis, Procuratorem incaute januam aperientem tumultuaria monachorum ac laicorum caterva invadit, spoliatumque cappa et cuculla impie opprimit. Hoc primo im-

Ex Tabular. Montismer.

Qui Montemmerulæ ei adjudicant.

Eamdem domum vi occupat.

ANNUS 1213

petu Montemmerulæ expugnatum Abbas ingreditur; ecclesiam primum, deinde cellam vinariam omnesque officinas occupat, cellas ad Cartusiensem usum erectas, tamquam sibi ineptas subvertit. Nostros vero, ne vim eorum personæ inferre videretur, subductis callide cibariis, fame pressos discedendi licentiam ab eo implorare cogit; quam ipsis eo concessit libentius quod ex eorum decessu certiorem ac tranquilliorem loci possessorem se permansurum crederet. Nec certe in hac narratione declamatorem ago, hæc enim omnia testata fient ex litteris postea inserendis. Nihilominus Abbas sibi semper timens, quemdam e suis Monachis Romam allegat qui suæ causam Abbatiæ apud Summum Pontificem tueatur. Ad Papam Nostri de Judicum sententia jam provocaverant, quod in Apostolicis litteris ab Abbate obtentis nulla fieret licentiæ Montemerulanis Monachis factæ, sese ad Cartusiense Institutum transferendi mentio. Verum enim vero, Prior Cartusiæ Jancelinus provocationem noluit ulterius prosequi, prohibuitque ne quisquam propterea Romam præmitteretur, injuriam malens solo patientiæ clypeo retundere. At Montismerulæ Prior, suique qui cum eo vitam fuerant Cartusiensem amplexati, ab ea se per vim avelli minime patientes, neminem, ne Jancelini viderentur imperium negligere, ad Pontificem miserunt; sed scriptis duntaxat litteris rogaverunt ut suam licentiam, cujus autoritate nobis sese subdiderant, firmam dignaretur inconcussamque præstare.

Nostri Summum Pontificem appellant.

II. Audito Abbatis procuratore, lectisque Prioris Montismerulæ litteris, novos Innocentius judices constituit, archiepiscopum Lugdunensem, Matisconensem episcopum et Insulæ Barbaræ Priorem, qui de priorum judicum sententia et Cartusiensium appellatione cognoscerent. Ejus bulla hoc anno, mense Majo data, hanc habet formam :

NOVI AB EO COMMISSARII NOMINANTUR.

« Innocentius, episcopus etc., venerabilibus Fratribus archiepiscopo Lugdunensi et episcopo Matisconensi, et dilecto filio Priori de Insula Barbara Lugdunensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem. R. monachus, Procurator Abbatis et Conventus de Jugo Dei proposuit in nostra præ-

Ex Tabular. dom. Montismer.

Querimoniæ monachorum de Jugo Dei.

ANNUS
1213

sentia constitutus, quod cum Fratres de Seillon, Cartusiensis Ordinis, Lugdunensis diœcesis, ipsos de Prioratu Montismerulæ, quem per quadraginta annos et amplius posse-derant, sine lite contra justitiam spoliassent, et iidem ad Abbatem de Firmitate suosque conjudices super hoc necessarias impetrassent litteras contra eos : lite legitime contestata coram ipsis, tandem pars Cartusiensis in vocem appellationis prorupit. Cui licet unus dictorum Judicum duxerit deferendum, alii tamen appellationem ipsam frustratoriam reputantes, diem ad agendum partibus assignarunt. Ad quem cum pars monasterii de Jugo Dei suum syndicum destinasset, parte reliqua se per contumaciam absentante, Judices ipsi ad receptionem testium productorum ab eodem syndico procedentes; demum attestationibus eorumdem diligenter inspectis, cum eis de causæ meritis plenius constitisset, pro dicto monasterio sententiam protulerunt, ut Prior Montismerulæ Abbati dicti monasterii obedientiam faciat sententialiter decernentes. Litteræ vero Prioris et Conventus Montismerulæ nobis exhibitæ continebant, quod cum dictus Abbas per veritatis suppressionem præfatas litteras impetrasset, iidem de prudentum virorum consilio nostram audientiam appellarunt; quorum appellationi licet ut dictum est unus detulerit Judicum prædictorum, reliqui tamen in causam pro suæ voluntatis arbitrio procedentes, præfato monasterio Prioratum adjudicavere prædictum. In eos nihilominus excommunicationis sententiam proferentes, cujus occasione sententiæ dictus Abbas in monasterium irruens eorumdem, grangias ejus et ea quæ invenit in illis per violentiam occupavit et detinet occupata, alias Fratribus ipsis gravis et injuriosus existens. Quia vero super hoc non potuit nobis fieri plena fides, præsertim cum ex parte Cartusiensium nullus apparuerit legitimus procurator, Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus de appellatione legitime cognoscatis, sententias ipsas confirmantes vel infirmantes, appellatione remota, sicut de jure fuerit faciendum. Quod si non omnes his exequendis potueritis

Spoliatos se a Cartusiensibus dicunt.

Item querimoniæ Prioris Montismerulæ.

Abbas Nostris injuriosus.

Nullus pro Cartusiensibus coram Papa comparuit.

interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Vos denique Fratres, Archiepiscope et Episcope, super vobisipsis et credito vobis grege taliter vigilare curetis, extirpando vitia et plantando virtutes, ut in novissimo districti examinis die, coram tremendo Judice qui reddit unicuique secundum opera sua, dignam possitis reddere rationem. Datum Lateran. 12 Calend. Junii, Pontificatus nostri anno XVI. »

ANNUS 1213

III. Interea celebrantur Comitia Ordinis ubi Patres cognita Montemerulanorum Cartusiensium causæ justitia, auditisque quibus eos Abbas Jugi Dei fuerat insectatus injuriis et violentiis, sanxerunt facti atrocitatem Summo Pontifici plenius exponendam. Jancelinus itaque nomine Ordinis quemdam e Nostris, inquisitionis commentario ac plurium virorum fide dignorum tum Prælatorum tum aliorum Nobilium rei veritatem testificantium litteris munitum ad Innocentium delegavit, qui subjectum mandatum ad episcopum Matisconensem et alios judices secum retulit.

JANCELINUS AD EUM DELEGAT.

« Innocentius, etc., venerabili fratri episcopo Matisconensi et dilectis filiis Decano Gratianopolitano et Archidiacono Bellicensi, salutem et Apostolicam benedictionem. Gravem nobis, dilecti filii, Prior et Fratres Cartusienses transmisere querelam, quod cum monasterium Montismerulæ ad eorum Ordinem de nostra speciali licentia sit translatum, Abbas et Conventus de Jugo Dei, Lugdunensis diœcesis, nostras ad Abbatem de Firmitate ac suos conjudices litteras impetrarunt, continentes quod dicti Cartusienses ipsos præfato monasterio contra justitiam spoliarunt, de licentia transeundi ad dictum Ordinem sibi ab Apostolica Sede concessa, nulla penitus habita mentione. Cumque Prior Montismerulæ proposuisset coram Judicibus ante dictis, quod præfatæ litteræ viribus carere debebant, tamquam expresso mendacio et suppressa veritate subreptæ, ac demum propter has et alias causas Sedem Apostolicam appellasse; tertio Judice ipsius appellationi humiliter deferente, reliqui perperam in ipso negotio procedentes, dictis Abbati et Conventui adjudicavere possessionem monasterii supra dicti; excommunicationis

Et novum mandatum ad Commissarios obtinet.

Ex archiv. Montismer.

ANNUS
1213

sententiam in Priorem ipsius loci ac alios commorantes ibidem, donec ipsis pacificam possessionem dimitterent, proferentes.

Enarratio violentiæ Nostris illatæ a Benedictinis.

« Cujus occasione processus, dictus Abbas de Jugo Dei ad ipsum monasterium non parva monachorum et laicorum caterva stipatus accedens, grangias et cætera quæ invenit extra monasterii ambitum per violentiam occupavit. Cum autem monasterium ipsum aperta vi occupare non posset, quodam qui se de Lugdunensis Decani familia mentiretur ad monasterium sæpe dictum præmisso, cum eidem ipsius januæ monasterii reseratæ fuissent, quidam de Jugo Dei qui positi fuerant in insidiis cum clamore ac strepitu introgressi, Procuratorem Domus qui portam aperuit, inter ipsam portam et parietem impie opprimentes, ipsum tam cappa quam cuculla, Dei timore postposito, spoliarunt. Abbas vero eos celeriter subsecutus, primo ecclesiam ac deinde cellam vinariam et officinas alias occupavit; et cellas faciens destrui Monachorum, ipsos, subtractis sibi victualibus, famis necessitate coegit monasterium relinquere sæpe dictum. Licet autem Fratres Cartusiensis Ordinis ejus sint testimonii apud homines et meriti apud Deum, ut non æstimemus eosdem nobis significasse contraria veritati; ac etiam super hoc plurium tam Episcoporum quam aliorum, quibus fides est merito adhibenda, litteras receperimus dictis eorumdem Fratrum fere per omnia consonantes : ne tamen ob personarum favorem ordinem juris omittere videamur, cum merita causarum, partium assertione pandantur; discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus vocatis qui propter hoc fuerint evocandi, quantumcumque poteritis sine judiciorum strepitu et gravaminibus partium, inquirentes super his et aliis quæ coram vobis proponenda duxerint plenius veritatem; si vobis constiterit de præmissis, monasterium ipsum dictis Cartusiensibus restitui faciatis ac eis de damnis ac injuriis irrogatis satisfactionem congruam exhiberi. Audituri postmodum si quid fuerit quæstionis, et illud fine debito, appellatione posthabita decisuri;

non obstantibus litteris quæ super hoc nuper ad venerabilem fratrem nostrum Archiepiscopum Lugdunensem et Priorem Insulæ Barbaræ ac ad te, frater Episcope, a Sede Apostolica emanarunt : cum negotium, propter atrociores injurias ipsis Cartusiensibus postmodum irrogatas, fuerit maxime aggravatum. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, tu ea, frater Episcope, cum eorum altero nihilominus exequaris. Tu denique, frater Episcope, super te ipso, et credito tibi grege taliter vigilare procures, extirpando vitia et plantando virtutes, ut in novissimo districti examinis die, coram tremendo Judice qui reddet unicuique secundum opera sua, dignam possis reddere rationem. Datum Signiæ, 14 Calend. Augusti, Pontificatus nostri anno 16. »

JANCELINUS NOSTROS A LITIGIIS AVERTIT.

IV. Quid inde secutum sit, anno proximo narrabimus. Harum porro litterarum bajulus alias quoque ab Innocentio eadem die datas Jancelino reddidit, quæ non videntur carere mysterio; ita ut conjiciam ipsum Cartusiæ Priorem verba hæc omnia in os Summi Pontificis posuisse. Jancelinus enim vir sanctus, ac præsertim pacis amans, ut lis ab Abbate Nostris intentata curaretur quasi coactus permiserat. Advertens vero quosdam Priores tum ex hoc, tum ex aliis inter nos et Cistercienses ortis non ita pridem dissidiis, gravius quam Cartusienses deceret commotos Sedem Apostolicam frequentare, sensimque et quasi sine sensu ad litigia delabi, jure timuit ne malum latius irreperet. Quamobrem sicut ante sex annos ad Innocentium confugerat, ut personæ Ordinis a quacumque extraneorum causa contra suam voluntatem cognoscenda eximerentur; ita et nunc ejus autoritatem censuit implorandam, qua cohiberentur a nimia curiarum frequentia. Consensit Summus Pontifex, eademque die, ut diximus, quo prælatum diploma in Nostrorum gratiam dederat, aliud juxta mentem Jancelini scribi jussit, quo ut benignus pater, sed iratum simulans, non in litigantes nominatim sed ex in-

Bullam exhortatoriam ad universum Ordinem impetrat.

ANNUS dustria in ipsum Cartusiæ Priorem et conventum ejus inve-
1213 hens, exprobrat quod sineret in Ordine « haberi judicia et causæ »; hortaturque ad antiquam Ordinis simplicitatem servandam, et ut magis patiantur injuriam, quam Curias tam Romanam quam secularem frequentent. Verbisque forsan usus est quæ suo ad eum in libello supplici adhibuerat Jancelinus. Sed nunc Patrem filios corripientem audiamus.

« Innocentius, etc. Dilectis filiis Priori et Fratribus Cartusiensibus salutem et Apostolicam benedictionem. Usque adeo vestræ Religionis odor hactenus se diffudit, ut sumpta de vestra simplicitatis puritate fiducia, crederetur quod potius tolerare velletis quantumlibet graves injurias et jacturas, injuriantibus pro satisfactione vel saltem cessatione injuriæ supplicare contenti, quam pro temporalibus judiciali strepitu litigare; utpote qui Apostolicam sequendo doctrinam, docentem quod servum Dei non oportet litigare, sed esse mansuetum et patientem ad omnes, jam ad illam credebamini perfectionem evasisse, qua unam percutienti maxillam, alteram præbere jubemur et tunicam auferenti etiam pallium exhibere. Verendum est autem ne mutatus sit color optimus, cum jam secundum hominem ambuletis, inter vos habentes judicia et fraudem pati ac injuriam accipere nescientes. Quod inde maxime præsumimus esse verum, quoniam ab Apostolica Sede plures commissiones pro vobis infra quatuor proxime præteritos annos credimus emanasse, quam per viginti annos retro actis temporibus emanarint. Cum etsi contra vos superabundaverit iniquitas malignorum, charitas tamen in vobis refrigescere non debuerit, quæ jubetur usque ad inimicos extendi; veremur etiam ne familiaritas quam Ordini vestro exhibere curavimus, vobis noceat forte in hac parte; dum de nostra plusquam expediret gratia præsumentes ac ideo abutentes eadem, Causarum inextricabiles labyrinthos ingredi non timetis, vosque negotiis secularibus intermissa divina militia implicare, non attendentes quod Joseph in Ægyptiæ manibus chlamidem reliquisse narratur, quod eam nunquam legitur repetiisse. Ne igitur qui spiritu cœpistis, consum-

memini carne (quod absit), universitatem vestram monemus attentius et hortamur, per Apostolica vobis scripta mandantes quatenus primariam originalem vestri Ordinis observantiam nullatenus deseratis, sed in Dei semitis, ipso dirigente, studeatis proficere, gressus vestros et suorum viam currere mandatorum, mundana cum Apostolo arbitrantes velut stercora propter Christum; quod vestra conversatio non solum vobis ad meritum, sed etiam aliis, sicut cœpit, proficiat ad exemplum. Pro certo scientes quod si mentis aciem curaveritis flectere in vos ipsos, et vestrarum conscientiarum angulos cautius perscrutari, quantum vobis per hujusmodi causarum litigia in temporalibus cognoscetis accrescere, tantum in spiritualibus decrescere sentietis. Datum Signiæ, 14 Calendas Augusti, Pontificatus nostri anno 16. »

ANNUS 1213

Quantum Nostri inde profecerint.

Hactenus Innocentii litteræ; ex quibus quem sibi Jancelinus pollicitus fuerat eventum processisse, aut certe malum non ita grave fuisse, verissimillimum est. Et revera Nostri, velut viri prudentes et disciplinati, non solum non murmurati sunt sic a Patre corripi; sed adeo moderatos in rebus gerendis causisque tuendis posthac exhibuere, ut a quibusdam nominatissimis viris existimati fuerint voti religione se adstrinxisse ut nihil sub judice repeterent. Hanc enim de eis opinionem habuit Hugo a S. Theodorico, cardinalis doctissimus, his temporibus suppar. Sed certe voti hujus singulare caput, si reipsa extitisset, et Jancelinus Innocentio, et Innocentius Cartusiensibus ingerere debuissent, cum nihil fuisset ad deterrendos a litigiis eorum animos paratius validiusque.

Eccli. cap. 10. n. 28.

Vide an. 1141.

JESU CHRISTI

ANNUS 1214.

Innocentii PP. III Ann. 17.	Ord. Cartus. Ann. 131.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 35.

AGITUR DE NEGOTIO MONTISMERULÆ.

Ex Tabular. Montismer.

Sententiam Judicum declinat Abbas Jugi Dei.

Ad Cartusiam se confert tempore comitiorum Ordinis.

I. ANNO a partu Virginis ducentesimo quarto decimo supra millesimum, Indictione secunda, cum Abbas de Jugo Dei judices a Sede Apostolica anno superiori ad causam inter eum et Cartusienses circa factum Montismerulæ Domus cognoscendam nominatos, variis ampliationibus ac captiosis effugiis impedisset quominus sententiam ferrent, nec posset ulterius tergiversari, rem amicorum arbitratu componendam proposuit. Annuerunt Nostri ne cum Abbate inimice agere viderentur. At ille non minus ab arbitris quam a judicibus sibi metuens, illorum judicium nova arte declinavit. Nam velut fuisset derepente dextera Excelsi mutatus, totam hanc controversiam Patrum, instantibus Ordinis Comitiis, congregandorum conscientiæ permisit, sua fide spondens se Domum Ordini restituturum, si eis ita videretur. Et ne captiosa crederetur ejus propositio, ipsam per modum transactionis scriptis voluit mandari, et partis utriusque firmari chirographo. Adsunt igitur generalia Comitia, quibus et ipse cum Willelmo Saviniacensi sui Ordinis et Joanne Bellævillæ Instituti sancti Augustini Abbatibus adfuit. Utrimque disceptatum urbanitate, et a Nostris pronunciatum nec æquum esse nec sibi expedire ut in sua causa jus dicant. Tandemque consentiunt totam controversiam ad Raynaldum Lugdunensem archiepiscopum deferre,

illius dirimendam arbitrio, scriptis propterea compromissi in hanc formam tabulis : ANNUS 1214

II. « Anno ab Incarnatione Domini MCCXIV, II Calendas Maii, N. abbas de Jugo Dei, consilio et assensu W. Saviniensis et J. Bellævillæ abbatum pro Domo sua, et R. dictus Prior Montismerulæ ex alia parte, autoritate et assensu J. Prioris Cartusiæ et generalis Capituli ; promisere quod starent absque omni subterfugio, cognitioni et judicio Domini R. Lugdunensis archiepiscopi, super controversia quæ inter eos vertitur de Domo Montismerulæ et ad eam pertinentibus, ea scilicet lege et pacto, ut usque ad Natalem Domini eam terminet et decidat concordia si potuerit; aut si non potuerit concordia, per sententiam diffinitivam. Cognoscat autem de omnibus et judicet secundum formam et tenorem commissionis inde factæ Domino Episcopo Matisconensi et J. Gratianopolitano decano et W. Bellicensi archidiacono. Sane si præfatus Archiepiscopus cognitionem non susciperet, vel ea suscepta eam infra prædictum terminum, ut supra dictum est, non terminaret; exinde Judices delegati plenam habeant potestatem procedendi in jam dicta causa per omnia secundum formam et tenorem præfatæ commissionis, cessante videlicet omni contradictione et occasione suspicionis in persona cujuslibet Judicum delegatorum. Suscepta autem cognitione aut recusata a Domino Lugdunensi archiepiscopo, Priores Ordinis Cartusiensis debent restituere Domui de Jugo Dei Domum Montismerulæ in eo statu in quo erat tempore compositionis factæ apud Lugdunum; salvo scilicet in omnibus utriusque partis jure, quod tempore dictæ compositionis habebant, possessionis, proprietatis et damni dati, seu alias. Subscripta omnia Abbas de Jugo Dei se servaturum pro se et Capitulo suo juravit, et ejus mandato præfati Abbates se ea servari facturos promiserunt. Ordo quoque Cartusiensis promisit omnia præscripta se servaturum et servari facturum. Actum Cartusiæ in generali Capitulo. »

UTRAQUE PARS ARBITRUM ELIGIT.

At præsul Lugdunensis vel noluit vel, urgentioribus impeditus negotiis, delatum ad se arbitrium recipere non potuit.

Recusat arbiter judicium ferre.

ANNUS
1214

Quamobrem lapso compromissi tempore, causa ad Judices Apostolicos penitus devoluta est, in qua licet Abbas conciderit, arma tamen nec tunc posuit, ut videbimus anno proxime sequenti.

DISSIDIUM INTER PRIOREM CARTUS. ET MILITES JEROSOLYMITANOS.

III. Interea Prior Cartusiæ Jancelinus, ut cæteris sibi per totum Ordinem subditis Cartusiensibus sicut dignitate ita præluceret et exemplo, controversiam inter suos et Religiosos Milites S. Joannis Jerosolymitani motam, viis omnibus sedare studuit sine strepitu judicii : primum enim instrumenta quibus certa ac indubitata locorum contentiosorum possessio sibi astruebatur, Militibus simpliciter ac ingenue exhibuit; deinde cum Milites hujusmodi documentis nec crederent nec cederent, Episcopi sui examini et sententiæ rem totam subjici voluit. His vero hanc etiam viam recusantibus, consensit tandem ut de causa penitus per arbitros decerneretur modo qui sequitur :

Arbitratu dirimitur.

« In nomine Domini nostri Jesu Christi, anno Incarnationis ejusdem MCCXIV, mense Septembri, Pontificatus vero domini Innocentii Papæ III anno XVI. Quoniam plerumque accidit, ut veritas ab oculis avolet eo quod testes, per quos fieri poterat manifesta, ab hac luce migrant, consilium mutant, infirmitate memoriæ laborant ; unde quos mundi labor exagitat, dum secularis avaritiæ absorpti voragine pertrahuntur, attendentes probationes deficere, calumniosas instituunt lites, piasque decessorum suorum conantur infringere voluntates ; placuit Domno Jancelino Priori Cartusiæ, communicato Fratrum consilio, contra tam detestabile scelus, legitimum adhibere remedium, suæque Domui nullo temporum cursu obliteranda providere cautela. Quamobrem coram Domino Joanne, Gratianopolitano episcopo, super finibus possessionum ad Domum Cartusiæ pertinentium testes ad æternam rei memoriam publicaverat, ipsos fines manifestius suo testimonio declarantes ; juxta quorum assertionem cruces in rupibus, fossæ in terris, ad eosdem fines apertius demonstrandos de mandato ejusdem Domini Episcopi factæ fuerunt per loca quæ ipsos fines terminabant, sicut in Instrumento inde facto

plenius continetur. Non multo autem post tempore, Milites infra scripti, videlicet W. Vacha, Rostagnus Castinellus, Ludovicus de la Borgia, Petrus Corbellus et Petrus Vacha, ad jam dictam Domum accedentes, præsente supra memorato Episcopo, conquesti fuere præfato Priori de prælibata terminorum positione, affirmantes quod in ea parte in qua est.... aliter quam deberent et Cruces et fossæ erant factæ, eo quod antiquos fines excedentes partem non modicam de eorum possessionibus occupassent. Denique lectis Instrumentis antiquis, quæ qualiter singula ad prædictam Domum fuissent devoluta poterant edocere et indubitatam facere de terminis fidem; privilegiis etiam Apostolicæ Sedis editis; cum nec sic a controversia ipsi Milites desisterent, nec tamen sub examine Domini Episcopi, cujus cognitioni Prior erat stare paratus, jus suum prosequi secundum juris ordinem vellent; tandem providentia domini Episcopi hoc suadentis, electi fuerunt, utraque parte consentiente, hinc inde duo qui majorem de finibus habere notitiam videbantur : videlicet ex parte Domus Cartusiæ Guifredus et Joannes Faber Conversi, ex parte vero Militum W. Sesterius et Stephanus de Lalier; Domino Episcopo his duobus sub pœna excommunicationis, domino autem Priore in virtute obedientiæ injungente Conversis, ut pro utraque parte puram dicerent veritatem, nullum mendacium inserentes; sicque quidquid a prædictis quatuor concorditer verum esse super ipsis finibus foret declaratum, ab omnibus debuit firmiter et absque contradictione servari. Ad hæc suprascripti veritatis assertores, cum seorsum de his quæ dicenda erant cum deliberatione tractassent, omni scrupulo dubietatis sublato, pari concordia testimonium perhibuere veritati. Aliorum itaque qui, ut dictum est, cum ipso electi erant mandato atque consensu, W. Sesterius, unus ex duobus qui a parte Militum fuerant constituti, ea quæ inter se partibus referenda decreverant coram omnibus recitavit, dixitque quod extenduntur prædicti fines Cartusiæ Domus per... excepto quod de ... W. Sesterius et Stephanus de Lalier dubitabant se nihil inde scire dicentes, Fratribus supra memoratis

ANNUS 1214

ANNUS
1214

Conversis nihilominus affirmantibus quod per ipsum extenderentur prædicti fines; his itaque sicut dictum est recitatis, Milites superius nominati omnes..... a controversia quam facere cœperant prorsus per omnia desistentes, per se successoresque suos perpetuo jam dicto domino Priori Cartusiæ promiserunt, nullam de prædictis finibus, sicut Crucibus et fossis distincti sunt ac designati, controversiam de cætero fieri Domui Cartusiæ; ipse quoque Petrus Vacha de numero cæterorum, etsi non per omnia renuntiationem sequutus, dixit se nullo tempore de ipsis finibus sæpe dictis controversiam facturum deinceps aut moturum; adjecit etiam se facturum et curaturum, ne quis eorum qui sibi successuri sunt, ipso vivente, Domum Cartusiæ inquietet. Acta sunt hæc omnia in præsentia Domini Joannis Gratianopolitani episcopi qui omnia superius scripta autoritate sua firmavit, et ad perpetuam rei gestæ fidem atque memoriam, sigilli sui munimine hanc chartam roboravit. Testes vero fuerunt : Petrus de Saisinis electus Ecclesiæ Gebennensis, Albertus Gebennensis decanus, magister W. ejusdem Ecclesiæ canonicus, Joannes Gratianopolitanæ Ecclesiæ decanus, Aldemarus ejus frater, Nantelmus domini Episcopi clericus ; Dalmatius Procurator Cartusiæ ; Conversi autem, Chabertus, Joannes Escofferius, Bernardus. Post hæc, paucis evolutis diebus, Boso et Humbertus de la Borgia ad Domum Cartusiæ accedentes, suprascriptam finium designationem approbaverunt, nullamque se successoresque suos nullo tempore inde moturos controversiam in manibus domini Prioris promiserunt, præsentibus Dalmatio Procuratore Cartusiæ et Amedeo. » Hanc concordiam suis litteris confirmavit Joannes episcopus Gratianopolitanus, ut post biennium dicemus.

Petrus electus Geben. de quo vide an. 1195.

GARNERIUS CONVERSUS CENTENARIUS FLORET.

IV. Hoc anno adhuc superstes vivebat Garnerius de Balmeto Conversus et confundator Majorevi, nam reperitur præsens fuisse et approbasse transactionem factam præsenti anno inter præfatam Cartusiam et Humbertum ac Guillelmum de Balmeto, ut constare ex tabulario ejusdem Domus asserit Buatius. Fuit Garnerius pater Pontii, fundatoris et

Monachi Majorevi ac postea episcopi Bellicensis, cujus exemplo animatus, relictis omnibus hujus turbulentæ vitæ negotiis in tranquillum Religionis portum concessit, induto Fratrum Conversorum habitu. Sub quo ad decrepitam ætatem perseveravit, et per rara sui mundique contemptus ac patientiæ et humilitatis exempla, sibi ad regnum cœleste aditum paravit, ad quod plus quam centenarius evolavit, prima die Junii, incerto anno; asserit præterea noster Buatius eum anno 1116, quo fundatio Majorevi facta est, jam fuisse uxoratum et Aymonem de Balmeto genuisse. Quod si ita est, debuit Garnerius attigisse centesimum ac vigesimum ætatis annum. In Vita præfati Pontii episcopi quam habes anno 1140, dicitur in Domo Majorevi plus quam centenarius sanctissime vixisse et obiisse.

JESU CHRISTI

ANNUS 1215.

Innocentii PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 18.	Ann. 132.	Ann. 36.

PONTIUS EP. MATISCONENSIS DOMUM MONTISMERULÆ NOBIS ADJUDICAT.

I. INEUNTE anno Domini ducentesimo quinto decimo post millesimum, Indictione tertia, Pontius episcopus Matisconensis ab annis duobus judex ab Innocentio delegatus qui de Montismerulæ causa cognosceret, sciens Lugdunensem Archiepiscopum arbitrium recusasse, auditis denique partibus et testibus, monachos de Jugo Dei violentia in nostros illata convictos ad præfatam Domum restituendam sua sententia condemnavit. Sed Monachi contumaciores effecti, homines a judice ad capescendam loci possessionem missos turpiter ejecerunt. Sed ipsum audiamus Episcopum cum suis collegis rei seriem et statum Summo Pontifici exponentem, scripta ad ipsum sequenti epistola.

Rei seriem et statum Summo Pontif. denunciat.

« Sanctissimo Patri ac Domino Innocentio, Dei gratia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici, P. Matisconensis vocatus episcopus, J. decanus Gratianopolitanus, W. Bellicensis archidiaconus, cum omnimoda subjectione reverentiam tam debitam in Christo quam devotam. Litteras Sanctitatis vestræ recepimus, juxta quarum tenorem mandatum vestrum pie prosequi cupientes, citavimus partes ante nostram præsentiam, certa die statuta. In qua cum Abbas de

Abbatis subterfugia.

Jugo Dei se præsentem non faceret, quidam pro eo comparuit qui ad declinandum judicium multa proposuit, et in rescriptum plurima objecit, quæ tamen frivola esse fuimus interlocuti et vana. Tandem cum contra Dominum Matisconen-

ANNUS 1215

sem causam suspicionis idem proponeret, arbitri qui de ipsa cognoscerent a partibus sunt electi. Interim cum de eadem coram arbitris tractaretur, et necdum aliquid pronuntiassent, talis inter partes pactio intervenit. Quod si generale Capitulum quod in proximo erat congregandum, secundum puras in Deum conscientias dicerent se posse de jure Domum Montismerulæ retinere, eam absque querela de cætero possiderent; et ideo Cartusienses præfata Domo qua fuerant spoliati per Abbatem de Jugo, salvo jam dicto pacto, fuerunt investiti. Congregato igitur Capitulo generali et cognito quod convenerat inter partes, unanimiter dixerunt in sua causa quemlibet judicare non esse honestum; necdum ipsos, qui Juris ignari et exercitatos sensus in decidendis litibus non habentes, tanto oneri et periculo si sese subjicerent, Domo prædicta quamvis justissime retenta, aperirent viam et darent materiam qua facile possent eorum conscientiæ judicio plurimorum, quamvis immerito, denigrari. Super quo tamen, quod eis agendum esset Apostolicam Sedem consulere decreverunt. Denuo quia transactione illa (non enim simplex pactio vel gratia fuit qua Domus jam dicta penes Cartusienses remaneret), liberi erant illi de Jugo Dei a damnis illatis et ab ære alieno quod ibidem manentes contraxerant liberandi.

Pactio inter partes.

II. « Cum, inquam, transactio illa nisi de consensu Capituli esse valida non posset, ea consensu partium dissoluta, novo pacto actum est, ut totum negotium Montismerulæ ad cognitionem Domni Archiepiscopi Lugdunensis tranferretur : sic tamen ut ipse juxta formam cognitionis nobis factæ cognosceret, et a die Capituli quo hæc agebantur usque ad Natalem Domini, controversiam transactione vel sententia terminaret. Alioquin ad nos recurreret cognitio et definitio, nulla suspicionis vel cujuslibet contradictionis causa ab illis de Jugo Dei deinceps opponenda. Ea propter Domno Lugdunensi cognitionem, aut nolente aut occupato majoribus recipere non valente, cepimus iterum injunctum nobis exequi mandatum; et die partibus assignata, lite contestata super possesso-

RES PERMITTITUR ARBITRIO ARCHIEPISCOPI LUGDUN.

Ad judices Apostolicos iterum devolvitur.

ANNUS 1215

rio, testes recepimus quos super violentia sibi illata Cartusienses produxerunt, et confessiones audivimus quas super eadem violentia Abbas de Jugo Dei faciebat. Cum igitur neutra pars novum aliquid proponeret quod pertineret ad causam; et quia jam fere biennium a tempore litterarum de commissione nobis facta susceptarum fuerat evolutum, dignum duximus et justitiæ congruum parcere sumptibus partium et labori, controversiam definitione legitima terminando. Qua de re per confessiones Abbatis de Jugo et testes Cartusienses de violentia Cartusiensibus ab illis de Jugo illata certiores effecti, sententiam tulimus qua præcepimus Abbati de Jugo ut Domum Montismerulæ restitueret Cartusiensibus; et similiter fuit de grangiis et omnibus possessionibus ad eamdem Domum pertinentibus judicatum. Omnia quoque in eum statum reducenda decrevimus quo fuerant tempore violentiæ irrogatæ. Sententia vero lata, quidam ex parte Abbatis de Jugo appellavit dicens partem ejus gravatam, eo quod Abbatem Tyronensem, cui Domus de Jugo Dei subjecta erat et ideo ejus intererat adesse causæ, quantumvis litteris ab eo super hoc receptis remotum eum nimis; et quod causa non nisi inter Abbatem de Jugo et Cartusienses nobis fuerat delegata dicendo noluimus expectare. Adjecit etiam quod Cartusienses confessi fuerant in judicio Abbatem de Jugo non per violentiam sed autoritate priorum judicum possessionem Montismerulæ assecutum; sed nec istud admisimus, quia in contrarium per ejusdem Abbatis confessionem nobis de violenta possessione constabat, et ita utramque appellandi causam diximus nullius esse momenti. Ad inducendos vero Cartusienses in possessionem Montismerulæ, J. de Baveriis missus a nobis non solum non admissus, sed ab illis de Jugo Dei contumaciter est repulsus, licet in contradictores omnes et rebelles excommunicationis sententiam tulissemus. Quorum contumaciam attendentes fecimus ab Ordinario eos per vicinas ecclesias excommunicatos denunciari. »

Abbas de violentia convictus.

Ad restitutionem damnatur.

Papam appellat.

Cartusienses a capessenda possessione impediuntur.

Contumaces excommunicantur.

Quid vero tunc pronunciarit Innocentius a Commissariis sic edoctus, non invenimus; imo verisimile est eum Concilii

Restitutio Domus ad quinquennium suspenditur.

Lateranensis celebratione occupatum, rem hujusmodi tunc neglexisse. Constat enim monachos de Jugo Dei Montemmerulæ adhuc per quinquennium detinuisse, quem tantum Nostris restituere anno 1220, ut ibidem fuse dicturi sumus.

ANNUS 1215

III. Interea, ut diximus, celebratur hoc anno ab Innocentio tertio Concilium œcumenicum Lateranense, ad illud confluentibus ex universo orbe pene innumeris Antistibus, Abbatibus, Doctoribus, Regum ac Principum Oratoribus. Ibi multus fuit Innocentius in corrigendis excessibus, dirigendis negotiis, ac maxime in reparando vitæ monasticæ splendore. Tanto zelo animatus ad decorem Domus Dei amplificandum, tres in Ecclesia Ordines celeberrimos, Prædicatorum videlicet, Franciscanorum ac Crucigerorum, autoritate sua et Patrum comprobavit. Plures etiam alii novorum Institutorum autores sive antiquorum instauratores confirmationem postularunt. De hujusmodi Monasticorum Ordinum superfœtatione, hæc satis eleganter noster Sutor. « Cur autem, inquit, tam variæ institutæ sunt votivæ Religiones, jam dictum est non omnibus omnia convenire, sed cum unusquisque pro gratiarum divisione proprium donum habeat, eam ob rem alius quidem sic, alius vero sic in via Religionis ingredi magis oblectatur. » Hæc ille, deinde addit quomodo in illa Lateranensi Synodo, ob nimietatem diversorum Ordinum, prohibuerint ne quis postea novam inveniret Religionem. An vero decretum illud spectet Cartusienses, explanavimus anno 1086.

CONCILIUM LATERANENSE COGITUR.

Bzovii Ann. ad hunc an.

Diversos Ordines comprobat.

Lib. 1. tract. 3. cap. 11.

IV. In hac etiam Synodo multa egit Innocentius pro liberatione Terræ Sanctæ a Sarracenorum tyrannide; et inter preces quas in hunc finem a Christianis ad Deum fundi decrevit, præcepit ut singulis diebus in Missa publica a Clericis psalmus *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam* decantaretur. Sic enim ab eo constitutum legimus in Epistola quam ad omnes Fideles scripsit ante Concilii celebrationem. « Singulis quoque diebus intra Missarum solemnia post pacis osculum, cum jam pro peccatis mundi offerenda vel sumenda est Hostia salutaris, omnes tam viri quam mulieres humiliter prosternantur, et a Clericis psalmus iste *Deus venerunt gen-*

INDICITUR PRO LIBERATIONE TERRÆ SANCTÆ.

Psalmus *Deus venerunt gentes.*

ANNUS 1215

tes in hæreditatem tuam alterna voce cantetur ; quo cum hoc versu devote finito, *Exurgat Deus et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus,* sacerdos qui celebrat, orationem istam super altare decantet alta voce : *Deus qui admirabili providentia, etc.* »

Quando inter nos recitari cœpit.

Quidam Nostrorum existimant hunc psalmum post Laudes de Domina solitum fuisse recitari apud nos ab ipsa fundatione Ordinis, eo quod circa eadem tempora bellum jam ingruerat contra Infideles. Sed cum hæc sententia nulla fulciatur autoritate, verisimilius est hunc usum apud nos incœpisse tantum post celebrationem præfati Concilii Lateranensis : nec enim antea ullam de eo mentionem reperimus in compilationibus de divino Officio factis usque ad annum circiter 1223, quo vel paulo post, inter varia Statuta sub regimine Jancelini ex actis Capitulorum generalium collecta, illud circa hunc psalmum legimus : « Tres orationes cum psalmo *Deus venerunt gentes* dicantur, scilicet : *Deus qui ad nostræ redemptionis exhibenda mysteria, Ecclesiæ tuæ* et *Deus a quo sancta desideria.* Preces vero sunt : *Exurgat Deus, Non nobis Domine, Exurge Domine, adjuva nos* et *Domine exaudi.* Postea vero per Chartam anni 1249 decernitur ut « pro Papa et Cardinalibus dicatur de cætero ad *Deus venerunt gentes* oratio *Deus qui charitatis dona.* Et anno immediate sequenti, rursus sancitur ut « ad *Deus venerunt gentes* dimittatur oratio *Prætende,* et in oratione *Deus qui charitatis,* dicatur *famulis et famulabus.* A festo Annunciationis dominicæ usque ad festum S. Michaelis, post orationem *Deus a quo* subjungimus orationem *A domo tua quæsumus,* juxta usum Cluniacensium quorum antiquæ Consuetudines idem præcipiunt. A feria secunda Paschæ usque ad primam post Pentecosten diem, addimus *Adesto Domine* pro Prioribus ad Capitulum generale ascendentibus ; sed quandonam id constitutum fuit, nondum reperimus, sicut nec de psalmo *Ad te levavi,* quem modo post psalmum *Deus venerunt gentes* ante orationes recitamus, de quo primum fit mentio in Novis Statutis a Guillelmo Rainaldo editis.

Stat. nov. 1. part. c. 5. n. 1.

V. Hoc anno Willelmus de Baucio, Princeps Arausionius, totum Ordinem ab omni tributo exemit datis his codicillis:

ANNUS 1215

WILLELMUS PRINCEPS ARAUSIONIUS ORDINIS FAUTOR.

Ex Cartul. Cartus.

« Notum sit omnibus præsentibus et futuris quod anno Dominicæ Incarnationis MCCXV, mense Augusti, Nos W. de Baucio, Dei gratia princeps Aurasicæ, pro remedio animæ meæ et parentum meorum, damus et concedimus per nos et nostros in perpetuum Domui Cartusiæ et Domibus præsentibus et futuris Ordinis, ut per totam terram nostram eundo et redeundo, sine pedagio et veagio, sine exactione aliqua a nobis vel a bajulis vel nunciis nostris requisita, liberum transitum habeant cum omnibus rebus, etc. Nos etiam dictam Domum et Fratres et res Domus mobiles et se moventes, ubicumque sint, in nostra protectione et salvatione recipimus et ducatu. Et ad perennem memoriam et ad rei firmitatem, præsentem cartam scribi fecimus, et bullæ nostræ testimonio roborari. Data Aurasicæ in domo Bn. scriptoris. Testes: Fr. W. Conversus Cartusiæ; fr. Pe. de Sylva; Bertrandus de Costa. Et ego Bn. scriptor, Aurasicæ tabellio, qui præsentem cartam scribi feci et bulla Domini W. de Baucio sigillavi et signo. »

VI. Robertus quoque dictus Delphinus, comes Claromontanus, cum filio suo Guillelmo quemdam censum annuum Majori contulit Cartusiæ ad instantiam, ut verisimile est, Guillelmi de Forchade quondam in seculo potentissimi, ejusdem Domus professi, tunc vero Prioris cartusiæ Bonæfidei, quam ipse Delphinus suo favore et beneficiis fovebat. Hujus donationis charta talis est sententiæ:

DELPHINUS COMES CLAROM. CARTUS. BENEF.

« R. dictus Delphinus, comes Claromontis, et W. comes Claromontis filius noster, donamus pariter et concedimus Deo et Priori Cartusiæ universoque ejusdem Domus Conventui in perpetuum, septem libras Claromontenses debitales in redemptionem animarum nostrarum annuatim, etc.; communiter ad festum Dominicæ Resurrectionis celebrandum eis persolvendas etc. Sed ut prædicti doni firmior omnibus diebus habeatur memoria, sigillorum nostrorum munimine hanc chartam confirmamus. Actum Incarnationis Domini anno MCCXV, mense Septembris. »

ANNUS 1215

Idem Comes fuit primus qui nomen Delphini assumpsit, nec priori usus est in aliis chartis quas vidimus in gratiam Domorum Bonæfidei et Portus B. Mariæ ab eo scriptis. Unde et post illius mortem Guillelmus filius ejus in præfatis literis nominatus, et ejus successores titulus Comitis ac Delphini simul sibi adscripsere.

HUMBERTUS VIENNEN. ARCHIEPISC. MORITUR.

Chor. histor. Delphin. to. 2. lib. 3. 4 et 8.

VII. Eodem anno, die 19 Novembris, Humbertus Viennensis archiepiscopus, Basilea reversus quo Fridericum Imperatorem anno superiori convenerat, ad cœlos evolavit; olim monachus Cartusiæ Sellionis ex qua ad apicem Pontificatus evectus populo suo verbis et exemplis profuit, vitiorum insectator acerrimus, Religiosorum hominum amator. Patres Franciscanos nullum tunc cis Alpes fixum habentes domicilium, (ut asserit Chorerius in Historia Delphinatus) primus in Gallias et suam admisit diœcesim et urbem, constructo eis monasterio in loco ubi erat templum S. Gervasio dicatum. Alii scribunt primum Minorum in Gallia conventum Villæfrancæ in diœcesi Lugdunensi institutum fuisse, sed nihil ad nos. Denique Humbertus privilegiorum suæ Ecclesiæ quondam concessorum confirmationem a præfato Imperatore obtinuit. Denique relicto apud omnes sui desiderio piissime decessit, sepultus in ecclesia S. Mauritii sub tumba marmorea cum sequenti epitaphio :

Sammarth. in Archiepisc. Lugdun. sub 82. Arch.

Sammarth. in Arch. Vien.

Ex mss. R. P. Chiffletii.

Hic corpus petra tegitur, sed spiritus æthra
Præsulis Umberti petiit, qui munere certi
Pro quo certavit vivens, dum se maceravit
Cartusiæ morem sectans cellæque rigorem.
Ad nos translatus sic curam Pontificatus
Gessit, pastoris stimulum*, votique prioris
Formam ut* servaret, nec in alterutro titubaret
Mundum suppeditans mundi contagia vitans,
Ecclesiam rebus ditans, opibusque, diebus
Per quos hic degit, patriam sub pace redegit
Milleno* bis centeno, quintoque ter anno,
Luce duodena nos deserit ante Decembrem.

* *Al.* simul ut.
**Al.* deest *ut.*

* *Al.* mille iscenteno, quintoque ter amplius uno.

In ejus locum sublectus est Gaufredus et ipse monachus Cartusiensis, de quo agemus anno sequenti. Huic vero tan-

tam dignitatem præ humilitate renuenti suffectus est Burno, de quo vetus catalogus Præsulum Viennensium nobis a V. Cl. Nicolao Chorier communicatus, hæc pauca habet : « Burno sedebat anno MCCXVI, et postea factus est monachus in cartusia Vallis S. Mariæ, an. 1231 obiit. » Burnoni cognomen de Voiron dant nostræ ætatis scriptores, dicuntque eum ex Decano ejusdem Ecclesiæ hoc anno electum fuisse Archiepiscopum, statimque nova statuta pro cleri sui reformatione condidisse; sequenti anno diploma ab Odone Burgundiæ duce impetrasse, quo privilegium a Friderico Imperatore in gratiam Humberti decessoris concessum confirmatur ; septennio post, anno videlicet 1223, Guigoni principi Delphino fidem clientelæ præstitisse ; tandemque abdicata Pontificia dignitate ac induto nostri Ordinis cucullo in Domo Vallis S. Mariæ fatis functum fuisse anno 1231. At certe vel Burnonis regimen ultra biennium produci non potuit, vel illud cum regimine successoris ejus Joannis de Burnino confusum fuit ab iisdem autoribus, ex cognominis de « Burnino » cum « Burnonis » nomine affinitate forsan deceptis. Nobis namque ex certis constat probationibus, Joannem jam sedisse anno 1218 quo Albertus dominus de Turre cartusiæ Vallis S. Hugonis concedit « pascua per totam terram suam, per manum venerabilis Johannis Viennæ Archiepiscopi, in præsentia Willelmi abbatis S. Theuderii » et aliorum, ut jam alibi diximus. Idem Johannes Cartusienses domus Portarum invisens, mulieres ab ingressu terminorum arcuit dato diplomate anno MCCXXIII. Et biennio post, ibidem adhuc positus, cum Rainaudo archiepiscopo Lugdunensi et Soffredo Gratianopolitano episcopo, querelam inter eosdem monachos et nobilem virum Willelmum de Balma motam composuit. In veteris Præsulum Vienniensium catalogi exemplo, quod ut diximus a Chorerio habuimus, de Johanne sic autor loquitur : « Johannes Burnoni successor (non successit, ut editum fuit apud Chorerium) adhuc sapienter et strenue nostram regit Ecclesiam, de cujus jussu et mandato, quæ scripta sunt fideliter descripsi hoc anno MCCXXXVIIII. » Plura in hoc

ANNUS 1215

Ex mss. Nic. Chorier.

Idem Chorier in Stat. polit. Delph. et in hist. Delphin. lib. 3. §. 9.

Jo. a Bosco in antiquit. Vienn.

Sammarth. in Arch. Vien.

Ex Cartular. Cart. Val. S. Hugon.

V. supra ad an. 1173.

Ex Cartular. Portarum fol. 238 et 247.

In Stat. pol. Ubi supra.

ANNUS 1215

exemplo a Chorerio vel ab aliquo alio animadverti fuisse interserta, quæ tamen a primi autoris verbis discerni non possunt : unde non levis suspicio esse posset aliquem exscriptorem hæc verba « Johannes Burnoni successor » ita interpretatum fuisse ut crediderit Joannem successisse Burnoni ; quæ forsan tantum significant quod Joannes cognomento Burnoni successor fuerit Humberti vel Gaufredi. Sed hæc conjectura solum auguror.

JESU CHRISTI

ANNUS 1216.

Innocentii PP. III	Ord. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 19.	Ann. 133.	Ann. 37.

I. DUCENTESIMUS sextus decimus supra millesimum sequitur Christi annus, Indictione quarta, quo Innocentius Pontifex feliciter expiravit apud Perusium, Pontificatus sui anno duodevigesimo, mense septimo, die 16 vel 17 Julii, de Cartusiensi Ordine optime meritus, ut ex præcedentibus colligi potest. Vir clari ingenii, magnæ probitatis et sapientiæ, cui nullus secundus tempore suo, quem sanctus Antoninus dicit beato fine post innumera virtutum opera egregia quievisse. Cujus denique vita admodum probata fuit, ut post mortem nihil eorum quæ laudaverit, quæque improbaverit immutatum fuerit. Eo mortuo, die sequenti successit canonice electus Honorius tertius, prius Centius nominatus, ac SS. Joannis et Pauli presbyter cardinalis. Hic paulo post suam promotionem, ad Jancelinum nostrum et sub ejus nomine ad universos Cartusienses scribens, eorum precum auxilium exposcere non aspernatur. « Unde vos, inquit, obsecramus per Dominum Jesum Christum et per charitatem Sancti Spiritus, quatenus immolantes pro nobis Domino vestrorum vitulos labiorum, pias manus elevetis ad eum, ut de suæ abundantia pietatis custodiat Ecclesiam suam propitiatione perpetua. » Et infra : « Nos enim æmulantes Dei æmulatione vestri Ordinis honestatem, et novissima nostra fieri vestrorum similia cupientes, vos et universum Ordinem vestrum tueri præsidiis,

INNOCENTIUS III MORITUR.

Raynald. ad hunc an. n. 13.

Honorius III ejus successor preces Ordin. exposcit.

ANNUS 1216

favoribus attollere ac beneficiis intendimus confovere, etc. »

GAUFREDUS CARTUSIÆ MONACHUS SANCTE OBIIT.

II. « Hoc etiam anno, die Februarii vigesima, non sine quodam miraculo obierat Gaufredus Antiquior Majoris Cartusiæ monachus, qui ob vitæ meritum post mortem Humberti Viennensis archiepiscopi, de quo anno præterito, in ejus locum cooptatus, præ solitudinis amore nunquam electioni consentire voluit, quemve paulo post, Deus ad beatam immortalitatem evocavit. » Ita noster Molinus. Et in veteri Præsulum Viennensium catalogo de eodem hæc leguntur : « Guifredus monachus Cartusiæ morienti Humberto astitit, et a clero populoque statim in Sedem defuncti eligitur, sed humilitatis et quietis amans episcopatum renuit. »

Molinus in Hist. ms. Ord. Cartus.

Ex mss. Nicol. Chorier.

PETRUS FULCODIUS INTER NOS FLORET.

III. Eodem tempore, singulari inter nos pietate præcellebat Petrus Grossus, familia Grossa apud Gallos non ignobili oriundus, patre Fulcodio ; unde juxta horum temporum usum Petrus Fulcodii vulgo dicebatur : quod etiam cognomen filio ejus Guidoni, postea Summo Pontifici sub Clemente IV nomine, a S. Antonino et Platina tribuitur. Petrus noster, uxore mortua, mundi perosus quisquilias in Majoris Cartusiæ solitudinem multorum tunc sanctitate in silentio florentem secedens, monachalem a Jancelino nostro vestem suscepit, ibique vigiliis, jejuniis, orationibus, cæterisque Instituti Cartusiensis exercitiis addictissimus, vitam plane cœlestem duxit, ac feliciter incerto anno agonem suum consummavit ; ut ipsemet Clemens Summus Pontifex ad Cartusienses scribens testatur his verbis : « Nos vero qui et vos et vestrum Ordinem diligimus et dileximus ex affectu, in quo bonæ memoriæ qui secundum carnem nos genuit pater noster, et religiose vixisse noscitur et agonem suum feliciter creditur consummasse. » Illius obitus tempus plane incertum est, licet quidam recentiores, sine ulla autoritate, annum 1232 diemque Decembris quintum signaverint ; constat solummodo eum adhuc vixisse anno 1222, quo præsens adfuit testamento Guillelmi Gratianopolitani episcopi ut ibidem videbimus. Claudius Clemens conversionis illius meminit in Vita Clementis IV his verbis : « Vixisse visus est in filii

S. Anton. p. 3. tit. 20. cap. 1.

Pater Clementis IV.

Platina de Vitis Pontif. Roman. in Clement. IV.

Inter privilegia Ordinis, bulla 47.

Ab eo laudatur.

Claud. Cl. Soc. Jes. in Vita Clem. IV. cap. 1.

gloriam ejus parens Fulcodius Grossus; absolutus enim conjugii legibus per mortem uxoris, rebus seculi valedicens, in Cartusianorum se abdidit solitudinem. » Deinde sola nixus Polycarpi Riverii autoritate, subdit eum quatuordecim in Christi militia annos confecisse.

ANNUS 1216

Nostri Fulcodii uxorem, Clementis IV matrem, idem Claudius Clemens et post eum et ex eo Victorellus, Germanæ nomen habuisse scribunt. « Fulcodii uxor, inquit Claudius, Guidonis parens, *Germana* nomine, ea fuit vitæ sanctimonia, ut extraordinariis sanctitatis ornamentis non caruerit. » Et ad illius tum nominis tum sanctitatis argumenta, duo refert exempla, quæ S. Antoninus de ea narrasse vult; sed S. Antoninum de sorore Summi Pontificis aut de quadam muliere illi propinqua, non vero de illius genitrice locutum fuisse, ex ipsius verbis omnino perspicuum est. « Dicebatur (Clemens, nomine proprio Guido Fulcodii filius) Ordini Prædicatorum valde affectus. Cujus germana, devotissima mulier et affectuosissima Ordini, vidit, cum Fratres Prædicatores congregati essent in quodam conventu Ordinis pro Capitulo generali celebrando, Spiritum Sanctum super congregatos in ecclesia descendere in specie ignis, ut ipse Guido per literas suas Capitulo retulit. » Et alibi idem Sanctus de eadem id narrat. « Quædam sua germana, matrona valde venerabilis et devota, cum Fratres essent congregati in Capitulo generali in quadam civitate ubi illa erat, et in Completorio decantarent illam dulcem antiphonam *Salve Regina;* existens in ecclesia illa et devote orans pro Fratrum et Ordinis profectu spirituali, ad quem erat valde affecta, dum Fratres cantarent illam partem antiphonæ *Et Jesum benedictum fructum ventris tui,* etc., vidit beatissimam Virginem in capite processionis superelevatam, offerentem Filium, ut parvulum quem gerebat, Fratribus ipsis. Et cum inclinarent ad finem antiphonæ, scilicet *Maria,* et ipsa inclinando resalutabat. » Hæc certissime non spectant matrem Clementis IV, quam obiisse verisimile est nondum nato aut vix nato Prædicatorum Ordine; siquidem Petrum Fulcodii illius maritum jam anno 1214 nostrum am-

An ejus uxor vocata Germana.

Victor. in notis ad Ciaconium.

S. Anton. p. 3. tit. 20. cap. 1.

S. Anton. p. 3. tit. 23. c. 3. §. 1.

ANNUS 1216

plexum fuisse Institutum discimus ex subjiciendis Joannis Episcopi literis, hoc præsenti anno mense Januario ineunte datis, in quibus Petrus Fulcodii inter monachos professos annumeratur : unde recte colligimus eum saltem prædicto anno 1214 habitum Cartusiensem induisse, ac proinde ejus uxorem jam tum fatis concessisse; nisi quis dicat (quod probandum esset aliqua autoritate) Petrum vivente conjuge monachum fuisse effectum.

MILITES S. JOANNIS CUM NOSTRIS DISSIDENT.

IV. Hoc anno ineunte, discordia inter Milites S. Joannis et Cartusienses quondam mota penitus sopita est, episcopo Gratianopolitano Joanne, tanquam Judice Ordinario sententiam secundum nos ferente. Hujus sententiæ exemplum præstat hic subjicere; cum ex ea in primis probetur Clementis IV patrem tunc vixisse.

« In nomine Domini, etc. Anno Incarnationis ejusdem MCCXVI, Pontificatus vero D. Innocentii III anno XVIII. Ego Johannes Ecclesiæ Gratianopolitanæ Minister indignus, cognitor existens, ut Judex Ordinarius, in causa quæ vertebatur inter Cartusienses et Milites de Scalis, scilicet Rostagnum Castinellum, Ludovicum de Borgia, Petrum Corbellum, Petrum Vacam, W. Vacam et domicellos de Scalis super finibus possessionum ad Domum Cartusiæ pertinentium; assidentibus nobis J. Gratianopolit. et P. S. Andreæ decanis, lectis et diligenter inspectis Instrumentis antiquis in quibus termini manifestius demonstrantur ; audito etiam illorum testimonio qui electi fuerunt a partibus ad dicendam super dictis terminis veritatem : videlicet ex parte Domus Cartusiæ, Guifredi et Joannis Fabri Conversorum, et ex parte Militum, W. Sesterii et Stephani de Lalier, quorum dictis vel recognitioni Milites se stare juraverant, præter P. Vacam qui simpliciter promisit se nullo tempore contraventurum, etc. Judicamus et pronuntiamus terminos esse tenendos sicut Crucibus et fossis distincti sunt ac designati, et ipsos Cartusienses absolvimus ab impetitione Militum et aliorum prædictorum. Acta sunt hæc in colle de Planey, qui est inter rupem Ailinardi et Fendeillam; ubi præfatus Episcopus omnem om-

nino personam quæ supra scriptam sententiam infringere tentaverit, excommunicationis damnationi submisit. Præsentibus Domno Jacelino Priore Cartusiæ et Fratribus, scilicet Amedeo, Amblardo, Jacelino, Dalmatio Procuratore, Guifredo Gaufredo, Radulpho, Joanne, Gauterio, et P. *Fulcodii,* et Guigone. Conversis vero W. Dostrans, J. Fabro, J. de Sylva, J. Charel, Chaberto, Bernardo, J. Bonerio, Arberto. Altera quoque pars præsens fuit, scilicet supra scripti Milites, et Boso Parazac, Jacobus Danaiseu, W. et P. Corbelli fratres, etc. Boso et Ancelinus de Borgia, etc. Testes : Petrus Guelinus procurator Gratianopol. Ecclesiæ, Anselmus Prior S. Bernardi, Prior de Intermontes et Canonicus ejus, Chambaireu Prior de Scalis et multi alii, etc. » ANNUS 1216

In his litteris dies quidem non designatur, sed cum ibi annus Pontificatus Innocentii III octavus decimus notetur, hinc datas fuisse colligimus ante diem Januarii octavam, quo decimus nonus ejusdem Pontificatus annus inchoari debebat. In his præterea litteris, ut diximus, inter Monachos Petri Fulcodii nomen reperitur, quem noster Buatius fuisse Monachum et sacerdotem nos olim recte monuerat, contra eos qui eum in Conversorum numerum transferebant. De eodem Fulcodio mentionem fecit noster Henricus Calkar, et post eum quidam alii.

COM. REGIST. DONA LARGITUR CART. DE MONTE DEI.

V. Circa hæc tempora Hugo, comes Registetensis, magnus benefactor Montis Dei, filius Manassis, et nepos Witerii comitis, ex Felicitate conjuge, heroina sapientissima, suscepit Hugonem et Galcherum comitatus successive hæredes. Felicitas vero in Fratres de Monte Dei bene affecta, inter bona quæ eis contulit, reditus hoc præsenti anno largita est pro duobus cereis in Missarum omnium celebratione perpetuo accendendis.

« Ego Felicitas, Registetensis comitissa, notum facio tam præsentibus quam futuris, quod ego de assensu Hugonis comitis Registetensis mariti mei, et etiam de assensu Hugonis primogeniti mei ; ob remedium animæ meæ et antecessorum et successorum, ecclesiæ Montis Dei triginta solidos in censibus

ANNUS
1216

etc., quos tenebam jure Comitatus, singulis annis persolvendos in perpetuum et pacifice possidendos, dedi et concessi; ad quos colligendos prædicta ecclesia pro sua voluntate receptorem instituet et amovebit. Ex prædictis autem denariis in prædicta ecclesia duo cerei instituentur, qui in celebratione omnium Missarum perpetuo ardebunt. Ita etiam quod prænominatos census in nullos alios usus expendere licebit. Quod ut ratum et inconcussum teneatur in perpetuum, ego Felicitas Registetensis comitissa, et prædicti Hugo maritus meus, et etiam Hugo primogenitus meus, præsentem paginam sigillorum nostrorum appensionibus roboravimus. Actum anno Verbi Incarnati 1216, mense Decembri. »

Ea donatio confirmata fuit solemni diplomate a Gregorio IX Summo Pontifice, dato Anagniæ tertio Idus Novembris, qui nihil aliud fere continet, quam quod in literis Felicitatis recensetur, nisi quod indicat eamdem Felicitatem antequam nuberet, fuisse dominam Bellifortis, et solidos illos fuisse solidos Remenses.

JESU CHRISTI

ANNUS 1217.

Honorii P. III Ann. 1. — Ord. Cartus. Ann. 134. — Jancelini Pr. Cart. Ann. 41.

I. ANNUS agitur Redemptoris millesimus ducentesimus septimus decimus, Indictione quinta, quo Honorius Papa pluribus Ordinem Cartusiensem codicillis demereri studuit. Primo, dato Anagniæ sexto Idus Junii, concedit ut tempore generalis Interdicti possimus, « excommunicatis et nominatim interdictis exclusis, divina officia celebrare sed submissa voce, januis clausis, nec pulsatis campanis. » Quas conditiones interdictorum in eadem bulla expressas, fuse explicat Emmanuel Rodericus. Quinque post diebus, videlicet Idibus Junii alteram bullam idem Papa scribi jussit, qua indulget nobis « ut laborum nostrorum de possessionibus, tam ante quam post generale Concilium acquisitis, quas propriis manibus vel sumptibus colimus, nulli decimas solvere teneamur. »

HONORIUS PLURES BULLAS CONCEDIT.

Extant inter privil. n. 26.

Licet nobis celebrare tempore Interdicti.

Rod. to. 2. 9. reg.

A decimis eximimur.

Ubi supra num. 27.

II. Tertiam bullam efflagitatu monachorum Trisulti evulgavit Honorius contra eos, qui novitios Cartusienses ante professionem recedentes impediebant quominus ad alium Ordinem transirent, prout tenebantur ex Statutis.

NOVITII A NOBIS RECEDENTES AD ALIUM ORDINEM TRANSIRE TENENTUR.

« Honorius, etc. ; venerabilibus fratribus Episcopis per Campaniam constitutis Salutem et Apostolicam Benedictionem. Dilecti filii, Fratres sancti Bartholomæi de Trisulto Cartusiensis Ordinis, sua nobis insinuatione nobis monstrarunt, quod cum in Statutis Ordinis sui habeant expressum, ut nullus Ordinem ipsum ingressus redire possit ad sæculum,

Ex Archiv. Cart. Trisult.

ANNUS 1217

etiamsi infra annum professione non facta recedere voluerit ab eodem, sed transire ad alicujus Religionis Ordinem teneatur. Quidam subditi vestri eos qui de ipsorum conversione illicite ad sæculum revertuntur, receptare præsumunt, et nutrire in suæ iniquitatis errore. Quod quia redundat in periculum animarum et Ordinis dictorum Fratrum injuriam et contemptum, Universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli vestris subditis curetis districtissime inhibere, ne id de cætero attentare præsumant; eos qui spreta inhibitione vestra illos receptare præsumpserint, a præsumptione hujusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Datum Ferentini, nono Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno secundo. »

Hanc bullam nostri Trisultani obtinuerant eo quod paulo ante iterum sancitum fuerat in Comitiis juxta Statutum Guigonis, ut « novitius (antequam indueretur) obedientiam et quod ad sæculum nunquam de cætero revertatur, etiamsi a nostro consortio vel sponte vel expulsus abscesserit, coram omnibus manifeste promittat, ad alium Ordinem regulariter viventem mox iturus. » De hujus statuti asperitate et illius rescissione jam alibi diximus.

PROFESSI NOSTRI AD ALIUM ORDINEM TRANSFERRI NON POSSUNT.

III. Quartam addidit bullam Honorius ad instantiam eorumdem Monachorum Trisultanæ cartusiæ, contra eos qui professos nostri Ordinis, post emissa vota recipiebant. Estque sequentis tenoris :

« Honorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus Episcopis per Campaniam constitutis Salutem et Apostolicam Benedictionem. Dilecti filii, Fratres sancti Bartholomæi de Trisulto Cartusiensis Ordinis, suam nobis querimoniam præsentarunt quod quidam subditi vestri, eos qui post susceptionem habitus et factam professionem in monasterio eorumdem ab ipso proposita temeritate recedunt, recipere*...... et in suæ iniquitatis errore fovere. Quia igitur hoc redundat in ipsius Ordinis non modicum detrimentum, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus singuli vestris subditis curetis districtissime inhibere ne id præsu-

*Præsumunt.

mant de cætero attentare; eos qui spreta inhibitione vestra illos receptare præsumpserint, a præsumptione hujusmodi per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Datum Ferent., IV Kalend. Augusti, Pontificatus nostri anno secundo. »

ANNUS 1217

IV. Circa hæc tempora obiit Joannes archiepiscopus Tarentasiensis antea monachus Cartusiæ, ut habent Sammarthani, qui primi ejus meminerunt, nihilque de eo notatu dignum, nisi quod aulam ædificaverit in Majori Cartusia. Eo mortuo alter monachus Cartusiæ, Bertrandus nomine sive potius Bernardus, electus est, qui post duodecim annorum Sedem supremum diem obiit, anno videlicet 1229 secundum Sammarthanos apud quos citatur necrologium Cartusiæ nobis hactenus ignotum. Porro Bernardum hoc præsenti anno mense Aprili jam sedisse, probamus ex litteris Thomæ comitis Mauritaniæ qui Domui Cartusiæ quosdam largitur reditus in manu ejusdem Archiepiscopi, ut legitur in donationis tabulis quæ sunt hujusmodi :

JOANNES EX MONACHO CARTUSIÆ ARCHIEP. TARENTAS.

Item Bernardus ejus successor.

« Quæ divino geruntur intuitu, scripto debent merito memoriæ commendari. Notum sit igitur tam præsentibus quam futuris, quod dominus Thomas, comes Maurianensis et in Italia marchio, pro remedio animæ suæ et patris sui comitis Humberti bonæ memoriæ, atque aliorum decessorum suorum, donavit et concessit in perpetuum Domui Cartusiensi et Fratribus ibidem Deo servientibus, quatuor libras fortium annuatim in pedagio sancti Regniberti ; et statuit ut quicumque illud pedagium reciperet, sine aliqua diminutione vel difficultate nuncio dictæ Domus eas reddat, ad faciendum convivium Fratribus memoratæ Domus in vigilia Paschæ, et in die atque in sequenti feria secunda. Huic igitur donationi interfuit Amedeus primogenitus filius dicti Comitis, qui hanc donationem concessit et laudavit. Hæc autem donatio facta in manu domini Bernardi venerabilis Tarentasiensis archiepiscopi, ad opus præfatæ Domus Cartusiensis. Actum est hoc in Tarentasia, in viridario Tarentasiensis ecclesiæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCXVII, Indictione quinta,

Thomas comes Maurianensis benefactor Cartusiæ.

ANNUS 1217

secundo die mensis Aprilis. Testes rogati fuerunt Falco Tarentasiensis decanus, Henricus Ulciensis canonicus, Joannes Conversus Cartusiæ, Nanthelmus de Miolans, Thomas de Conflens. Ego Mauritius dicti Comitis Notarius interfui, et de mandato ipsius hanc cartam scripsi et tradidi feliciter. »

ARMANDUS SILIGNIAC. PRIOR FLORET.

V. Eodem tempore vivebat in Domo Siligniaci Armandus ejusdem Prior, vir piissimus et quasi spiritualis ædificii in hac nascente cartusia molitor; qui cum Cartusiensibus Anglis sanctum fœdus hoc anno junxit, cui Philippus Withamiensium Pater « in perpetuam mutuæ societatis memoriam et in signum fraternæ dilectionis, misit ac dedit in puram et perpetuam eleemosynam (ut in codice legitur) librum continentem Psalterium, duos libros Paralipomenon et totum Novum Testamentum, quem scribi fecerat beatus Hugo, Lincolniensis episcopus, de suo proprio acquisito, eo tempore quo extitit in Witham Prior. » Plures annos in solitudine Sellionis et Arveriæ, ubi et S. Hugonem ad magnam Cartusiam proficiscentem viderat, Armandus prius transegerat; asperiorum vitæ solitariæ exercitiorum observantissimus, omnes horas a piis commentationibus vacuas in describendis piorum Autorum tractatibus solebat insumere. Humilitatem præ cæteris virtutibus semper coluit, aliisque colendam verbis et scriptis suasit, ut testatur quædam ab eo adhuc juvene ad quemdam Matris Cartusiæ novitium, suum quondam amicum, data in hunc modum epistola.

Ex codice ejusdem dom. Silign.

Ex cod. Maj. Cartus.

Ex eod. Cod.

« Dilecto suo dulcissimo G. pauperculo Cartusiæ Novitio F. Ar. jugum Dei suaviter sentire, et onus ejus usque in finem portare cum amore. Sit nomen Domini benedictum qui vos vocavit in admirabile lumen suum. Quid retribuetis Domino pro omnibus quæ retribuit vobis? Cum enim seculum vobis rideret, quis posuit in visceribus vestris, ut risum deputaretis errorem, et gaudio diceretis: Quid frustra deciperis? Quis fuit ductor itineris vestri ut vos adduceret in montem, nisi Spiritus Domini? Ille namque veraciter ascendit in montem, qui vitam proponit arduam tenere, et propter verba labiorum Dei vias duras custodire. Sit igitur apud vos glo-

riosum pariter et jucundum, abjectum esse in domo Dei vestri, et recumbere in novissimo loco, ut cum venerit qui vos invitavit, dicat vobis : Amice ascende superius. Sapienter fugit naufragium qui tendit ad humilitatis portum. Et quid opus est plura dicere ? Benedictio Domini super caput vestrum, qui, ut credimus, ante vos Deum, et post tergum posuistis seculum. Salutat vos Domnus noster Prior et Fratres nostri, et vestris orationibus nos pariter commendamus. »

ANNUS 1217

FORMA VISITATIONUM STATUITUR.

VI. Nomen, usus, modusque Visitationum circa hunc tantum annum, Jancelini studio et labore, in nostro Ordine fixa ac certa esse cœperunt. Non quidem dubium quin ab ipsa Capituli generalis institutione Visitationes in usu fuerint : sed constat eas primis temporibus rarissimas fuisse, nec fieri solitas nisi gravi obtingente casu. Quæstiones namque in Domibus motæ sicut et transgressiones Statutorum in illas irrepentes, ad Capitulum generale vel etiam ad illud quod privatum appellabant, sive a Prioribus præsentibus sive a Monachis per literas deferebantur ; et ab ipsismet Capitulis hæ corrigebantur, illæ decidebantur. Ita ut « in rigore Capituli generalis », teste Guigone hujus nominis II Cartusiæ Priore, « vigor totius Ordinis et robur consistere non dubitaretur. » Omnes namque Priores « convenientes in unum, ut habet idem autor, spiritualem secundum Deum, ex Deo, pro Deo, cum Deo consensum, sicut in unum conveniebant corporalem locum : cum magna devotione, et illo qui secundum scientiam est, zelo, id est, discreto, de Ordinis reparatione, renovatione, corroboratione, tam in sinistris, si quæ erant, corrigendis, quam in bonis instituendis, adaugendis, confirmandis, strenue se intromittebant ». Verum quando talis res erat, quæ præsens requirebat remedium : « Prior Domus quam ipsa res spectabat, ut habent Constitutiones Basilii, si non potest expectare Capitulum generale, quærebat licentiam a Priore Cartusiæ, convocandi Priores duos, insinuata primitus occasione. » Priores autem convocati, consilio Prioris Domus totum negotium dirimebant. At Jancelinus sciens apud alios Ordines maxime apud Cistercienses disciplinam regu-

De quadripertito exerc. cellæ in prolog. et c. 15.

Cæsarius lib. 1. de mirac. c. 1.

ANNUS 1217

larem, ex sedulis quæ singulis annis fiebant, Visitationibus conservari, decrevit eas in nostrum Ordinem introducere : ut sicut generales ac præcipui defectus per Capitulum generale, ita et speciales minusque graves per Visitationes emendarentur. Et revera quia Episcopi, ut alibi diximus, Domos nostras sibi subditas tradiderunt Capitulo generali in perpetuum corrigendas ac conservandas ; necesse erat ut ab eodem Capitulo Visitatores eligerentur, qui vices Episcoporum in visitandis Domibus gererent : et sic Capitulum generale Synodo annuæ, Visitationes Ordinis Visitationibus Episcoporum successerunt. Jancelinus itaque his non solum rationibus motus, sed Concilii Lateranensis ante biennium celebrati sanctionibus edoctus, formam Visitationum annis intercalariis per omnes Domos obeundarum edidit, quam suis Constitutionibus quinque post annis a Capitulo generali approbatis inseruit, ut sequitur :

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ob statum Cartusiensis Ordinis in sancta religione conservandum, Visitationis per omnes Domos ejusdem Ordinis faciendæ, tale a generali Capitulo emanavit decretum. In omni anno bissextili, in Capitulo generali seorsum, sicut pro aliis fieri consuevit negotiis, habito cum magna deliberatione tractatu, Priorum est electio facienda, scribenda et coram omnibus recitanda, qui et quas Domos debeant visitare, manifeste declarans. Porro quia hujuscemodi Visitatio de communi consilio certam formam accepit, cujus transgressores sunt, prout culpa exigere videbitur, per Capitulum legitime puniendi, necesse habent qui Visitandi officium exequuntur, Cartam, quæ illam formam contineat, secum ferre, cujus hic est tenor. Congregatis monachis cum Priore Domus quæ visitatur, et præmissa quæ in Capitulo generali fieri consuevit oratione, Visitatores aliquam de observatione Propositi, de obedientia, de proprii Pastoris reverentia faciant, secundum quod sibi videbitur, exhortationem. Lecta deinde Carta Visitationis, Dei et Summi Pontificis institutionis confirmatoris totiusque Capituli generalis autoritate præcipiant. . . et cætera quæ postea

Rifferius suis inseruit Statutis, ubi tamen multa interposuit quæ a Jancelini tempore ad suam usque ætatem a Capitulis generalibus circa Visitationum observationem sancita fuerant vel etiam mutata, inter quæ fuit terminus Visitationum quem de annis intercalariis ad biennium Jancelini successores revocaverant. Notandum vero hanc formam Visitationum usque ad nostra tempora perseverare, nihilque ab eo tempore mutatum fuisse, nisi quod Visitatores singulis annis modo eliguntur : quem modum congregatio Cassinensis etiam observat.

ANNUS 1217

Franc. Patavinus de Visitation. c. 21 et 25.

JESU CHRISTI

ANNUS 1218.

Honorii PP. III Ann. 2.	Ord. Cartus. Ann. 135.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 39.

SINGULARE HONORII PP. ERGA NOS PRIVILEGIUM.

Inter privil. num. 25.

I. ANNO Redemptoris octavo decimo supra millesimum ducentesimum, sexta Indictione, Honorius Pontifex maximus, vindex quietis Ordinis Cartusiensis professorum, encyclicas in eorum gratiam ad Prælatos Ecclesiarum dedit litteras, quibus mandat Episcopis ne permittant nos in aliquo molestari et ne cogamur ad præstandum juramentum calumniæ aut ad aliquod perhibendum testimonium; « Ne, inquit, pedes quos laverant cogantur iterum inquinare. Acceptis namque pennis columbæ in mentis solitudinem evolarunt, ubi pro suis gemunt et aliorum peccatis in ara cordis, mactatis carnalibus desideriis, holocaustum offerentes Domino semetipsos. » Et revera nisi piis hujusmodi commentationibus nosmetipsos in cellarum nostrarum abscondito exerceamus, veri monachi non sumus censendi. Integram hujus privilegii bullam habes ad calcem Statutorum Antiquorum impressam, habes et titulum « De juramento calumniæ » inter Decretales Gregorii Noni.

JOANNES EPISCOP. GRATIANOPOL. CARTUSIÆ BENEFACTOR.

II. Hoc anno Joannes episcopus Gratianopolitanus, de consensu, voluntate et precibus universi Capituli ecclesiæ ejusdem (ut loquitur in suis literis), attendens religionem et paupertatem Dominorum et Fratrum Cartusiæ, et pro salute animæ suæ, concessit pro se et successoribus suis triginta sextaria frumenti ex decimis suis annuatim percipienda. Datæ sunt binæ literæ hoc præsenti anno, Epacta III, concurrente

Indictione septima, mense Decembri : præsentibus G. Gratianopolitano et P. S. Andreæ decanis, Æmaro sacrista, A. de Briancone, Guigone Landrici, Petro Guelisi procuratore, Desiderio de Clays vestiario, et cæteris Canonicis, et Pontio Gan capellano S. Hugonis. Hanc donationem plerique Joannis successoribus confirmarunt. Ipse vero Joannes episcopus, idem erat qui jam sedebat circa annum 1156, ut patet ex literis ab eo in gratiam Calesiensium monachorum datis, quas anno 1184 exscriptas habes; et ex alio diplomate hoc præsenti anno concesso, quo Berardus de Thoire episcopus Bellicensis declarat compositionem inter Raynaldum S. Antelmi successorem et Domum Calesii ab eodem Joanne olim, (nempe circa an. 1178 vel saltem ante an. 1184 quo obiit Rainaldus) factam, penitus tenendam esse. Sic igitur Berardus loquitur :

ANNUS 1218

Idem qui sedebat anno 1156.

« Ego B. Bellicensis episcopus, et P. Abbas S. Sulpitii, etc. Notum facimus quod controversia quæ inter W. archidiaconum Bellicensem qui ecclesias, etc., a me episcopo B. Bellicensi tenebat ex parte una, et Abbatem et Fratres Calesii ex parte altera super decimis terrarum, etc., in dictis parochiis existentium diutius agitata est, per manum nostram de consensu partium finem accepit hoc modo : quod videlicet compositio illa, quam Fratres Calesii inter felicis memoriæ R. quondam Bellicen. episcopum et Domum Calesii per manum J. venerabilis Gratianopolitani episcopi factam proponebant, in sua firmitate permaneat, etc. Hanc compositionem de consensu Capituli Bellicensis fecimus, et nostra et dicti Capituli et Archidiaconi sigilla, et sigillum nihilominus Abbatis et Capituli Calesii in firmum et perpetuum veritatis testimonium huic Chartæ apponi fecimus. Actum est hoc anno gratiæ MCCXVIII, mense Junio. » Hæc ille.

Cum igitur Berardus loquens de Rainaldo addat « felicis memoriæ », episcopum vero Gratianopolitanum simpliciter « venerabilem » nominet, satis innuit hunc adhuc superstitem esse, illum vero jam obiisse.

SOCIETAS SPIRITUALIS INTER NOS ET ECCLESIAS VALENTINEN.

III. Dum sic Nostri bona temporalia ab Ecclesia Gratianopolitana recipiunt, spiritualia quoque ab aliis student com-

ANNUS 1218

parare. Eodem enim tempore quo præfata eis facta est frumenti donatio, societatem precum cum Ecclesiis Valentinensi, cui tunc præerat Humbertus de Mirabello quondam Sylvæ Benedictæ nostri Ordinis Prior, et Bellicensi ineunt, scriptis ad earumdem Ecclesiarum Capitula literis, quibus Valentinenses Canonici primi in hunc modum responderunt :

« In nomine Domini nostri Jesu Christi, in mutuæ charitatis augmentum. Ego L. Valentiæ præpositus et nos omnes ejusdem Ecclesiæ Canonici, Domum Cartusiæ facimus perpetuo et generaliter participem omnium orationum et spiritualium bonorum Ecclesiæ nostræ. Specialiter quoque illud statuimus, ut pro singulis Monachis et Conversis Cartusiensibus, cum eos contigerit ingredi viam carnis, plene et sine diminutione, sicut pro Canonico nostro mortuo, in Ecclesia nostra fiat. Videlicet scribentur in Capitulario nostro, et perpetuo reddetur eis anniversarium et canonicale debitum. Huic autem sanctæ et laudabili institutioni præbuerunt assensum L. Præpositus, B. S. Felicis Abbas, A. Archidiaconus, P. Cantor, R. Vicarius, Amedeus de Mirabello, Magister Ugo Bellicensis, Willelmus de Liberone, Arbertus de Cabeolo, Ismido de Cabeolo, W. de Vaesco. Jarento de Monte Mairano, Pontius Vicarius, Eldeno de Liberone, Ugo de Stella, Artaldus de Stella, Petrus Cassanus, Pontius de Campo Corio, Lantelmus de Marchis, Johannes Senioreti, Ugo Bajulus. Actum anno Domini MCCXVIII. Et ne ista institutio aliqua valeat vetustate perire, sigillo Capituli Valentinensis hanc cartam fecimus roborari. »

Hanc institutionem, ut vocant, postea renovarunt ejusdem Ecclesiæ Canonici ut dicemus anno 1543. Nostri vero ne oblati beneficii se præberent immemores, orationes orationibus compensare imo et superare studuerunt, scriptis sequentibus literis :

« In nomine Domini, etc. In mutuæ charitatis augmentum. Ego J. dictus Cartusiæ Prior, et nos universus ejusdem loci Conventus, Ecclesiam Valentinensem majorem facimus perpetuo et generaliter participem omnium orationum et spiri-

tualium bonorum Domus nostræ. Specialiter quoque illud statuimus ut quandocunque super..... cujuslibet Canonici ejusdem Ecclesiæ *Brevis* ad nos missus pervenerit, recitemus eum in Capitulo, et dicto ibi ex more *De profundis* cum consuetis orationibus, dicantur a singulis Monachis per cellas Vesperæ Defunctorum. In ecclesia dicatur una Missa pro anima ejus ab uno ex Monachis, et a singulis Conversis triginta *Pater noster*. Præterea singulis annis generaliter, semel in anno, cantetur Agenda integra in Conventu et celebretur Missa. Et singuli Conversi dicant CCC *Pater noster* pro defunctis Canonicis universis Ecclesiæ suprascriptæ. Ut autem hujus pietatis memoria nulla temporum valeat vetustate perire, nostri sigilli testimonio hanc chartam fecimus roborari. »

ANNUS 1218

IV. Circa eadem tempora, similis cum Ecclesia Bellicensi inita est spiritualis societas, de qua extant sequentes literæ ad Nostros a Canonicis ejusdem Ecclesiæ conscriptæ.

SIMILIS ASSOCIATIO CUM BELLICENSIBUS.

« Reverendis in Christo Patribus et Dominis carissimis, J. Priori Cartusiæ et sancto ejusdem Domus conventui, W. Bellicensis Ecclesiæ dictus Prior, et qui cum eo sunt Fratres, salutem in eo qui salvos facit rectos corde. Vestra discreta sanctitas ad nos suas literas destinavit, continentes, ut secundum Apostolum, quæ retro sunt debeamus oblivisci, et in anteriora extendi, et sequi ad palmam supernæ vocationis. Hanc vos per multos gemitus longaque suspiria, afflictionesque quotidianas et orationes frequentes et prolixas conamini apprehendere. Quia sicut dicit Sacra Scriptura : Oratio humiliantis se penetrabit cœlos, et non desistet donec appropinquet, et non recedet donec veniat in conspectu Altissimi; quam palmam et merita quibus venitur ad illam, per vestras preces exaudibiles speramus et confidimus nos obtinere. Et quoniam vestram dulcissimam devotionem et benevolentiam quam circa nos dignati estis exhibere, solo divino intuitu nullisque fere nostris suffragantibus meritis, nequimus digne commendare sicut tenemur; quod non possumus, Deus qui plus potest quam petimus aut intelligimus, remuneret vos in

ANNUS 1218

æterna sua gloria. Vestra namque benigna dilectio visceribus charitatis et misericordiæ plena, et, ut ita dicamus, vestra perfectio ad nostram imperfectionem se inclinavit, præveniens et provocans nos ad mutua suffragia orationum tam pro vestris mortuis quam pro nostris : quod totum nos prius debuissemus fecisse, et sic videtur ovis a capra lanam mutuari; vestri siquidem erit beneplaciti diem nobis in anno assignare, sicut fecistis Dominis Valentinis, in quo commemoratio vestrorum mortuorum et nostrorum communiter fiat. Et quando Brevia vestra ad nos vel nostra ad vos venerint, suffragia orationum et tricenariorum sicut in vestris continetur literis fiant. Valete nunc et in perpetuum. »

STEPHANUS PRIMUS PRIOR BELLILARICI MORITUR.

V. Hoc etiam anno, vel certe ante annum 1219, pie decessit vir felicis memoriæ Stephanus monachus professus domus Portarum ac postea Prior nascentis cartusiæ Bellilarici, cujus vitam plane laudabilem autor coævus in chronico ejusdem Domus Bellilarici sic descripsit :

Ejus Vita ex historia ms. cap. 5.

Fervor priorum monachorum sub ejus regimine.

« De viro sanctissimo primo Priore Stephano, adjuvante Domino locuturus, ab illa virtute, sine qua nihil se esse reputat Apostolus, exordium sumere dignum duxi, quatenus videlicet quantus fervor charitatis in beata pauperie corda Fratrum qui tunc aderant accendebat, advertamus, et quantum in nobis qui inpræsentiarum sumus, ex eorum comparatione, etiam in rerum opulentia eadem jam charitas refriguit, agnoscamus. Et ne cuiquam in dubium venire debeant ea quæ de Dei famulo scribere inchoavi, ecce ex ore fratris Roberti coquinarii, viri utique bonæ conscientiæ et religionis immensæ, fere omnia suscipio; quippe qui adhuc superest et in illo quoque tempore coquinarius existebat.

Eorum paupertas.

« Igitur ut promisi, cum in illa novitate fundationis Domus nostræ, propter vini inopiam apud Castrum Sacri Cæsaris ad hospitium ancillæ Christi, Dominæ videlicet Bermundis*, frater Petrus missus esset, ut ibidem a fidelibus vinum misericorditer erogatum reciperet; misit illa præfato servo Dei Stephano quasi novum xenium, quod scilicet vulgariter dicitur « mussina » racemorum, necdum enim adhuc illo in tempore

* *Al.* Beringardis.

Vide an. 1209 num. 8.

ANNUS 1218

racemi hic intus fuerant asportati; cui cum a dicto coquinario oblata fuisset, eam Vir sanctus cum gaudio suscipiens, deosculabatur dicens : Benedictus Dominus qui nobis hoc donum suæ benedictionis transmisit. Cum enim jejuniis et frequentibus abstinentiis nimis exesus esset, et ætate jam prolixa debilitatus illius xenii beneficio potius indigeret; per privatum tamen amorem se diligere nesciens, sed ea magis quæ sunt Dei et Christi ardentius quærens, ad Fratrem alium mox transmisit dicens : Tolle hoc munusculum et defer illud Domno Joanni qui vicinior existit; ipsi enim magis necessarium est quam mihi, et hujusmodi multo amplius indiget, utpote valetudinarius, debilis et longævus. Quæ cum ad eum delata fuisset, ipse similiter propriæ senectutis debilitatem non attendens, proximiori socio, qui ut sibi videbatur his opus magis haberet, deferri rogavit; sicque factum est, ut eadem mussina per cellas singulis monachis præsentata, ad Virum venerabilem Stephanum eam coquinarius integram reportaret. Quod cernens Vir beatus in omnipotentis Dei laudes et gratias, expansis manibus, prorupit dicens : Nunc, o Domine Jesu, nunc video, nunc percipio te Dominum, qui totus charitas es, in nobis pauperibus servis tuis veraciter permanere. Ex hoc enim, hoc donum tuæ misericordiæ securus suscipio, et ex ipso cum gratiarum actione quamvis indignus vesci præsumo. Sit nomen tuum benedictum. Sed et nos, Fratres carissimi, his auditis gratias agamus Deo nostro, et in ipso specialiter exultemus, qui nostris quoque temporibus in hac Domo nostra saluberrimum fraternæ charitatis exemplum factum fuisse cernimus, quod beato scribente Hieronymo, olim in antiquorum Vita Patrum legimus contigisse.

Singulare moderationis exemplum in cibo.

STEPHAMI CHARITAS IN DEUM ET PROXIMUM.

Cap. 7.

VI. « Porro sicut in altario tabernaculi, præcipiente Domino, ignis ardor continuus lignorum materia nutriebatur, sic in ara cordis istius sancti Viri, flamma charitatis indeficiens exercitio bonorum operum fovebatur. Nam quamvis frater Robertus id mihi narraverit, fratris tamen Joannis viri venerabilis et industrii relatione hoc ipsum veracius cognovi. Aiebat enim quod cum ipse juvenculus et hujus Dei famuli

ANNUS 1218

* *Vox gallica pro* sacco sarcinario.

cursor existeret, habebat Vir sanctus in consuetudinem, ut quando pro expediendis Domus nostræ negotiis foras equitare cogeretur, panem et caseum, sive in *mala** sive in alveolo sellæ suæ faciebat reponi, quæ videlicet pauperibus et egenis obviantibus misericorditer largiretur. Cum vero jam ex his nihil omnino dandum superesset, ad nummorum recurrebat subsidium ; nollens vir pius indigentem aliquem a se recedere vacuum aut immunem. Quadam autem die cum Domi residens esset, affuit pauper quidam clericus caligas non habens in tibiis, qui ut sui misereretur eidem humiliter supplicabat. Quem Vir Domini pietatis intuitus oculis, mox ut erat misericordiæ visceribus affluentissimus, exuit se caligis et pedulibus suis et eidem Clerico tradidit induenda ; ipso prorsus nudatis cruribus et tibiis remanente. Vicit itaque dulce pectus pietatis formidinem paupertatis, cum profecto Domus inopiam non attenderet et nuditatem propriam non timeret. Verum tunc temporis quis infirmus erat et ipse non infirmaretur ? quis scandalizatus et ipse non scandalizaretur ? Quis, inquam, in afflictione positus, et ipse non pleno cordis affectu compateretur ? Cum Frater quidam judicio Visitatorum, culpis suis exigentibus, in remotis valde partibus ad aliam Domum Ordinis sub disciplina fuisset destinandus; hoc ut audivit Christi famulus, prostravit se ad eorum pedes humiliter misericordiam postulans, quatenus eidem Fratri parcentes quantamcumque vellent pœnam infligerent, dummodo in Domo propria disciplinandus sine periculo remaneret. Timebat siquidem Vir Domino plenus ne fortassis filium, quem in Ordine genuerat, aut immoderata cordis tristitia a voto religionis expelleretur, aut ingens laboris et itineris prolixitas, ad perficiendam, ei quæ injuncta fuerat disciplinam, nimium deterreret. Visitatores vero imprimis ejus precibus nullo modo volentes acquiescere, in sua sententia inflexibiles et rigidi persistebant. Tunc sane videres sanctum senem Stephanum illa debilia membra humi coram eis miro cordis ardore prosternere, et quoties repulsus esset, toties prosternendo se ardentius insistere; protestans et affirmans suo spiritui requiem non habere

donec illius Fratris miserantes, eum a profectione debita relaxarent. Qui profecto cum sancti Viri mirabilem cernerent compassionem et misericordem pariter ejus instantiam, pia illius importunitate devicti, dictam sententiam propitii revocarunt. Et quia, carissimi, audivimus quomodo Vir iste sanctus in compassione proximi crucem suam intus portavit in corde, audiamus nunc qualiter per afflictionem carnis crucem exterius gestavit in corpore.

ANNUS 1218

S. Gregor. homil. 32.

VII. « Igitur Georgius, vir utique venerandæ senectutis et immensæ devotionis, mihi multoties narravit quod cum in cella proxima juxta Virum Dei moraretur, per quatuor annorum spatium antequam migraret ad Dominum, iste Dei servus tanto cœpit cruciatu corpus suum affligere, ut ipse Georgius a cella sua audiens miraretur, eo quod sæpius solito tot acciperet disciplinas. Diligenti itaque calliditate, ab eo pluries requisitus, tandem confessus est se infra diem et noctem unam triginta et duas disciplinas continuatim accepisse. Quod si ex humanæ fragilitatis infirmitate somnum capere cogeretur, corpus fatigatum vigiliis et attenuatum jejuniis plerumque in oratorio tantum, quasi in strato aliquantulum refovebat. Quod profecto stratum, aut præteritorum recordatione peccatorum contritus aut Dominicæ inspirationis consolatione lætificatus, dulcibus lacrymis sæpius irrigabat.

FACTUS SENEX SIBI RIGIDIOR EFFICITUR.

Cap. 8.

VIII. « Cum his charismatum donis homo Dei Stephanus coruscaret, divina miserante nostri providentia, talis nobis datus est Prior, qui quod per virtutes demonstraret exemplo, id etiam docens roboraret et verbo. Dederat ergo Dominus servo suo, quem constituit super familiam suam ut daret ei in tempore tritici mensuram, tantam prædicationis gratiam, quod nullus deinceps ejus successorum, sicut Fratres asserunt, in sermonis efficacia ei potuerit comparari. Ex eo namque quod Fratres tam affectuose tam studiose adhuc sancti Viri verba memorando recitant, profecto patet illum ignitum vehementer habuisse eloquium argenteum, scilicet Spiritus Sancti igne examinatum, probatum certe in terra cordis humani et multiplicatum septuplum. Cum ergo quærerem a sancto Dei homine Hermanno

VERBO ET EXEMPLO SUOS DOCET.

Ejus sermonum efficacia.

Psal. II, 7.

quomodo ita audientium corda sermo illius inflammaret, ut adhuc a tam longinquo tempore dulce esset Fratribus prædicationis ejus verba retexere, respondit : Vir quippe valde spiritualis eo mentes audientium calore verbi fortius incendebat, quo et ipse interius ardore charitatis amplius ignescebat. Et quia fortiter ardebat, ideo fortiter incendebat ; cum procul dubio usque adhuc videamus micantes scintillas verborum illius, de ore et de corde filiorum ejus mirabiliter emanare.

Exemplis probatur.

Sara Domina Montisfalconis.

« Adhuc autem quantæ constantiæ, quantæ humilitatis Vir iste beatus in suis sermonibus extiterit, gestæ rei sequens declarat exemplum. Sara, illustris domina Montisfalconis, ad illius exhortationem non solum ipsa, verum et multi de cognationis ejus progenie Nobiles, ab initio Domus tanta propter eum contulerunt et adhuc conferunt beneficia, quod post loci fundatores, specialissimi fundatores merito nominentur. Quadam itaque die cum esset Dei famulus ad Fratres inferius, ecce prædicta Nobilis ad eum visendum ex devotione advenit. Quæ quia sciebat eum virum justum et sanctum, multis precibus et eleemosynis familiaritatis ejus gratiam ac precum ejus participationem meruerat obtinere. Igitur post sanctæ confabulationis eloquia cum jam regredi præpararet, ex nimio devotionis affectu hominem Dei intuens ait : Veracissime sciatis, mi pater reverendissime, quod ego longe incomparabiliter vos amplius diligo quam filium meum Regnaudum. Cui Vir Domini audacter incontinenti respondit : O fœmina insipiens, quasi una de stultis mulieribus modo locuta es. Quis enim ego ? vel quid ego ? nescis quia ancilla tua panem tuum confectura, prius exagitatione cribri hinc et illinc a furfure farinam segregans, seorsum in partem florem similæ reponit ? sic profecto de me vilissimo pulvere debes perpendere. Ego sane in ventilabro rerum transeuntium positus, hinc inde concutior et illidor assidue. Sed illic superius, sancti Viri in cellis sepositi et inclusi jejuniis et orationibus ac vigiliis, vacante quantum unicuique misericors Dominus elargitur, cœlestia libere ac delectabiliter contemplantur. Illos ergo dilige, illos ama, illos venerare et lauda; ad illos spem

Rainaldus filius Saræ prædictæ.

Quam humiliter de se sentiebat Stephanus.

Alios prædicabat.

ANNUS 1218

et fiduciam tuam diligenter jacta. Hinc ergo colligite Fratres quanta virtute humilitatis et constantiæ iste Dei servus refulserit; qui nequidem ad momentum adulationis vitio videretur acquiescere, confestim non timuit tantæ nobilitatis Dominam verbis asperioribus increpare. Tantam quippe gratiam Dominus servo suo contulerat, ut non solum minores et mediocres, sed et multi Prælatorum magnates miro eum diligerent et venerarentur affectu, manifestam Dei gratiarum in eo florere prærogativam contemplantes : in morum videlicet honestate, in lætitiæ spiritualis alacritate, in fraternæ fervore charitatis, in sermonis suavitate et dulcedine, in personæ venustate, in incessus gravitate, in simplicitate innocentiæ et etiam in sui habitus humilitate. Talis namque Pastor nobis in primordio Domus a Domino debebatur, qui multis coruscans virtutibus, dilectus Domino esset et hominibus, et nobis quoad spiritualia et Domui quoad temporalia proficere probaretur.

A magnatibus diligebatur.

IX. « Interea iste Dei omnipotentis servus, cum se videret maxime propter ingruentem Domus inopiam pondere administrationis sibi commissæ anxie prægravatum, desiderio solitudinis et quietis amissæ flagrans, abiit Cartusiam ad Capitulum generale; ibi misericordiam petiit et accepit : inde Domum propriam Portarum regressus, ibidem remansit. Quod cum innotuisset viris venerabilibus et dominis Hervæo comiti Nivernensi et Vuillelmo episcopo Antissiodorensi, cæterisque Domus nostræ benefactoribus præcipuis, scripserunt unanimiter Priori Cartusiæ rogantes quatenus Virum Dei Stephanum novellæ Domui, quæ adhuc sub ejus regimine debile principium incœperat, remittere dignaretur; ut et ipsi qui de tanti Patris absentia dolebant, de illius itidem præsentia et consilio adjuti, facilius ob ejus sanctitatis merita ad provectum Domus intenderent et beneficia plurima uberius largirentur. Quo regresso, vir valde venerabilis ac religiosus plurimum Leobardus, monachus ejusdem Domus Portarum, qui post illum electus fuerat in Priorem, videns Virum Dei non nisi difficultate maxima ad procuratoriam suscipiendam induci posse, procuravit ut præcipientibus Visitatoribus ad

ABDICATO PRIORATU PORTARUM DOMUM REPETIT.

Cap. 8.

Ad preces fundatoris et episcopi Antissiodorensis remittitur ad claustrum Bellilarici.

Per aliquod tempus fit procurator.

ANNUS 1218

hujusmodi administrationis onus cogeretur; quatenus ad illius consilium et industriam, utpote qui tanti regiminis expertus longo tempore fuerat, tam spiritualibus promovendis quam temporalibus securius ac salubrius deserviret.

IN GRAVEM MORBUM INCIDIT.

Cap. 9.

X. « His itaque peractis, post aliquantum temporis procuratoria dimissa, cum omnipotens et misericors Dominus servum suum, qui in vinea sua fideliter laboraverat et a primæva ætate pondus diei et æstus libenter portaverat, vellet præmisso æternitatis denario munerari : corporis infirmitate correptus, decidit in lectulum. In hac autem infirmitate, sicut Domnus Georgius asserit se ab ipso servo Dei audiisse, quod nocte præcedenti antequam sacram Unctionem perciperet, quidam miræ claritatis quasi solis radius ad pedes cubiculi in oratorio cœlitus descendens, huic servo Dei apparuit; in illo videlicet loco, quo die crastina sequenti, expleto sanctæ Unctionis ministerio, crux extitit collocata. Quis enim non credat hujus signi miraculum ad indicium eximiæ ejus sanctitatis evenisse ? Et ne cui in dubium venire debeat, cum in plerisque Sanctorum exemplis signum non dissimile sæpius reperiatur; ecce non longe post, in monasterio Callonii Cisterciensis Ordinis, super Reverendissimum Dei famulum ejusdem cœnobii monachum, nomine Garcium, quem ego quoque vidi, ante cubiculum suum orantem, a Priore ejusdem monasterii hujusmodi radius visus est descendisse. Cum vero, sicut dictus Prior postmodum retulit, super insolito miraculo, intentis luminibus in eum inhærens, miraretur, æstimavit protinus visionem illam a lunæ claritate procedere; sed ad se continuo reversus cœlestem esse credidit visionem, maxime cum in dormitorii tecto nullum omnino foramen appareret, nec luna tunc temporis radiaret.

Radius super eum apparet.

« In hac ægritudine Domnus Hermandus, ut erat vir charitatis atque compassionis fervore magnificus, ac per* hoc de istius servi Dei valetudine valde sollicitus; cum ad eum, sicut mihi veraciter narravit, intrasset, invenit eum cum tanta inundatione lacrymarum hymnum Trium Puerorum, scilicet *Benedicite omnia opera Domini Domino,* per semetipsum solum

* Propter.

In oratione lacrymas fundit copiosas.

ANNUS 1218

dicentem. Quo viso, Domnus Hermandus stupens et admirans ait illi : Cur Pater ita vos vehementer affligitis ? respondit : Ego certe, fili dilectissime, totus dissolvi, totus effundi in hujusmodi lacrymas vellem. Consideremus, quæso fratres, consideremus si possumus ; istæ uberes et dulces admodum lacrymæ de quonam fonte eruperint, nisi ab ipso qui fons est aquæ salientis in vitam æternam, et de quo dicitur : Flabit spiritus ejus et fluent aquæ ? Et unde tam ardens illius responsio, nisi ab illo qui ignem sui amoris accenderat in visceribus illius ? Quæ vox, inquam, vel quæ lingua exprimere poterit, in quanto mentis culmine in illa hora Christi servus extiterit, quando ad Omnipotentis Dei laudem et benedictionem omnia ejus opera ardentissimo affectu invitabat ? Præ maxima, ut æstimo, cordis jubilatione et suavi Sancti Spiritus unctione, videbatur eidem quod non essent condignæ laudationes humanæ ad reddendas omnium Creatori gratiarum ac laudum actiones, pro ineffabili divinæ largitatis dulcedine quam ipse in arcano cordis thalamo infusam abundantissime sentiebat.

Psal. 147.

FERVOR EJUS USQUE AD OBITUM.

XI. « Verumtamen infirmitas hæc, fervore devotionis minime refrigescente, illum nequaquam potuit impedire quin ad ecclesiæ ostium Missam auditurus quotidie procederet, præter pridie scilicet quam obiret. Ea namque die fecit Fratres laicos præsentari ; quibus præsentibus cum Monachis, sacræ Unctionis et Corporis Dominici sacramenta cum summa devotione et reverentia suscepit. Osculo itaque juxta morem Ordinis singulis dato, statim unumquemque secundum quod in quolibet reprehendendum noverat, amicabili reprehensione hortabatur. Unde et uni eorum dixit : Oportet te quæso, fili dilectissime, quia nimis negligens esse comprobaris, ut ipsam negligentiam et incuriam in sollicitudinem et solertiam convertas. Alteri quoque subsequenter dixit : Sic et te frater, deprecor, ut iracundiam tuam per lenitatis mansuetudinem studeas mitigare. Deinde ad alium subjungens, ait : Hæc tui animi levitas quo aliquantulum dissolutus es, necesse est, dilecte mi, in gravitatem Ordinis permutari. O Pastor bonus et prudens, qui vultum pecoris sui sapienter considerans, sciebat quo

Missam quotidie audit.

Extrema Unctione munitur.

Singulos monachos hortatur.

ANNUS 1218

pede gravius claudicaret, dum quibuslibet singulorum vitiis obviantia adhiberet medicamenta.

Ferventiores de charitate erga debiliores admonet.

« Postmodum vero osculatis omnibus, propter quosdam de astantibus qui quamvis ad abstinentias et vigilias faciendas fortes essent et fervidi, circa tamen senum ac debilium necessitatem minus plene seduli existebant, sermonem brevissimum contexuit dicens : En, Fratres, vos admoneo, vos exhortor in Domino, evidens præcipue de memetipso præbens exemplum. Ego quidem plerumque vigiliarum prolixitate et protracta matutinalis officii psalmodia plurimum fatigatus, vehementer exoptabam finitis Matutinis ad cellam regredi, ut saltem ibi super scamnum senilis corporis membra aliquantulum refoverem. Cumque post paululum resumptis utcumque viribus respirarem, tunc profecto ex devotione erat mihi voluntarium in animo Missam celebrare, si quomodo præsto posset fieri qui adjuvaret. Tandem vero ad cellulæ ostium conspiciens si forte occasionem perficiendi quod suggerebat devotio reperire potuissem ecce Sacrista per claustrum suos caternulos deferens oculis apparebat; per quod videlicet perspicaciter advertebam, et vos qui fortes estis et juvenes Missas vestras jam celebrasse, et me senem et debilem fraudatum a desiderio meo et tanti Sacrificii suffragio caruisse. Quapropter, o filioli mei, vos obnixe deprecor in Christo Jesu, quatenus cum inter vos senex aut debilis aut infirmus quisquam fuerit, ipsius infirmitatem supportare velitis ex animo, et unusquisque prompta ac ferventi quadam præsumptione, in obsequiis ægrotantium atque debilium, quantumcumque privata* fuerint aut vilia, Fratrem suum prævenire contendat; ac per hoc felicem et beatum se esse minime dubitet cui tale quidquam a Domino datum fuerit operari. Hac igitur de causa clamat Apostolus : Alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi. Constat ergo, sicut ipse ait, quod plenitudo legis est charitas et ubi plenitudo, ibi procul dubio nihil remanet adimplendum : sicque nimirum, charissimi, hoc agentibus fiet, ut pro vili et transitorio servitio, perpetua atque pretiosa vobis a pio Domino donetur remuneratio animæ.

Sæpissime sanus Missam celebrabat.

* Parva.

Gal. 6, 2.

Rom. 13, 10.

ANNUS
1218

XII. « Erat autem ipsa die feria sexta. Subsequenti vero nocte, cum Domnus Hermandus sacrista, et frater Robertus coquinarius, et frater Vuillelmus sutor, circa sanctum Dei famulum pernoctantes vigilarent, ecce circa noctis medium factus est repente super eum mentis excessus. Jacebat enim supinus, manibus super pectus depositis, apertis quidem et scintillantibus oculis, non gemens neque plangens, sed ita, quod profecto mirabile est, anhelitu temperato ac si sanus esset et dolorem penitus non sentiret. In hoc quidem statu, ut asserunt, tamdiu permansit, quousque ab hoc loco ad pastorum grangiam posset aliquis usque procedere, quod est spatium quasi unius Agendæ dicendæ. Interim Domnus Hermandus, curvatis super formam genibus, ante servum Dei lucernam in manu ardentem tenebat, totus effluens ubertim lacrymis, sciens pro certo virum sanctum Dei esse in extasim raptum, et ea jam procul dubio arcana cœlestia contemplari, quæ eis pro peccatorum demeritis cernere non liceret. Quod ut ille sicut et nos super hac re tam beata certiores efficeremur, venerabilis Hermannus brachium sancti Viri quamvis tremens et pavidus pertractando sublevabat, et eum, Domne, Domne vociferans, nominabat. At ille sicut homo non audiens, qui utique humanæ carnis sensus excesserat, nec sic quidem ab hac mirabili visione poterat excitari. Sane ab omnibus qui tunc temporis erant, sed et ab his quidem qui nunc usque supersunt, ex paterni amoris magnitudine et honoris reverentia, quasi sibi proprio nomine *Domnus* appellabatur. Stabat autem et frater Robertus in oratorio ad pedes lectuli et frater Willelmus ad caput juxta Virum Dei Hermannum.

MENTIS EXCESSUM PATITUR.

« Cum ergo ab hac gloriosa contemplatione Vir beatus ad semetipsum reversus esset, suspirando exclamans, ait ; ah Domine, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis ! Tunc venerabilis Hermannus lacrymis suffusus dixit : Quia, Pater, te vidisse talia non dubitamus quæ nos ipsi peccatorum pulvere excæcati non possumus videre, rogamus corde supplici, ut nobis hic astantibus, filiis tuis, de illa internæ dulcedinis visione salutiferum quid eructes quo possimus et nos

Ad se reversus, quid viderit enarrat.

ANNUS 1218

Chorum Beatorum vidit.

in amorem invisibilium rapi, et in amore Dei et charitate uberius inflammari. Nonne, ait, vidistis ea quæ ego ipse vidi nunc ? Illam Beatorum multitudinem vidistis, quæ modo hinc exiens discedit ? Non, inquiunt, Pater sancte, quia digni non sumus. Rorate, inquit, paululum labia mea. Quibus rigatis, vir Deo plenus ex abundantia cordis os aperiens et dicens, non vidistis gloriosam illam candidatorum hominum societatem ? Vere certissime sciatis viros super nive dealbatos ac mirabili claritate fulgentes totam cellulam istam implevisse, in quorum aspectu et pulchritudine ineffabiliter consolatus sum in Domino et gavisus. Insuper etiam promiserunt mihi, quod cras mane oriente sole reversuri sunt, et me in suum sanctum consortium recepturi. Ad quem venerabilis Hermannus flens et ejulans dixit : Quid ergo faciemus Pater ? tu nos desolatos et Domum istam in maxima paupertate positam derelinquis ? Nostri quæsumus miserere, ut cum veneris in regnum quod tibi ob sanctitatis tuæ meritum confidimus præparatum, te pium intercessorem habere mereamur in cœlis, quem ministrum fidelem habuimus in terris.

Ab eis recreatus horam mortis suæ accepit.

SUOS CONSOLATUR.

XIII. « Absit hoc a me, fratres charissimi, ut vos unquam deseram et vestri immemor existam. Sed si tanti apud misericordem Jesum dignus inveniar, pro filiis meis, quos in Christo genui, libentissime deprecabor. De paupertate autem Domus et inopia, nolite solliciti esse dicentes : quid manducabimus aut quid bibemus, aut quo operiemur ? scit enim Pater vester cœlestis quid vobis necesse sit. Erit enim Domus in pendulo per quindecim annos; sed procul dubio post dies illos erit una de melioribus et præcipuis Domibus Ordinis nostri. Erit, erit et forma et speculum summæ religionis, ac posthac multi ab Oriente et Occidente huc venient per successiones temporum sub Ordinis disciplina in hoc loco suas animas salvaturi. Tunc frater Robertus eum interrogans, dixit : Quid ergo illi nobili Dominæ Montisfalconis mandabitis, quæ videlicet vos tenere diligit in Christo ac semper dilexit ? Cui ille : Si sic secundum consilium meum permanserit ut cœpit, ut scilicet in via charitatis et pœnitentiæ perseveraverit, salva erit

Matth. 6, 33.

Hæc prædictio effectum habuit per plures annos.

Vide quæ diximus anno 1209 n. 11.

et misericordiam accipiet a Deo salutari suo. Et rursum frater Robertus : Quid et carissimo et speciali amico vestro Domino Abbati S. Satyri? Respondit : Abbas, et Subprior S. Satyri veniunt. Quo audito stupefactus, frater Robertus putans eum ex nimia cerebri exinanitione talia proferre, ait : Nox est, et vos dicitis quia ipsi jam veniunt. Scitisne sana mente, Domne, quid dicitis? Cui ille hilari vultu et placido respondit : Valde certe insipiens es. Scio, quidem scio. Quin etiam, adhuc tibi mente sobria denuncio Priorem de Mena cum eis similiter advenire. Cras enim invenient me; sed nequaquam mecum loquentur. Vis etiam ut adhuc quiddam his majus etiam tibi edisseram? Dominus episcopus Antissiodorensis venit, sed omnino me ulterius non videbit.

ANNUS 1218

Gaudet spiritu prophetico.

« Mane autem facto et Conventu jam Beatæ Mariæ Missam celebrante, sciens Vir beatus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Dominum juxta promissionem sibi cœlitus factam, fratrem Robertum sic allocutus est : Quia tempus resolutionis meæ instat, perge nunc velox ad ostium Ecclesiæ, ibique pulsans indicabis Fratribus jam me velle dissolvi, et ideo nullus se præparet ad celebrandum; sed statim huc ad me cuncti adveniant jam jamque ab eis sine dubio recessurum. Deinde inferius descendens, Procuratori dices quod si adhuc semel me videre voluerit huc sursum ascendere studeat festinanter. Postmodum vero Fratri pistori dices ut non in pastam fermentum immisceat, quia amplius quam oportet fermentum acciperet. Et magistro pastori similiter, ne in campum cum ovibus eat; nec non et cultori vineæ ne ad vineam pergat. Quibus singulis nuntiabis quatenus huc celeriter accedentes, videant finem meum mox futurum. Familiæ quoque præcipies, ut pivos, palas et ligones afferentes mihi sepulchrum effodiant juxta crucem. Quibus omnibus secundum Patris jussa peractis, frater Robertus cum festinatione regrediens, invenit Monachos circa sanctum Dei hominem Horas diurnas exequentes. Accedens itaque ad caput lectuli, posuit brachium super jacentis humerum dicens : Domne, scitis vos quid dicunt isti? cui Vir sanctus subridendo dixit :

Horam sui obitus designat.

ANNUS 1218

semper quidem insipiens es. Scio bene quid ipsi dicunt, et etiam si fallerent, scirem utique quo loco non recte dicerent; sed quia ex nimia infirmitate debilitatus existo, eis omnino nullum valeo adjutorium exhibere. Deinde post modicum: Sitio, inquit. Accepta igitur aqua, ter in os suum tantummodo cum cocleari manu propria injecit. Cum ergo gustasset, dixit: Satis est, sufficit. Sed cum inclinato capite illico vultum demitteret, æstimans eum frater Robertus caput lectuli velle altius erigi, dixit: Domne, vultis ut elevato paupulum pulvinari retro, super illud vos collocem? at ille nihil respondit, sed manu tantummodo signum edidit. Quo viso frater Robertus exclamans dixit: Ecce, o viri, Dei servus jam emigrat; ecce jam obit. Quem statim accipientes, in terram deposuerunt, asperso prius benedicto cinere subtus eum in modum crucis. Cum igitur D. Willelmus novitius brachium ejus sinistrum super pectus illius more morientium applicuisset, ecce Vir venerabilis brachium dextrum ipsemet erigens juxta alterum collocavit, dicens: O Domine, Deus omnipotens, rex æternæ gloriæ, miserere mei; et cum hoc dixisset, obdormivit in Domino.

Super cinerem in terra deponitur.

PIE MORITUR.

XIV. « Quo defuncto vox confestim in cella audita est, ploratus Fratrum et ululatus multus qui, pro amisso tam boni Pastoris salubri consortio, effluentes ab oculis lacrymas præ dolore et tristitia comprimere non valebant. Aliquanti tamen quia eum aliter mori quam cæteros viderant, dubitare cœperunt pro eo quod nullum planctum, nullum gemitum, nulla suspiria, nullosque singultus, sicut morientibus fieri assolet, eum mittere perceperunt, non deformi facie, sed ita sereno vultu et placido jacere ac si dormienti tranquillo similis videretur. Propterea unus ex astantibus articulos pedum illius aspere attrectabat; alius vero, super mamillas manus imponens tentabat si quomodo motione pulsus viventis hominis signum aliquod percipere potuisset. Attamen non erat vox neque sensus, quippe qui associatus Angelicis choris sic interius jam gaudebat de æternæ salutis munere, ut non esset jam quod exterius doleret de carnis corruptione. Itaque delata ad ecclesiam sancti gleba corporis Missaque in Conventu pro

Statim post mortem ad ecclesiam defertur.

ANNUS 1218

eo nondum finita, ecce vir venerandus abbas S. Satyri Rogerus, sicut servus Dei nocte transacta prædixerat, advenit. Cui cum occurrisset frater Robertus coquinarius, ait illi dictus Abbas : Frater, nos audivimus carissimum nostrum Fratrem Stephanum infirmum esse, et ideo venimus eum visitare. Quomodo est illi ? Quidnam ergo facit ? Qui respondit : Domine Pater, Deus omnipotens qui vivorum dominatur simul et mortuorum, animam ejus paulo ante nunc sustulit; corpus autem illius in ecclesia invenietis. Supprior autem vir valde religiosus Durandus, secundum consuetudinem suam psalmos aliquos ruminando ultimus veniebat. Qui cum Fratri Roberto appropinquaret dixit : En Frater, domnus Abbas advenit invisere Fratrem Stephanum dilectum nostrum ; audivimus enim quod ipse infirmatur. Quænam ergo illi infirmitas vequemadmodum ipse nunc agit ? Cui ille : Melius, Pater, quam unquam usque ad præsens egerit, nunc facit. Quippe ejus anima modicum ante discessit : corpus vero in ecclesia positum est; ibique cum ingenti Fratrum mœrore et multa lacrymarum effusione jam pro eo Missam nostri celebrant seniores. Quo audito vir pius cœpit magna voce lacrymari, cujus clamore excitatus idem Abbas conversus ad eum, increpabat eum ut taceret, dicens : Non enim decet hominem religiosum clamosa voce plangere, et cum pium sit flere pro nostra ipso rum desolatione istum sanctum Dei Stephanum, magis tamen pium est illi pro sanctitatis illius æterna remuneratione congaudere. Missa itaque celebrata, rogavit idem venerabilis Abbas humiliter et devote quatenus ei liceret pro defuncto Dei servo sacrificium omnipotenti Domino offerre, et ipsius defuncti sanctum corpus similiter sepelire. Et quia nondum adhuc illo in tempore Abbates consueverant in nostris altaribus celebrare, communi consilio maluerunt potius disciplinam ab Ordine incurrere, quam devotioni tanti Patris in aliquo contraire. Hac enim occasione, Priori Leobaudo in generali Capitulo culpam suam propter hoc confitente, institutum fuit ut Abbates, secundum dispositionem Prioris aut Vicarii, in nostris altaribus de cætero celebrarent.

Adsunt amici quos adfuturos prædixerat.

Rogerus abbas S. Satyri.

Durandus Supprior.

Non decet Religiosum cum clamore plangere.

Abbates olim in nostris altaribus non celebrabant.

Nostrorum simplicitas.

ANNUS 1218

WILLELMUS EPISC. ANTISSIODOR. POST SEPULTURAM ADEST.

XV. « Ut autem et aliud sancti prophetæ nostri vaticinium, quod de nocte similiter spiritualibus oculis præsens pariter et futurum clare perspexerat, de die humanis adimpletum visibus appareret ; sepulto jam sancto corpore, cum jam Conventus in refectorio prandere cœpisset, nondum adhuc pitantia propinata, ecce subito super pontem grandis equorum strepitus factus est, quo excitatus venerabilis vir Frater Robertus coquinarius, quid hoc esset videre sollicitus, foras exivit. Et ecce vir venerabilis Willelmus Antissiodorensis episcopus obvius affuit, dicens : Patrem nostrum Fratrem Stephanum videre cupientes huc accedimus, quod profecto eum audivimus ægrotare. Cui Frater vultu lacrymabili respondit : En, Pater, in isto ipso mane ad Dominum transivit jamque corpus ejus sepultum est. Quod ut audivit vir Deo plenus, turbatus in sermone ejus, ait : Cur non statim mihi illum fuisse infirmum nunciare curavistis ! Cui ille : Nos ipsi etiam, Pater sancte, tam velocem esse illius exitum minime sperabamus. Tunc totus infremuit idem Episcopus. Commota sunt quippe viscera ejus super eo ; in tantum ut coram omnibus anxie acclamaret cum juramenti attestatione dicens : Ego certe episcopalem baculum potius amisisse maluissem quam cum sancto Dei homine locutus, antequam decederet, non fuissem. Verumtamen, inquit, ubi posuistis eum ? ad tumulum ejus me confestim deducite. Ubi cum astantibus Clericis suis præsens adfuisset, ex nimia cordis angustia, quamvis dissimulare conaretur, non poterat ulterius se continere ; quia erumpebant lacrymæ quæ nimirum ubertim ab oculis defluentes, totam vestimenti sui circa pectus superficiem madidam reddiderunt. Istius siquidem venerandi viri confessor specialis extitit, quamdiu prioratum gubernavit. Flente itaque Episcopo et ab imo cordis suspirante pariter ac gemente, vix erat de illius domesticis qui se a lacrymis posset aliquatenus cohibere. Pontificali igitur absolutione et benedictione facta, quasi viventem hominem, defunctum corpus sic allocutus est : Frater Stephane, ea autoritate, qua licet peccatores et indigni sub divina dispensatione perfungimur,

Ubertim mortem illius deflet.

Stephanum confessarium habuerat.

vobis locum istum cum habitatoribus suis commendamus; quatenus vestris de quibus plurimum confidimus meritis suffragantibus et precibus, et æternis in omnipotente Domino semper proficiant institutis, et temporalibus nunquam destituantur auxiliis. Amen.

ANNUS 1218

XVI. « Deinde ad cellam et locum in quo Sanctus obierat, se deduci humiliter postulavit. Qui cum intrasset sequentibus clericis, ob amorem carissimi sui, et ad memoriam sancti hominis imposterum conservandam, justam et scyphum illius sibi dari devotissime precabatur. Tunc profecto cerneres certatim unumquemque de Clericis devota contentione quodcumque de Sancti utensilibus reperire poterant, illum videlicet zonam arripere sibi, istum coclear attrahere, alium vero sibi cultellum pro sanctuario maximo vendicare. Prior etiam Montis Dei nostri Ordinis, cum pergeret ad Capitulum generale associato sibi Vallis Dei Priore, et uterque, cum servus Dei ungeretur, adesset præsens, ex magna devotione rogavit quam plurimum sibi illius aumuciam reservari. Id quoque longo post tempore audivimus, quod præfatus vir venerabilis Willelmus tunc Antissiodorensis episcopus, postea vero præ sanctitatis ejus merito Parisiensis episcopus, cilicium sancti Viri de quo nunc agimus, usque ad obitum suum solerti cura fecerit custodiri; et cum se mori cerneret, se super idem cilicium devotione mirabili jusserit collocari. Magnam profecto pius Antistes fiduciam concipiens, quod is qui syrophœnissam mulierem tactu sui fimbriæ vestimenti de profluvio sanguinis mirabiliter sanaverat, per preces et merita sui sancti famuli, cujus super cilicium agonizans discumbebat, a leonibus paratis ad perdendam suam egredientem animam propitius liberaret. Quis sane nostrum, o carissimi, hunc beatissimi Viri finem pretiosum atque miraculosum fuisse non prædicet, cum profecto in primis ad virtutum studia, sanctæ conversationis ejus exempla et merita nos provocent; cum deinde supernæ lucis radium suam cellam penetrantem corporalibus oculis viderit, cum et beatos cœlestis patriæ cives sibi colloquentes aspexerit; cum ea jam completa ipsi cernimus, quæ ex vicino

JUSTAM EJUS ET CYPHUM PRO RELIQUIIS ACCIPIT.

Aumucia.

Cilicium ejus apud se factus Episcopus Parisiensis servavit.

ANNUS 1218

et quæ longe post futura prophetico afflatus spiritu prædixit; cum sepulchrum sibi sicut de beato Joanne Evangelista et sancto Benedicto legitur, ante mortem suam aperiri fecerit; cum mortem suam et mortis horam clara voce Fratribus pronunciaverit, cum postremo non quasi moriens, sed quasi in suavem et placidum somnum obdormiens, extra morem morientium ipsam mortem susceperit? Pretiosa est ergo in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, cui benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo in sæcula sæculorum, Amen. »

OBSERVATIONES IN VITAM STEPHANI.

XVII. Multa notatu digna circa Missarum tum conventualium tum privatarum frequentiam, abstinentiarum diminutionem et alias hujusmodi singulares, licet non essentiales, Ordinis observantias in hac Vita occurrentia jam alibi oblata occasione his inseruimus Annalibus. Præter quæ si adhuc tria aut quatuor nostra observatione non indigna hic subjungamus, Nostris non ingratum fore censemus.

Ad lectum redit post Matutinas.

1. Adnotare debemus Stephanum nihil Consuetudinibus Guigonis contrarium patrasse quando factus senex et debilis, solitus erat post Matutinas « super scamnum senilis corporis membra aliquantulum refovere ». Licet enim juxta præfatas Consuetudines « ad lectos post Matutinas nullo redire tempore » liceat, non dubium quin scamnum illud tunc in usu fuerit ad levamen infirmorum; imo certum tenemus in potestate Prioris semper fuisse ad lectum remittere quos tali solatio indigere judicabat; cum et ipse Guigo declaret nullum « repugnare fas habere, si ei Prior aliquid cibi seu *somni* facere vel imponere voluerit ». Unde Antiqua Statuta jam ante quadringentos annos edita, « infirmos, minutos et licentiatos a Priore ex causa », ab hac eximunt regula. Quid vero de ejus mutatione (de qua alibi dicendum occurret) sentiendum sit, aperte in primo volumine explanatum habes. Porro advertat lector Cartusiensis, ex hoc loco Vitæ Stephani, antiquitatem scamni et usus illius, quod ideo *misericordiam* etiamnum vocamus.

Cap.29, n.3.

Ant.Stat.p.1. cap.41. nu.12.

NOMEN DOMNI INTER NOS ANTIQUISSIMUM.

XVIII. 2. Autor hujus Vitæ observat quod beatus ille Vir « quasi sibi proprio nomine *Domnus* appellabatur. » Quod

quidem non ita intelligendum est, ut alii Monachi *Domni* non dicerentur, sed quod ipse Stephanus præ cæteris *Domnus* sine ulla alia adjectione, simpliciter ex quadam speciali prærogativa nominaretur. Constat enim ex eadem Vita quod idem nomen Monachis ipsisque etiam Novitiis tribueretur, siquidem fit ibidem mentio Domni Hermandi sacristæ, Domni Willelmi novitii et aliorum. Olim etiam Prior Cartusiæ ante tria secula non alio vocabulo designabatur in nostris Chartis capitularibus, ubi sæpius *Domnus Cartusiæ,* et in vetusto Cartusiæ Ceremoniali aliquando dicitur *Major Domnus;* sed convenientius postea titulum *Reverendi Patris* accepit. Hæc vox, scilicet « Domnus » antiquissima est, et tribuitur Abbati in Regula S. Benedicti; non solum in editis sed etiam in ms. codicibus ut recte asserit Menardus; quod nos etiam in quodam codice ante quingentos annos exarato animadvertimus, ubi non *Dominus* sed *Domnus* legimus. Quamobrem et nos qui multa a S. Benedicto mutuati sumus, Priores nostros hac semper appellatione ab Ordinis fundatione cohonestavimus, ut ex epistolis primorum Domus Portarum monachorum a Chiffletio editis, et infinitis horum temporum autoritatibus probare possemus. Ab exteris quoque sic appellatos fuisse, testantur epistolæ S. Bernardi, Petri Venerabilis et aliorum multorum. Quandonam vero simplicibus etiam Monachis hæc nomenclatio cœpit impertiri, non plane reperio. Cassinenses, teste Hafteno, ad differentiam Mendicantium, monachos suos appellarunt « Domnos. » Sed vox illa antiquior fuit apud nos; nam præter autoritates superius ex Stephani Vita annotatas, alias quoque vetustiores reperio in Vita S. Hugonis Lincolniensis, ubi autor loquens de pluribus Withamiæ monachis, eos « Domnos » appellat, ut passim suis locis vidimus. Attamen cum et aliquando Nostris etiam « Domini » nomen affingeretur, voluerunt Patres sub finem regiminis Jancelini, id est circa annum 1230 in Comitiis generalibus congregati, ut « fieret admonitio in Domibus Ordinis, ut Monachi amplius non appellarentur Domini, sed Monachi ». Quam admonitionem noster Rifferius ad Priores

ANNUS 1218

Reg. S. Ben. cap. 63.

Men. in not. ad concord. Reg. cap. 70.

Disq. mo. lib. 3. tract. 4. disq. 4.

Ex supplem. ad constitut. Jancelini.

Ant. St. p. 2. cap. 32. n. 23.

ANNUS 1218

etiam postea extendit, quos Guillelmus Raynaldi vult a suis Domnos vocari. « Priores, inquit, ad invicem scribendo, non scribant Reverendo, sed Religioso aut Venerabili vel Dilecto; et a suis subditis Domni nuncupentur. » Nihilominus idem titulus ipsis etiam Monachis communis erat, quamobrem « ordinamus, inquiunt Patres Capituli generalis anni 1439, quod in Provinciis in quibus apud notabiles utriusque status personas ad Domos nostras declinantes, laborat scandalum de hoc quod Monachi Domni nuncupentur ; juxta discretionem Visitatorum illarum Provinciarum, Monachi nostri *Fratres* amodo nominentur. » Hanc ordinationem sive illius sensum Franciscus a Puteo suæ inseruit Compilationi. Nova vero Collectio eam his verbis confirmat : « Nulli Prælati aut subditi Ordinis Domini appellentur, sed Domni ; et Monachi, Fratres ; in provinciis illis in quibus inter seculares esset scandalum, si vocarentur Domni. » Cum vero epistolas aut quæcumque instrumenta sive publica sive privata subscribimus, proprio nomini gloriosum Monachis « Fratris » titulum semper præponimus.

Stat. nov. p. 2. cap. 3. num. 15.

3. Compil. cap. 13, n. 5.

Nov.Collect. c. 22. n. 64.

Appellatio fratris gloriosa.

NULLI EXTRANEO LICEBAT IN NOSTRIS ECCLESIIS CELEBRARE.

XIX. 3. Notanda est Nostrorum simplicitas, qui Abbate S. Satyri licentiam petente celebrandi Missam pro defuncti Stephani requie, « communi consilio maluerunt potius disciplinam ab Ordine incurrere, quam devotioni tanti Patris in aliquo contraire. » Nec eorum scrupulus causa carebat speciosa, siquidem inter ordinationes a celebratione primi Capituli generalis ad tempora usque Jancelini tunc toti Ordini Præsidentis promulgatas hæc legebatur : « Prohibemus ne Monachi vel Canonici in ecclesiis nostris majoribus Missas celebrent. » Majores tunc dicebantur ecclesiæ, quæ erant in Domo superiori ; ad distinctionem ecclesiarum Domus inferioris, in quibus cuilibet sacerdoti licebat celebrare. Verbo igitur generali, scilicet « monachi », in præfata prohibitione expresso, Conventuales Bellilarici cum existimarent comprehendi et Abbates, dubitarunt an hujusmodi licentia præfato Abbati concedi posset. Tunc enim temporis unicum erat altare in nostris ecclesiis. Quamobrem venerabili Leobaudo eorum

Unicum altare.

Priore « in generali Capitulo culpam suam propter hoc confitente, institutum fuit ut Abbates secundum dispositionem Prioris aut Vicarii, in nostris altaribus de cætero celebrarent. » Nec solum Abbatibus sed et Prioribus Conventualibus Ordinum approbatorum, ut loquuntur Statuta, in Conventu ; et privatim quibuscumque Fratribus de Ordine Prædicatorum et Minorum, tam superius quam inferius, Sacrum facere paulo post licitum fuit. Quod tamen hodie quoad Missas Conventuales in desuetudinem abiit. Hincque videtur orta inter nos altarium in nostris ecclesiis multitudo.

ANNUS 1218

Ant.Stat.p.2. c. 9. n. 19.

XX. 4. Denique non est omittendum quod mortuo Stephano, Prior Montis Dei « aumuciam » ejus pro reliquiis sibi petiit reservari. Rarus certe inter nos fuit hujusmodi capitis amictus, et rarior Aumuciæ vox, quam, præter hunc locum, nullibi in manuscriptis aut editis libris qui de rebus nostris agunt potui reperire, nisi semel in Ceremoniali Majoris Cartusiæ tempore Guillelmi Raynaldi editi ubi sic lego: « Cum sumus in Conventu facies nostras totaliter discoopertas tenere debemus, et *Almutias,* birretos ac capillos abscondere subtus caputium cucullæ, ne appareant indecenter. Non tamen excluditur, quin necessitate mediante vel propter somnolentiam evitandam, caput discoopertum tenere valeamus. » Nec ultra fit mentio almutiæ apud nos, quam tamen Guigo noster in suis Consuetudinibus complecti potuit sub verbo communi « pellium » quas inter vestimenta annumerat. Unde patet, maxime ex Vita Stephani, hoc genus vestimenti diu ante tempora Clementis V monachis concessum fuisse. Quod etiam probari potest ex fragmento historico de Concilio Aquisgranensi, ubi dicitur quod tempore Ludovici Pii « Monachis Gallicanis est indultum ut femoraliis. . . . . almuciis, etc., uti possent. » Sed Clemens V monachos nigros circa præcipua regulæ capita collapsos ad meliorem frugem an. 1311 revocans, inter cætera cum vestium qualitatem et formam eis assignat, quales etiam debeant esse eorum almutiæ non est oblitus, præcipiens ut « almutiis de panno nigro vel pellibus caputiorum loco. . . . sint contenti. »

AUMUCIÆ USUS APUD NOS.

Cerem.Cart. ms. cap. 1.

Consuetud. Guig. c. 28. num. 1.

Tom. 1. veter. Analect. Mabil.

Clement. de Stat. monach. c.1.ne in agro.

JESU CHRISTI

ANNUS 1219.

Honorii PP. III Ann. 3.	Ord. Cartus. Ann. 136.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 40.

INQUIRITUR DE SANCTITATE HUGONIS EPISC. LINCOLNIENSIS.

I. SEQUITUR Salvatoris nostri annus millesimus ducentesimus decimus nonus, Indictione septima, quo Honorius Pontifex Commissarios instituit Stephanum archiepiscopum Cantuariensem et Joannem abbatem de Fontibus Ordinis Cisterciensis, postea episcopum Eliensem; qui de vita et miraculis sancti Hugonis Lincolniensis religiosum examen instituerent, ut cunctis rite inquisitis et ponderatis, Sanctorum catalogo adscriberetur. Datis sequentibus litteris a Raynaldo suis Annalibus insertis.

« Honorius, etc. Gratias agimus gratiarum omnium Largitori, quod sicut ex vestris, fratres Archiepiscope ac Episcope, ac venerabilis fratris nostri. . . . . Eboracen. Archiepiscopi, nec non aliorum omnium Episcoporum Angliæ literis fuit expositum coram nobis, gratiam et gloriam dans Dominus, tanta sanctæ memoriæ Hugonem Lincolnien. episcopum prævenit et subsecutus est gratia, ut multas per eum in vita ipsius virtutes dignaretur mirabiliter operari; et nunc diebus istis tanta eum clarificavit gloria ut, ad dandam scientiam primæ stolæ beatæ immortalitatis ipsius, sepulchrum ubi corpus requiescit, ejusdem stola tandem beatificandum secunda divinis faciat coruscare miraculis: ita quod ejus inter alios Sanctos non invocari suffragia sit indignum, cum lucerna super candelabrum sit ponenda ut omnes qui sunt in domo

ipsius gaudeant beneficio claritatis. Quare nobis fuit humiliter supplicatum, ut eum Sanctorum catalogo faceremus adscribi, vel saltem super præmissis inquiri diligentius veritatem. »

ANNUS 1219

Quid post factam inquisitionem secutum sit, anno sequenti dicemus.

PROHIBET PAPA NE EXTRA DIŒCESIM IN JUS TRAHAMUR.

II. Porro idem Papa aliam bullam in gratiam Cartusiensium Vallis sancti Petri scripsit. Hi enim cum viderent suam solitudinem sæpius turbari ex litibus contra se injuste motis, ab Honorio obtinuerunt ne possent in jus trahi extra suam diœcesim. Id patet ex dicta bulla quæ sic habet :

« Honorius, etc. Dilectis filiis Priori et Fratribus Vallis sancti Petri salutem et Apostolicam benedictionem. Ex parte vestra fuit a nobis humili supplicatione postulatum, ut cum secundum Ordinis vestri instituta degentes in reclusorio, non nisi ad suscipiendos ordines illud audeatis exire, excepto Priore qui exit interdum reclusorium pro omnibus negotiis procurandis, ne autoritate mearum litterarum extra vestram diœcesim trahi possitis in causam vobis dignaremur misericorditer indulgere. Nos ergo vestris precibus inclinati autoritate præsentium vobis concedimus postulata ; ita tamen quod indulgentiam hujusmodi faciatis per partes vicinas Domus vestræ publicari. Datum Reate, 17 Kal. Augusti, Pontificatus nostri anno tertio. »

GUILLELMUS PRIOR LUVIGNIACI EPISCOPI CABILONENSIS ARBITER.

III. Dum Nostri omnem litigii materiam a se student amovere, ab Episcopis eliguntur arbitri ad dirimendas aliorum controversias. Hoc enim anno, Duranno Cabilonensi episcopo et Abbate Cluniacensi inter se dissidentibus, Guillelmus Prior cartusiæ Luviniaci arbiter nominatur qui partes pacificaret. Id constat ex antiquo Ecclesiæ Cluniacensis cartulario, ubi Guicheno asserit extare sententiam latam a fratre W. Priore Luviniaci et magistro M. Archidiacono Flaviniacensi arbitris a præfatis Episcopo et Abbate electis, super procurationibus quas dominus Episcopus asserebat sibi deberi in Decanatibus sancti Langulphi, Bellimontis et Juliaci in sua diœcesi constitutis. Per quam sententiam pronuntiatum fuit

ANNUS 1219

ut Abbas Cluniaci centum et sexaginta solidos monetæ Divionensis Episcopo daret pro dictis procurationibus. Data est sententia hoc anno, mense Maio.

Similiter sexto Idus Octobris ejusdem anni, Aymo de Grandson, episcopus Genevensis, fœdus iniit cum Willelmo comite Gebennensi, tractantibus Joanne Viennensi archiepiscopo, Alpensi et Abundantiæ abbatibus, et cartusiarum Abone Angionis (non Avenionis, ut minus caute posuere Sammarthani vel eorum exscriptor), Raphaele Guillelmo Repausatorii, et Hugone vel Petro Pomerii Prioribus.

Gall.Christ. in Episc. Geben.

JOANNES EP. GRAT. MORITUR.

IV. Exeunte hoc anno vel altero ineunte, Joannes gente Cassenaticorum natus nobilissima, Guigonis hujus nominis II, baronis de Cassenatico et Ainardæ de Domena filius, ex cartusia Repausatorii in Gratianopolitanum episcopum olim assumptus vitam cum morte commutavit, postquam sexaginta tres annos vel circiter sedisset. Eum enim electum fuisse circa annum 1156 vidimus : nec duos fuisse ejusdem nominis qui toto hoc tempore præfuerint, constat ex his quæ annis 1189 et 1218 de eo observavimus. Præterea eum adhuc vixisse hoc præsenti anno asserit, et recte probat vir clarissimus Chorerius, quando die 14 Septembris, rupe alta e vicinis montibus evulsa et in fluvium Isaram præcipitata, tota fere urbs Gratianopolis aquis extra ripas incitato rupis impetu exundantibus diruta est. Cujus instaurationem multum promovit Joannes antequam moreretur, scriptis ad populum suum encyclicis literis, quibus eum cohortatur ut ad ruinas urbis citius resarciendas operam suam et pecuniam pie conferat. Extant hujusmodi literæ in Rationum Fisci curiæ tabulario, quarum summa hæc habet :

Non duo fuerunt hujus nominis.

Hist. Delph. tom. 2. lib. 3. §. 12.

Idem lib. 2: Hist. Cassenaticæ familiæ. §. 6.

Urbis pontem e diluvio dirutum suis curis instaurat.

Ex codice V. Cl. Chorer.

« Joannes, miseratione divina dictus episcopus Gratianopolitanus, dilectis in Christo filiis, dilectis omnibus Prioribus et Capellanis et aliis ecclesiarum tutoribus, clericis etiam ac laicis per Gratianopolitanum episcopatum constitutis, salutem et pietatis visceribus abundare. » Deinde describit diluvium quod Gratianopoli contigit mense Septembri, luna secunda, die Exaltationis S. Crucis. « In primo, inquit, noctis silen-

tio, rupto lacus Oysensis obstaculo cum tanto strepitu, ut omnes de solis personis solliciti e suis domibus transfugerent, occupantes tectum* ecclesiæ Cathedralis et domorum episcopalium et Canonicorum, quidam etiam turrim. Per illam infelicem noctem si porta pontis, quæ clausa fuit, aperta fuisset, multitudo, quæ periit, evasisset. Facto mane plures per pontem evaserunt. Isaræ cursus impeditus et regressus, stagno facto, per duas leucas retrogressus universam terræ faciem occupavit. Tandem aquis diluvii decrescentibus tanto impetu aqua Isaræ rediit, et quicquid diluvium reliquerat evulsit, ut pontem everterit. » Hortatur itaque omnes ut attendant ad refectionem pontis. Varia indulget eis qui ad id opus aliquid dederint. « Datum hoc anno. » Hujus etiam inundationis meminit Vincentius Belvacensis in suo *Speculo Historiali*.

ANNUS 1219

* Fastigium.

Belvac. lib. 30. cap. 85.

Hunc nostrum Episcopum laudatus Chorerius dicit primum fuisse monachum et Priorem S. Roberti Ordinis Benedictini, ac deinde Cartusiensem. Nostrum quidem aliquando fuisse discimus ex sancti Hugonis Lincolniensis Vita, quem cum Legati Regis Angliæ in Priorem novæ Domus Witamiensis a Priore et Conventu Cartusiæ Majoris præsente Joanne circa annum 1180 requirerent, rogatus Cartusiæ Prior ut Hugonem dimitteret, « conversus (inquit Vitæ illius autor) ad Dominum Gratianopolitanum, ait : Jam pridem ratum est quod de me dixi : Hugonem vox mea, aut mens mea a me nunquam removebit. Tu jam videris. Tu Episcopus noster es, tu Pater et Frater. Si hoc ei injungas, si præcipias, ego non contradico, non resisto. Nec plura est elocutus. etc. Episcopus et ipse, ut erat piissimus et Monachus valde honestus et mansuetus.... » Et cætera quæ habes anno 1180.

Probatur fuisse nostri Ordinis.

In necrologio S. Roberti, quod secutus est Chorerius, legitur quidam Joannes de Cassenatico ejusdem loci Prior, qui et Gratianapolitanus episcopus ibidem dicitur ; sed Joannem monachum Cartusiensem et inde Præsulem cum alio ejusdem nominis, Rainaldi de Toresio in archiepiscopum

ANNUS 1219

Lugdunensem assumpti in prioratu successore, in citato necrologio confundi facile detegimus; noster enim Episcopus, ut jam diximus, ab anno circiter 1156 ad hunc usque sedit : ille vero S. Roberti Prior Benedictinis præfici non potuit ante annum 1195, circa quem Raynaldus illius antecessor ad archiepiscopalem dignitatem tantum promotus fuisse dignoscitur. Præterea sub eodem Raynaldo tunc Priore idem Joannes de Cassenatico præsens fuit, tanquam S. Roberti « Subprior », confirmationi privilegiorum eidem monasterio factæ per Beatricem delphinam et Burgundiæ ducissam, quæ hunc titulum non habuit ante annum 1184 quo Hugoni duci nupsit. Non igitur potuit Joannes de Cassenatico ex Benedictino fieri Cartusiensis et inde ad episcopatum promoveri.

Chor. ubi supra §. 15.

Idem tom. I. lib. II.

Joanni in episcopatu successit alter Monachus Cartusiensis nomine Guillelmus, de solitudine Majoris Cartusiæ assumptus, qui sequenti anno fidelitatem et homagium accepit ab Amedeo de Chata, et biennio nondum expleto obiit.

CARTUSIA PORTUS B. MARIÆ FUNDATUR.

V. Eodem tempore cœpit ædificari cartusia Portus B. Mariæ in Arvernia et diœcesi Claromontensi, ab ipsa urbe Episcopali quinque leucis versus septemtrionem distans, in castellania Bellifortis. Hanc fundaverunt non sine prævio prodigio Willelmus et Radulphus dynastæ ejusdem loci de Belloforti, consentiente et donationem confirmante venerabili Patre Simone Bituricensi archiepiscopo. A. de Belloforti, Willelmi fundatoris filius, anno 1235 in ultima constitutus infirmitate multa bona dedit, et R. dominus ejusdem loci anno 1246 vivebat; nihilque posthac de fundatorum familia occurrit in tabulario hujus Domus.

Alf. in orig. Cartus.

A Dominis de Belloforti.

Plures benefactores habuit sub initium suæ fundationis, inter quos primum merito locum obtinent Comites Arverniæ. Guido II, Roberti V comitis de quo diximus anno 1195, septem libras debitales et pascua per totam terram suam concessit. Robertus ejusdem Guidonis frater, episcopus Claromontensis dedit trecentas libras ad ædificandam ecclesiam aliaque ædificia. Cambonia de Cambonio uxor ejusdem Guidonis, mul-

Comites Arverniæ præcipui benefactores.

ta sextaria salis contulit, cujus litteræ scriptæ sunt anno 1225, die tertio ante festum S. Thomæ Apostoli, et dicitur Comitissa Arverniæ, uxor quondam Domini G. comitis Claromontis et Domina de Combraille. Eadem vivebat adhuc an. 1242 quo alia beneficia adjecit cum Guillelmo comite Claromontis filio suo. Hic anno 1222, mense Aprili, laudante Hugone fratre suo, multa largitus est.

ANNUS 1219

Guido de Alvernia, præfati Guillelmi frater, voverat Cartusiensem habitum induere ; sed præventus morte votum non complevit. De quo sic habet Calendarium hujus Domus Portus B. Mariæ : « Bonæ memoriæ Comitissa uxor Guidonis comitis, Combona dicta, dedit ad ædificandam ecclesiam ducentas libras pro Guidone filio suo Clerico et Donato nostro, qui votum fecerat intrandi Ordinem nostrum ; quod votum implere volebat nisi morte præventus fuisset. »

Guido ex iisdem comitibus nostri Ordinis Donatus.

Haelis, ejusdem Comitissæ filia, dedit centum libras ad ædificandam unam cellam et ad septem libras debitales emendas, testamentum suum condidit anno 1250. Robertus VI comes Alverniæ et Boloniæ, præfati Guillelmi filius legavit octoginta libras ; cujus nepos Robertus VIII fuit fundator cartusiæ Monsterolensis, ubi plura de eo et de successoribus ejus.

Vide an. 1324.

Delphini quoque Arverniæ magni extitere benefactores. Delphinus, comes Claromontensis, dedit « quinquaginta sextarios mesclaviæ convenientis censuales » pro dotatione unius Monachi ; hanc donationem confirmante Guillelmo comite Claromontis filio suo et Roberto ejusdem Guillelmi filio, ut patet ex litteris concessionis scriptis an. 1220. Idem Delphinus fuit benefactor Domus Glanderii ubi unam cellam ædificavit et dotavit. Ejus obitus signatur in Calendario ad 10 Kal. Aprilis. Guillelmus præfati Delphini filius, comes Claromontis, eodem anno mense Decembri, vivente patre, septem libras censuales pro sustentatione unius Monachi dedit. Mortuo vero Delphino patre, omnia quæ concesserat confirmavit idem Guillelmus, anno 1236, ultima die Maii. Robertus filius ejus, cuncta tum ab avo tum a patre collata, specialibus litteris rata habuit an. 1242, mense Decembri.

Item Delphini Arverniæ benefactores.

ANNUS 1219

DE BENEFACTORIBUS MINORIBUS.

VI. Minores benefactores sunt : Abdiars uxor quondam Amblardi de Chasluz, cum liberis suis Amblardo et W. et Ayma an. 1219 ; ab eis Domini de Entragues qui fuerunt cum familia Comitum Alverniæ affinitate devincti.

Archambaldus de Dompierre, dominus de Borbonio, septem libras annui reditus largitur an. 1220, mense Decembri.

* Veauce.

Aymo dominus Velciæ* eodem anno. W. de Correz sive de Cortez miles, et frater ejus Vaflers an. 1222.

Guillelmus de Rupeforti an. 1228.

Amblardus Bochardus de Ponte Gibaudo miles, an. 1245.

Joannes Jenoitz Conversus, se suaque dedit circa annum 1234.

Willelmus de Podio etiam Conversus, idem fecit annum 1249.

[a] Ex ch. 1445.

Martinus[a] Gouge episcopus Claromontensis et alii quorum obitus signantur in Chartis capitularibus inter quos sunt :

[b] Ex ch. 1492.

Illustris D. Garinus[b] le Groin miles, Ballivus S. Petri le Monstier.

[c] Ex ch. 1462.

V. P. et D. Joannes[c] de Frigidoloco, miles et Commendator de Folhose Ordinis S. Joannis in Hierusalem, habuit Anniversarium per totum Ordinem sub die obitus sui 8 Calend. Octobris.

[d] Ex ch. 1554.

Dominus[d] de Chazeron.

[e] Ex ch. 1509.

Magnificus dominus Guido[e] de Ambasia miles ; dominus Ravelli, capitaneus Nobilium Regis Franciæ.

[f] Ex ch. 1522.

Francesia[f] Delphina relicta domini de Ravello.

Strenuus miles Gilbertus de la Fayette obiit an. 1501, die 19 Augusti, sepultus in hac Domo et signatur in Charta anni sequentis. Ejus quoque uxor Ysabella de Polignac, mortua an. 1521, 17 Aprilis et prope maritum sepulta, reperitur in Charta ejusdem anni. Ipsa vero die decima quinta post suum obitum, apparens Matthæo Fucati Priori vigilias nocturnas super ejus sepulchrum excubanti, nunciavit se liberatam a Purgatorio Patrum orationibus, monuitque ut ad mortem propinquam se pararet ; quam revera subiit die 22 Julii ejusdem anni.

Isabella de Polignac mortua visitur a Priore.

ANNUS 1219

Benedictus[g] (sive Bonitus) Bourdier, Petrus[h] Barge, Joannes Bordon[i], Martinus Coulier[k] sacerdos.

[g h] Ex chart. 1541.
[i] Ex ch. 1548.
[k] Ex ch. 1558.

CARTUSIA GLANDERII CONSTRUITUR.

VII. Altera quoque hoc anno construitur cartusia, dicta Domus Loci Sanctæ Mariæ de Glanderio, in provincia et diœcesi Lemovicensi, ab ipsa urbe Lemovicum primaria duabus leucis cum dimidia distans, inter castra de Combornio et de Pompadorio in loco dicto *Glanderium ;* unde illi nomen. Hanc Nostri habitare cœperunt hoc ipso anno, in vigilia sancti Martini episcopi, ipsos deducente nobilissimo fundatore Archambaldo vicecomite de Combornio. Hujus fundationis occasionem talem fuisse tradunt :

Occasio hujus Fundationis.

Ex ms. Domus.

« Abbatia Tutellensi his temporibus pastore orbata, monachi de substituendo alio solliciti, secundum consuetum morem et antiquam Abbatiæ regulam ad electionem procedere deliberabant.

« Inter illos erat tunc quidam Religiosus hujus nobilissimi Vicecomitis nepos, quem avunculus contra voluntatem cæterorum monachorum, sua autoritate confisus, ad illam dignitatem sive gratis sive per vim evehere cupiebat. Agebat cum eis modo blanditiis, modo minis ; modo hunc, modo illum singulariter aggrediens, si quomodo posset illos a sua sententia deflectere. Sed cum omnes unanimi consensu, constanti et obfirmato animo, ejus desiderio assensum denegantes, constituto die, clam in Capitulo simul congregati pro novo Abbate eligendo servata regulari consuetudine Comitiis insistere cœpissent, res quamvis occulta non potuit latere Vicecomitem ; qui statim, acceptis quibusdam armatis suis satellitibus, magno strepitu et audacia perfractis foribus, Capitulum ingreditur rursumque, iterum atque iterum, Fratres sollicitans ut suæ voluntati satisfaciant. Sed cum suæ libertatis tenaces nullo modo ei consentire videret, furore percitus et impotens sui, septem ex eis pertinaciores et liberius ei resistentes, sua manu sacro illo in loco interfecisse dicitur. Scelere perpetrato, ira sopita, ratione illucescente cœpit, vir christianus, magnis intrinsecus agitari stimulis. Horret perpetratum facinus, innocentes pie pro justitia et sua libertate

ANNUS 1219

pugnantes tam immaniter cæsos plangit, effrænatum sui tumidi animi furorem damnat.

« Denique divina gratia interius illuminatus, convocatis viris doctrina et pietate præditis, quærit conveniens sui reatus remedium ; recognoscit et coram eis fatetur publicum ac celebre suum esse facinus, existimat non posse sine publica pœnitentia tantum peccatum deleri.

« Tandem post multas lacrymas ac ex imo et contrito corde ducta suspiria, ex sui et suorum amicorum consensu placuit pro tanto reatu rite expiando, Romam personaliter festinare. Quo cum suo solito comitatu perveniens, coram Summo Pontifice, cui Dominus solvendi et ligandi potestatem dedit, tanta cum humilitate et contritione vir nobilis immanitatem sui facinoris est confessus et detestatus, ut non solum ipsum Summum Pontificem, sed et cæteros circumstantes ad compassionem et lacrymas commoverit.

« Rite purgatus, absolutione percepta, pro satisfactione non jejunia, non alias mortificationes corporis, viro nobili et delicato medicus prudens animarum injunxit ; sed potius de tot monasteriis construendis quot ipse monachos occiderat, ei dedit mandatum. Quam pœnitentiam libentissime acceptans, reversus in terram suam septem ædificatis et ex parte dotatis monasteriis perfectissime adimplevit. Ex quibus septem ista cartusia Glanderii unum extitit. Jam Vicecomes noster ex lapsu suo deinceps prudentior factus, omnes peccandi occasiones fugiens, totus in bonis operibus versabatur. Unde frequenter Patres nostros de Glanderio visitabat. Sæpius cum eis in laudibus divinis noctes diesque summa cum devotione transigebat, eorum virtutes pro sua facultate conabatur imitari. In tantum eorum gratissima et exemplari conversatione delectabatur, ut non quasi præpotens et nobilissimus Dominus sed tamquam socius inter eos familiarissime conversaretur, et eorum necessitatibus sive per se sive per amicos subvenire nitebatur.

« Tandem elapsis paucis annis a fundatione nostra, plenus bonis operibus, gloria et divitiis, relictis duobus filiis Bernardo

ANNUS 1219

et Guichardo non minus propensi in Patres nostros animi sui quam suarum facultatum hæredibus, inter manus Patrum nostrorum in circuitu astantium et pro eo orantium reddidit Deo spiritum ; sepultus cum magna tam Nobilium quam cæterorum hominum frequentia, subtus altare majus ecclesiæ nostræ, sicut ipse vivens elegerat : quod sine permissione superiorum non est credibile Patres nostros permisisse. » Hactenus ex ms. Domus.

QUI FUERINT COMBORNII HUJUS DOMUS FUNDATORES.

VIII. Comborniorum familia antiquissima ac nobilissima fuit, jamque florebat sæculo decimo in Archambaldo qui duxit uxorem filiam Ricardi I ducis Normanniæ, ex qua genuit Ebolum vicecomitem de Combornio, a quo etiam originem duxerunt Vicecomites Turenæ, Ventadorii et Lemovicensis. Archambaldus fundator noster, hujus nominis sextus, vixit ultra annum 1229. Quo vero anno obierit, ignotum remanet. Dies obitus illius in antiquo Domus calendario notatur ad 3 Nonas Octobris. Sequuntur litteræ fundationis ejus :

Litteræ fundationis.

« Archambaldus, vicecomes de Combornio, omnibus has litteras inspecturis salutem. Ad præsentium et futurorum volumus pervenire notitiam, quod quando vocavimus et venire fecimus Fratres Ordinis Cartusiensis in terram nostram, pro salute animæ nostræ et prædecessorum nostrorum ; donavimus et concessimus eisdem Fratribus in perpetuum, ita quod nullum servitium nobis vel nostris retinuimus, terras et nemus et pascua de Glanderio. Et si aliqua persona aliquid ab eis requireret in prædictis, tenemur eisdem Fratribus liberare et conquerenti vel conquerentibus satisfacere sine Fratrum expensis, etc. Donavimus etiam mansum de Murat, situm in parochia de Votejac*, absque omni servitio et expleto. Promisimus et eisdem Fratribus nos daturos tantum de terra et nemore quæ sunt inter domum de Glanderio et mansum, etc. quod sufficiat ad clausuram secundum Ordinem suum ad arbitrium proborum virorum et religiosorum de Ordine Cartusiensi vel de alio. Has autem donationes fecimus, præsentibus et concedentibus filiis nostris Bernardo et Guis-

* *Al.* Voltazac.

ANNUS 1219

chardo. Et ne in posterum super his possit aliqua dubitatio suboriri, præsentes litteras sæpedictis Fratribus concedimus sigillo nostro signatas. »

Bernardus et Guichardus in præfatis litteris nominati, multa etiam largiti sunt cum Gischarda matre sua, et Margareta uxore prædicti Bernardi vicecomitis. Hæc præterea dedit de dote sua octo libras renduales : septem ad sustentationem Sacristæ qui pro tempore erit, et viginti solidos ad unam lampadem accendendam. Obiit sexto Nonas Januarii.

Archambaldus præfatorum Bernardi et Margaritæ filius, loco redituum a matre concessorum dedit mansum unum, anno 1250, 4 Junii; rursusque quinquennio post, Kalendis Februarii eamdem donationem confirmavit, et in his litteris parentes suos nominat Bernardum et Margaritam velut qui adhuc viverent. Ipse vero adhuc superstes, anno 1276 mense Octobri, quædam bona vendidit huic Domui, omnesque emptiones a Patribus hactenus factas confirmavit. Ex his patet Justellum confudisse hunc Archambaldum cum hujus Domus fundatore.

Error Justelli corrigitur.

Guido vicecomes Combornii confirmat venditiones olim factas ab Archambaldo quondam patre suo jam defuncto, datis litteris anno 1280, Kalendis Martii. Non ultra hunc Guidonem Comborniorum familiam deduxit Justillus; sed eam diu postea floruisse ex tabulario Domus probamus.

ALII EJUSDEM FAMILIÆ HISTORICIS IGNOTI.

IX. Eustachia vicecomitissa Combornii, filia Guidonis, approbat quicquid pater suus et avus olim concesserant datis litteris an. 1290.

Guichardus de Combornio miles, vicecomes de Combornio, dominus de Treyniaco et Chambareto, anno 1309 die sabbati post octavas B. Michaelis, celebrem cum Conventu Glanderii fecit transactionem qua cuncta a suis antecessoribus collata confirmat.

Guichardus, vicecomes de Combornio, fuit fautor hujus cartusiæ; vivebat an. 1410, 15 Septemb.

Joannes, vicecomes de Combornio, fuit benefactor hujus Domus anno 1459, et obiit Idibus Januarii anno 1476;

et in Charta Capituli sequentis dicitur fundator Glanderii. ANNUS 1219

Joannes vicecomes, præfati Joannis filius, obiit an. 1488; ad gradum altaris sepultus signatur in Charta ejusdem anni.

Jacobus de Combornio, episcopus Claromontensis, dedit quadraginta scuta pro ædificatione unius cellæ, triginta scuta et viginti francos pro vestiario Religiosorum et unum calicem argenteum. Obiit circa annum 1475, 5 Idus Januarii.

Ludovicus de Combornio, Protonotarius Apostolicus Abbas Burgidolensis, Bituricensis, Conquensis, Ruthenensis et sancti Augustini prope Lemovicum, fuit benefactor circa an. 1462.

Catharina de Combornio, abbatissa Regulæ Lemovicensis, ædificavit primam cellam claustri a parte superiori versus orientem, et eam munivit omnibus necessariis. Obiit 3 Idus Januarii circa an. 1436.

Catharina de Combornio, domina de Castronovo, benefactrix, vivebat paulo post idem tempus. Obiit 4 Kal. Februar.

In charta anni 1513 inter mortuos denunciatur magnificus dominus Manyo vicecomes de Combornio, fautor Domus Glanderii; et hic videtur esse ultimus hujus familiæ, cujus bonorum et benevolentiæ erga nostros fuerunt hæredes Domini de Pompadorio, quorum etiam stirps virilis nuper extincta est.

POMPADORII COMBORNIIS SUCCEDUNT.

X. Ex eadem Pompadoriorum familia multi erga hanc Domum et totum Ordinem benefici et liberales fuerunt, etiam sub initium fundationis Glanderii. Nam Gaubertus Flamencs dominus de Pompadors anno 1227 pro se et fratre suo Helia confirmavit quamdam venditionem factam, et quicquid juris in eam habebat concessit, et unam cellam ædificavit. Idem Helias Flamencs dominus de Bré, anno 1221 omne jus quod habebat in tenemento de Glanderio contulit Domui Loci Sanctæ Mariæ Cartusiensis Ordinis. Idem anno 1230 dedit bordariam de la Sepeira, et anno sequenti, ipse et præfatus Gaubertus Flamencs quasdam terras largiti sunt.

Gaufridus Helias miles, dominus de Pompadorio, an. 1259; et Helias Gauberti dominus inferioris castri de Pompadorio

ANNUS 1219

et domina Margareta uxor illius, an. 1260 quicquid juris habebant in rebus acquisitis remiserunt.

Margareta de Chauverono, uxor Joannis vicecomitis de Pompadorio, multa bona fecit Domui Glanderii, ubi jacet sepulta subtus gradum altaris; obiit an. 1492, cujus filius Antonius fuit vicecomes de Combornio ex parte aviæ Isabellæ, nuptæ Golferino vicecomiti de Pompadorio anno 1426.

Godefridus, eorumdem Golferini et Isabellæ filius, episcopus Podiensis, obiit, anno 1514 et denunciatur in Charta anni sequentis. Alter Gaufridus de Pompadorio obiit episcopus ejusdem Ecclesiæ, ut constat ex Charta anni 1526 in qua mortuus designatur. Sed Sammarthani de eo non meminerunt in Catalogo Podiensium Episcoporum, licet Sammarthanus pater in suis Genealogiis eum cognoverit, faciatque filium Antonii vicecomitis supra dicti.

Ludovicus vicecomes de Pompadorio et Combornio, præfati Antonii pronepos, in Charta anni 1519, ubi designatur mortuus, dicitur magnus benefactor et fautor Domus Glanderii.

VENTADORII A COMBORNIIS GENUS DUCUNT.

XI. Vicecomites de Ventadorio a Comborniis, ut diximus, genus trahentes, bene etiam de hac Domo meriti sunt. Ebolus vicecomes, circa initia fundationis dedit septem libras annui reditus pro sustentatione unius monachi; obiit Non. Februar. Ebolus filius ejus dedit 300 solidos pro suo anniversario, quod occurrit 4 Nonas Octob. Bernardus de Ventadorio archidiaconus Lemovicensis fuit etiam beneficus, et habet anniversarium 2 Nonas Octob.; obiit ante annum 1320.

Bernardus de Ventadorio episcopus Aniciensis sive Podiensis fuit etiam benefactor, de quo fit mentio in Charta anni 1253.

Item vicecomites Lemovicenses.

Inter primos ac præcipuos benefactores merito recensendi sunt Guido vicecomes Lemovicensis, originem etiam ducens a Comborniis, qui novam plantationem sub sua custodia suscepit, datis litteris an. 1221, die 1 Julii, apud Resere (?)

Hugo, comes Marchiæ, sex libras dedit pro sustentatione unius monachi.

Guido, vicecomes Albuconii, simile contulit beneficium. ANNUS 1219

Ex Episcopis et Abbatibus plures etiam hanc Domum suis beneficiis affecerunt. Bernardus episcopus Lemovicensis multa contulit, et alios ad similiter faciendum suo exemplo et autoritate excitavit. Obiit an. 1226, et reperitur in Calendario Domus ad 10 Calend. Augusti.

De aliis benefactoribus.

Episcopi Lemovicenses.

Guido de Combornio successit Bernardo in episcopatu, et in quodam Instrumento de monachis hujus Domus sic loquitur. « Nos attendentes devotionem Prioris et Fratrum Domus Glanderii, quorum Domus est novella plantatio, quos etiam Dominus nostris temporibus quasi primitias in nostram diœcesim sua gratia collocavit. » Decessit plusquam centenarius, immo ætatis annum 140 supergressus, obiit anno 1235, undecimo Calend. Februarii.

Sammarth. in Episc. Lemovicens.

Durandus creatus episcopus ejusdem Ecclesiæ an. 1240 sex millia solidorum ad ædificationem ecclesiæ effudit. Obiit quinquennio post, 4 Calend. Januarii, ex calendario Domus.

Aymericus, Durandi successor, hanc Domum sui beneficiis fovit, fato functus an. 1272 ; ejus obitus ponitur in calendario Domus ad 6 Nonas Julii, cum avunculo ejus Archiepiscopo Burdegalensi cujus nomen ibi non habetur.

Gerbertus, et ipse episcopus Lemovicensis, benefactor dicitur in cartulario ad annum 1280.

Raynaldus primo episcopus Lemovicensis, deinde archipræsul Bituricensis ac tandem cardinalis Ostiensis, obiit circa 1325, 2 Idus Septembr., ex calendario.

P. episcopus Glandevensis, benefactor sub initium fundationis, obiit decimo Kalendas Septembris ex calendario Domus, incerto anno ; ignotus Sammarthanis.

Alii Præsules.

Hugo de Roffigniaco, episcopus Rivensis, Deo et Ordini devotus, ædificavit unam cellam. Obiit 8 Calend. Februarii ex calendario et denuntiatur in Charta anni 1472. Unde miramur Sammarthanos scribere ejus successorem ante sex annos jam sedisse.

Joannes Jaubert de Barrant, archiepiscopus Arelatensis, qui

ANNUS 1219 obiit anno 1643; dedit mille libras in unius cellæ ædificationem.

Abbates. Bernardus abbas Tutellensis donavit 40 libras pro constructione duarum cellarum, et septem libras annui reditus pro sustentatione unius monachi, ac quingentos solidos ad emendas quindecim libras ceræ annui reditus ut duo luminaria ad singulas Missas habeantur. Obiit 15 Calend. Augusti.

Galhardus abbas Figiaci Ordinis S. Benedicti, diœcesis Caturcensis, dedit trecentos solidos. Obiit 10 Cal. Octobris.

Abbates Vosienses, Raymundus 16 Cal. Martii, Constantinus 7 Cal. Decemb., et Guido Rotgerii 2 Cal. Januarii. Eubolus archipresbyter Vosiensis ædificavit unam cellam. Rothbertus de Sancto Gallo monachus ejusdem, benefactor, 9 Cal. Decemb.

P. Abbas Uzarchiæ, benefactor, obiit 1 Augusti ex calendario, ante annum 1325.

Ex ch. 1572. Præter hos benefactores sequentes reperiuntur in Chartis, Franciscus de Royages* eques Ordinis Regii, et Joannes Seyrac sacerdos, habens Missam de B. Maria per totum Ordinem.

* *Al.* Royeres.

Ex ch. 1680.

PLURES NOBILES FACTI CARTUSIENSES XII. Hoc anno plures Nobiles, Domui Montis Rivi in Provincia vicini, se suaque Deo consecrarunt. Quibusdam etiam uxores et filios derelinquentibus ut Christum nudi sequerentur. Cum vero unus ex eis, vocatus Raimundus Willelmus, vota Conversi emittens quædam bona extra Domus terminos sita largitus fuisset, ea monachis contra Statutorum inhibitionem retinere recusantibus, episcopo Massiliensi vendidit; accepto ad Domus commodum quorumdam pascuorum jure, ut ex literis inde confectis apparet:

R. Willelmus conversus « Anno Incarnati Verbi MCCXVIIII, 11 Idus Martii, ego R. Willelmus Frater et Conversus Domus Montis Rivi, bona

Ex Cartular. dom. Montis Rivi. fide vendo et trado, voluntate et assensu expresso venerabilis Patris mei P. dictæ Domus Prioris, vobis domino P. de Montelauro Dei gratia episcopo Massil. et vestris successoribus, honorem meum et caslaniam meam quem vel quam habeo vel habuisse visus sum in castro. . . . cum omnibus juribus suis, sive fuit Domus, sive terræ. . . Ad hoc nos

P. Prior Domus Montis Rivi, quia prædictum honorem et caslaniam, pro eo quod sunt extra terminos nostræ Domus et non sumus illa penes nos ausi retinere, laudamus et concedimus vobis venerabili Patri nostro episcopo Massil. prædicto omnia supradicta, a prædicto R. Willelmo fratre nostro facta. . . . Ad hoc nos P. Dei gratia episcopus supradictus, donamus vobis P. Priori prædicto, concedentes et confirmantes alia pascua quæ usque hodie in territorio dicti castri habuistis ex quacumque causa tam pro acapto quam pro relicto seu donatione ab aliquo vel aliquibus vobis facta, etc. Actum Massiliæ in curia episcopali. Testes sunt fr. Rollandus, fr. P. Constantius, W. Giraudus, Lambertus canonici et alii. »

ANNUS 1219

Alter vero nomine Rostagnus Dalmatius, ex nobilissimo genere, adhuc tantum Novitius, vivente ac consentiente uxore, tale testamentum condidit :

« Anno Incarn. MCCXVIIII, III Nonas Julii. Notum sit quod ego Rostagnus Dalmatius Montis Rivi Novitius, in mea bona memoria talem facio divisionem de rebus meis coram Petro Priore ejusdem Domus cum licentia et voluntate ejus. Imprimis Deo et B. Mariæ et Domui Montis Rivi relinquo et dono molendinum. . . Operi S. Mariæ de Meuna relinquo centum solidos quos Beatrix, quondam uxor mea, persolvat quando operarii operabuntur in prædicto opere infra duos annos . . . . Ecclesiæ S. Lazari, V solidos . . . . Ecclesiæ S. Simeonis, L solidos. Beatrici dimitto mille solidos super affare quod dimisi pueris et domum de Brinolia. (Deinde multa alia aliis distribuit). Hæc autem omnia volo valere in perpetuum jure testamenti, et si non valent jure testamenti, valeant jure divisionis vel supremæ cujuslibet voluntatis. Acta sunt hæc in ripa ultra Gapellum. Et ad majorem firmitatem Rostagnus Dalmatius tactis sanctis Evangeliis juravit se nihil mutaturum in hoc testamento. Juravit etiam Beatrix quondam uxor ejus, tactis sacrosanctis Evangeliis, se observaturam omnia quæ in hoc testamento scripta sunt coram istis testibus : Petro Priore, Willelmo Procuratore, Stephano sacerdote de Meuna, Willelmo Constantio Converso, Bernardo et

ANNUS 1219

aliis ; præsentibus istis mulieribus : Saurma, Dulcelina, Castolessa. Item notandum quod quando Rostagnus Dalmatius intravit in Domum Montis Rivi, Beatrix quondam uxor ejus promisit Petro Priori et duobus de senioribus qui secum venerant ad ripam Gapelli, Petro Willelmo scilicet et Bertrando, si quis inquietaret Domum Montis Rivi pro Rostagno Dalmatio, querimoniam faciens de illo pro aliqua injuria sibi facta ab eo, se emendaturam illam injuriam et defendere et custodire prædictam Domum ab omni damno. Et hæc ad majorem confirmationem tactis sanctis Evangeliis juravit, et insuper istos fidejussores dedit Geraldum de Meuna, Raimundum Dalmaz, etc. »

Tertius, dictus Bertrandus de Signa, statum Donati primum amplexus, quicquid intra terminos Domus habebat largitus est scriptis his litteris, hoc anno, « XIII Kalendas Augusti. Notum sit quod ego B. de Sinna dono et reddo Deo et B. Mariæ et Domui Montis Rivi meipsum pro Donato, et dono ipsi Domui cum voluntate et assensu fratrum meorum Aicardi de Noulis et Bermundi et Willelmi de Noulis, omnes terras et possessiones quæ sunt infra terminos ipsius Domus, etc. Hæc facta sunt apud dictam Domum in prato sub noguerio, coram domino S. Tolonensi episcopo et coram istis testibus : Petro Priore dictæ Domus, Canonico, B. de Correns, P. Willelmo sacrista et aliis Monachis et Conversis. » Et ipse postea factus est Conversus. Habitum quoque Conversi eodem tempore induit Bertrandus de Salis, in cujus gratiam Ugo Rostagnus pater ejus et Bertranda mater dederunt jus pascendi ad opus averi dictæ Domus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1220.

Honorii PP. III Ann. 4.	Ord. Cartus. Ann. 137.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 41.

I. MILLESIMUS ducentesimus vigesimus, octava Indictione, annus incipit quo Honorius Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit Hugonem Lincolniensem episcopum, quondam nostri Ordinis monachum; facta prius, ut habet Parisius, miraculorum ejus inquisitione a Stephano Cantuariensi archiepiscopo et abbate de Fontibus Joanne, sicut in hoc sequenti domini Papæ authentico continetur :

S. HUGO LINCOLNIENSIS CANONIZATUR.

Paris. Histor. Anglic. ad hunc annum.

« Honorius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universis Christi fidelibus, præsentem paginam inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem. Divinæ dignatio pietatis, Sanctos et Electos suos in cœlestis regni fœlicitate locatos, adhuc in terra miraculorum coruscatione clarificat; ut fidelium per hoc excitata devotio eorum suffragia digna veneratione deposcant. Cum igitur sanctæ recordationis Hugonem Lincolniensem episcopum, quem sicut nobis plenarie constat, divini muneris largitas tam in vita, quam etiam post vestem mortalitatis exutam, insignium miraculorum multitudine illustravit, Sanctorum catalogo adscripsimus. Universitatem vestram monemus et exhortamur in Domino, quatenus apud Deum ejus patrocinia devote imploretis. Ad hæc statuentes ut die depositionis ipsius, ejusdem festivitas annis singulis devote de cætero celebretur. Data Viterbii, XIII Calendas Martii, Pontificatus nostri an. 4. »

Literæ canonizationis.

ANNUS 1220

Totius hujus negotii seriem paulo fusius describit Stephanus coævus ad calcem Vitæ ejusdem Sancti, quam sic absolvit :

« Igitur divinæ dignatio pietatis sanctum et electum suum piæ recordationis Hugonem, hujus sanctæ Lincolniensis sedis Episcopum, tam in vita quam etiam post vestem mortalitatis exutam, insignium miraculorum multitudine illustravit. De quibus constat per inquisitionem exactissimam, autoritate et præcepto Domini Papæ Honorii III, a venerabili viro Stephano Cantuariensi archiepiscopo (cujus laus est in scientia, vita et doctrina, in universa Ecclesia) et a prudenti viro Abbate de Fontibus postea Eliensi episcopo, per testes idoneos, juratos et examinatos, diligentissime factam. Qui quidem, miracula eadem apertissime probata, vitam quoque sanctam, et mores commendabiles Viri sancti interserentes, præfato Summo Pontifici juxta mandatum ipsius fideliter rescripserunt. Præmissis igitur omnibus in auditorio S. Rom. Ecclesiæ solemniter recitatis, cum morum sanctitas et prædictorum signorum virtutes concurrere viderentur, approbantibus Cardinalibus et Episcopis universis qui apud sedem Apostolicam tunc copiose præsentes intererant, Sanctorum Catalogo non solum humano sed etiam divino judicio, pronunciante Papa sanctissimo Honorio, conscribi meruit, etc. »

NON AD PRECES CARTUSIENSIUM FUIT CANONIZATUS.

II. Mirabitur forsan aliquis in hujusce negotii procuratione nullam Fratrum Cartusiensium, ex quorum Ordine sanctus Hugo ad infulas assumptus fuerat pontificales, fieri mentionem. Sed huic quæstioni non semel fecimus satis ; cum alibi ex diversis autoribus ostendimus priscos Cartusienses semper cum magna diligentia suorum celasse miranda, ita « ut nec vellent, ut habet Gerson, fieri inter eos miracula, potius vero etiam facientes occultarent, sicut sæpius repertum est. » Et post pauca : « Nec idem S. Hugo Lincolniensis ex eorum voluntate, sed Regis Angliæ et suorum instantia est canonizatus, etc. » Idem etiam ante Gersonem monuerat noster Calkar in *Tractatu de Ordine Cartusiensi*.

Gerson in opusc. contra impugnantes Ord. Cartus.

Quando illius festum inter nos celebratum.

Hinc fuit quod festum illius sub ritu trium lectionum solummodo fuerit a nobis celebratum usque ad annum 1258,

quo decernitur sub ritu duodecim. Sic enim habet Charta : « Duo festa sanctorum Hugonis et Hugonis (Gratianopolitani scilicet et Lincolniensis) habent amodo duodecim lectiones. » Deinde diu post, concessum fuit conventui Majoris Cartusiæ, per Chartam anni 1333, ut illud agerent cum Capitulo ; « Conceditur, inquit Charta, Domui Cartusiæ ut possint facere festum Capituli de beato Hugone Lincolniensi episcopo, qui fuit Monachus Cartusiæ. » Sed sexennio post, per totum Ordinem indicitur his verbis : « Ordinamus quod festum beati Hugonis Lincolniensis quondam Monachi Cartusiæ et Prioris de Witham, cum candelis et Capitulo per totum Ordinem celebretur : Conversi tamen ab operibus propter hoc non cessent, nec habeant Capitulum. » Rationem cur Conversi non feriantur hanc affert noster Calkar, loco citato loquens de eodem Sancto : « In eo, inquit, Conversi possunt laborare, præsumentes pie quod idem Sanctus plus approbat humiles Fratrum labores quam gloriosas festivationes. » Nihilominus anno 1508, Patres in Comitiis Ordinis congregati censuerunt decentius esse tanti Viri festum celebrari ab omnibus, ut gaudium quod omnes de illius meritis et beatitudine perciperent, fieret omnibus maximum, et virtutum incitamentum et laborum. Sic igitur decernitur per Chartam ejusdem anni : « Ob reverentiam et honorem S. Hugonis Lincolniensis episcopi Ordinis nostri, volumus et ordinamus, quod sicut dictum festum cum candelis quoad Monachos celebratur, ita et quoad Conversos et alias personas Ordinis celebretur, et ab omnibus operibus cessetur. Et quod hujusmodi Ordinatio Novæ Compilationi inseratur. » De translatione ejusdem Sancti dicemus alibi.

ANNUS 1220

Ex chartis ann. 1258, 1333, 1339 et 1340.

III. Cum anno elapso Bertrandus de Cares Robertum de Mehun episcopum Podiensem crudeliter occidisset, ductus tandem pœnitentia, hoc præsenti anno Apostolicæ Sedis misericordiam summa demissione imploravit et obtinuit, his tamen conditionibus quæ in litteris Honorii Papæ enarrantur : « Tres quadragesimas in civitate Podii (si securus poterit ibi esse, alioquin in aliis vicinioribus) faciet indutus sacco, asper-

BERTRANDI DE CARES PŒNITENTIA.

Raynald. ad hunc annum n. 28 et seq.

ANNUS 1220

sus cinere, tonso capite, discalceatus et ostiatim mendicans, ac pane solo et aqua contentus tribus diebus qualibet septimana. Insuper per tres quadragesimas supradictas, omni die dominica toti clero et populo civitatis, in qua ipsas faciet quadragesimas, nudum se offeret cum virgis quas in manu deferet ad verberandum. His peractis ultra mare transibit, per septennium moraturus ibidem in servitio Sanctæ Terræ, etc. Toto tempore vitæ suæ, duas in anno faciet quadragesimas et sextas ferias in pane et aqua, etc.; a communione quoque Corporis et Sanguinis Domini abstinebit septennio, etc. Si vero post tres quadragesimas prædicto modo peractas ad Cartusiensem vel Cisterciensem Ordinem transire legitime poterit, et si transierit, erit a supradicta pœnitentia excusatus, etc. » In vetustissimo calendario cartusiæ Portus B. M. legitur ad 26 Septembris : « Frater Bertrandus Conversus », eadem manu exaratus ac Durandus episcopus Lemovicensis qui obierat anno 1245. Hunc autem Conversum ipsummet esse Bertrandum de Cares asserere non audemus, licet non sit absurdum conjicere. Eodem etiam tempore vivebat in cartusia Montis Rivi quidam monachus dictus Bertrandus de Correns. Sed ille cognominatur de Cares.

Ab ea excusatur si fit Cartusiensis.

HUMBERTUS EPISC. VALENTINENSIS MORITUR.

Jo. Columbi de reb. gestis Episc. Valent.

IV. Hoc anno creditur fatis concessisse Humbertus de Mirabello, episcopus Valentinensis anno 1199 ex Priore cartusiæ Sylvæ Benedictæ creatus. Pessimo tempore præfuit, nec tamen minus profuit. Rem enim ita gessit cum hostibus suæ Ecclesiæ, quorum insultibus strenue se opposuerat, ut non in tesquis Cartusiensibus, sed in media summorum Principum curia, negotiosam ante infulas episcopales vitam egisse videretur : ut intelligas pietatem ad omnia esse utilem, et cum res humanas moderetur Deus, ex ejus consortio potissimum deduci certa gerendarum rerum consilia. Intravit episcopatum tumultu turbisque ac bellis et rebellione subditorum impeditum ; sed vir prudens omnes motus pietate sua non minus quam magnanimitate compescuit, ac in pace quievit die 29 Aprilis.

Sammarth. in Episc. Valent.

PARITER GUILLELMUS OLIM EPISC. TOLON.

V. Eodem etiam tempore desiit esse in humanis Guillel-

mus de Soleriis quondam episcopus Tolonensis, qui postquam multa bona contulisset nascenti cartusiæ Vernensi, non satis fecisse ratus, ni et seipsum totum nostro Ordini devoveret, abdicatis infulis humilem in eadem Domo Monachi vestem induit. Deinde non sibi sed toti Ordini vivens, ad Montis Rivi cartusiam transferri passus est ibique, ut quidam volunt, munus Procuratoris sibi imponi; sed contrarium animadverti potest in cartulario libro ejusdem Domus, quem penes me aliquando habui, ubi quidam Guillelmus nomine Procurator tunc temporis reperitur; sed nullo argumento probari potest unquam episcopi titulum aut etiam cognomen de Soleriis habuisse. Unde facilius mihi persuaderem pium illum præsulem soli vitæ contemplativæ apud nos vacasse. Abdicationis illius meminerunt Sammarthani, sed status mutationem ignoraverunt.

Ex mss. Cart. Vernæ et Montis Rivi.

VI. Hoc denique anno, longa illa ac molesta discordia quæ tot agitationes et motus inter nos et monachos Benedictinos de Jugo Dei ab annis decem excitaverat, partium pugnantium applausu feliciter his præcipuis conditionibus sopita est : nempe ut Domus Montismerulæ Cartusiensibus restitueretur, monachis de Jugo Dei quamdam villam seu grangiam sibi reservantibus. Hujus transactionis autor fuit Raynaldus archiepiscopus Lugdunensis, cujus adjutores fuere Durannus episcopus Cabillonensis, Willelmus et Joannes Saviniacensis et Bellævillæ abbates. Hancque receperunt Aymo abbas Jugi Dei et Joannes Prior ejusdem, sui Conventus nomine; et ex parte nostri Ordinis, Raynaudus et Ogerius Sellionis et Siligniaci Priores. Harum pactionum tabulas, ab Honorio Summo Pontifice ad Nostrorum instantiam quinquennio post confirmatas, subjicimus eodem quo apud Guichenonem tenore conceptas reperimus.

MONS MERULÆ NOBIS A MONACHIS DE JUGO DEI RESTITUITUR.

Inter probation. Histor. Bress. p. 120.

« Honorius, etc. Dilectis filiis Priori et Fratribus Cartusiensibus salutem et Apostolicam benedictionem. Ea quæ judicio vel concordia terminantur, firma debent et illibata persistere; et ne in recidivæ contentionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit præsidio communiri. Ea propter, dilecti

Pacta inter eos approbat Honorius III.

ANNUS 1220

in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, compositionem quæ inter vos ex parte una, et dilectos filios Abbatem et Conventum monasterii de Jugo Dei ex altera, super Domo Montismerulæ, quæ alio nomine Vallis S. Stephani appellatur, mediante venerabili fratre nostro R. Lugdunensi archiepiscopo amicabiliter intercessit : sicut sine pravitate provide facta est et ab utraque parte sponte recepta et hactenus pacifice observata (ut in Instrumento exinde confecto sigillo ejusdem Archiepiscopi roborato, cujus tenorem de verbo ad verbum præsenti paginæ fecimus annotari, plenius continetur) autoritate Apostolica confirmamus et præsentis scripti patrocinio communimus. Tenor autem Instrumenti ejusdem est talis : Raynaudus Dei gratia primæ Lugdunensis Ecclesiæ Minister humilis, omnibus in perpetuum, quod coram nobis pia intentione geritur, ne cujusquam dolo vel versutia pervertatur vel annis tacite labentibus oblivioni tradatur in posterum, dignum duximus litterarum adminiculo communiri. Noverint igitur universi præsentes et futuri, quod cum controversia verteretur inter Domum Cartusiensem ex parte una, et Domum de Jugo Dei ex altera super Domo Montismerulæ et diu fuisset agitata; tandem Raynaudo et Ogerio Sellionis et Vallis S. Martini Prioribus qui speciale mandatum a Domo Cartusiæ super eadem causa ad agendum, transigendum, seu alias qualitercumque faciendum, se per litteras Sigillo Cartusiæ munitas habere monstrarunt ; et præterea Aymone abbate et Joanne Priore de Jugo Dei pro se et toto conventu in nostra præsentia constitutis, partes in hoc unanimiter convenerunt, ut quidquid juris in dicta Domo et ad eam pertinentibus habebant in nos transferrent ; concedentes expresse et bona fide quod quidquid inde faceremus, actum et firmum sine contradictione perpetuo servarent. Facta itaque ab utraque parte juris sui et possessionis in nos translatione et investitura, nos de consilio venerabilis fratris nostri Duranni Cabilonensis episcopi, Willelmi et Joannis Saviniacensis et Bellævillæ abbatum, et aliorum prudentium nobis assistentium, rem de qua lis fuerat taliter divisimus inter

eos : videlicet ut Domus Cartusiæ perpetuo et pleno jure habeat et pacifice possideat Domum Montismerulæ cum omnibus ad eam pertinentibus tam immobilibus quam mobilibus et se moventibus, seu aliis juribus, libris etiam et ornamentis ecclesiæ et cartis sigillatis et non sigillatis, excepta grangia de Chivrous, quæ cum omnibus ad eam pertinentibus, tam immobilibus quam mobilibus et se moventibus quæ modo sunt in eadem grangia, Domui de Jugo Dei perpetuo habenda concedimus et perpetuo pacifice possidenda; ita tamen quod de animalibus et de pecoribus ejusdem grangiæ Domus Montismerulæ tertiam partem habeat cum integritate. Præterea præcepimus, quod si forte contingeret ut Ordo Cartusiensis Domum Montismerulæ ad alium Ordinem transferre vellet, non posset, nisi ad Domum de Jugo Dei; neque illi de Jugo Dei ex tunc alium Ordinem possunt ibi statuere, nisi suum. Sciendum quoque quod de pecunia quam vir nobilis Guido dominus Baugiaci habuit, statuimus ut quidquid de ipsa recuperare potuerint inter se æqualiter dividant dictæ Domus. Dictum etiam fuit quod Cartusienses dominum Ulricum de Baugiaco dictam grangiam Domui de Jugo Dei concedere facerent et confirmare; et bona fide precibus quantum possent, inducerent Alexandram comitissam ut eamdem grangiam dictæ Domui permittat pacifice possidere; et illi de Jugo Dei debent testificari Domum Montismerulæ ad Ordinem Cartusiensem pertinere, et de omnibus ad eamdem Domum pertinentibus eos bona fide certiorare. Item dictum fuit quod Domus de Jugo Dei de debitis Domus Montismerulæ non teneatur ; ad hæc facimus manifestum quod nos per venerabilem fratrem nostrum Durannum Cabilonensem episcopum, partes in possessionem rerum sibi assignatarum fecimus induci corporalem, et ne super præmissis aliqua valeat in posterum quæstio suboriri, nos ad preces partium præsentem Cartam per Alphabetum divisam inde fieri et sigillo nostro fecimus in testimonium roborari. Actum anno Domini 1220, datum per manum Antelmi cancellarii nostri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pa-

ANNUS 1220

ANNUS 1220

ginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Anagniæ, VI Non. Octob. Pontificatus nostri anno octavo. »

JESU CHRISTI

ANNUS 1221.

Honorii PP. III Ann. 5.	Ord. Cartus. Ann. 138.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 42.

I. SEQUITUR annus Redemptoris vigesimus primus post millesimum ducentesimum, Indictione nona, quo Mater Cartusia benefactorem nacta est Berlionem de Castronovo, dominum de Buccuyrone, qui tot reditus largitus est, quot tunc temporis ad sustentationem unius Monachi poterant sufficere. Hujus eleemosynæ codicilli in manu Guillelmi monachi quondam Cartusiæ, tunc vero Gratianopolitani episcopi, dati sunt, ut sequuntur :

BERLIO DE CASTRONONO UNUM MONACH. FUNDAT IN DOM. CARTUSIÆ.

« In nomine Domini, etc. Anno MCCXXI Incarnationis ejusdem, ego Berlio de Castronovo in salutem animæ meæ et parentum et amicorum dono et concedo, per me et per omnes qui mihi succedent in rebus meis in perpetuum, omnia quæ sunt necessaria uni Monacho Domus Cartusiæ in victu et vestitu, et nominatim illi qui in cella Prioris extiterit, perpetuo facienda. Divisim ergo et expressim dono ad hoc in perpetuum observandum decem sestarios frumenti, unum modium vini puri et quatuor libras Viennenses quæ mihi debentur, etc. Verum si in posterum hæc eleemosyna guerris vel aliis impedimentis in parte deficeret aut in toto, volo quod ille qui Dominus Buccuronis fuerit, vinum et frumentum suppleat, et ille qui res Matacinæ habuerit, in quatuor libris Viennensibus teneatur superius nominatis. Volo et jubeo præterea ut Dominus Buccuronis annuatim Fratres Cartusiæ in festivitate Omnium Sanctorum procuret, sicut eos procu-

Litteræ fundationis.

Ex Cartul. Cartusiæ.

ANNUS
1221

rare consuevi. Et ad perpetuam firmitatem et tenorem hujus doni, Chartam istam sigillis domini Gratianopolitani episcopi et meo feci solemniter roborari. Et quia hoc totum opto inviolabiliter observari, præcipio ut prædicti successores mei et successorum successores in perpetuum, eamdem eleemosynam singulis annis perpetuo reddant et solvant illi qui pro tempore quandocumque fuerit Gratianopolitanæ Ecclesiæ episcopus, ut per eum Domui Cartusiæ detur. Quem etiam rogo quatenus successorem seu successores qui qualibet occasione huic meæ voluntati contra ire, et ipsam eleemosynam, ne prout melius et magis utile Domui Cartusiæ fuerit, eidem in modum supra dictum detur impedire tentaverit : excommunicationi tamdiu subjiciat et terras eorum sub interdicto ponat, donec omnia integre sicut continentur superius, plenarie compleantur. Universa vero et singula superius comprehensa, domino Episcopo et omnibus qui post eum futuri sunt in Ecclesia Gratianopolitana episcopis, necnon Domui Cartusiæ a me successoribusque meis irrevocabiliter observari perpetuo, in manu domini Guillermi Dei gratia Gratianopolitani episcopi bona fide promitto. Acta sunt hæc in præsentia testium ad hoc convocatorum, videlicet domini Desiderii Diensis episcopi, Eustachii Prioris S. Martini de Misereo, Anselmi monachi Vallis S. Hugonis Cartusiensis Ordinis, Merlini canonici S. Martini de Misereo, fratris Arnauldi Conversi Cartusiæ, Dominæ Alisiæ uxoris ipsius Berlionis, Petri Ramundi et Willelmi Veteris militum, et Antelmi de Mejolano clerici. »

GUILLEL. EP. GRATIANOPOL. MORITUR.

Ex Calendar. Maj. Cartus.

Ex Tabulario Maj. Cart.

II. Guillelmus Gratianopolitanus antistes his in literis nominatus, nostri quondam Instituti professus, haud diu post moritur, die videlicet 15 Aprilis, condito prius apud ipsam Matrem Cartusiam, ubi tunc infirmus jacebat, suo testamento quo multa multis legavit. « Præterea, inquit, mille solidos quos debeo Domui Cartusiæ, debet ei ex pacto reddere Guifredus Lombardi procurator Sabaudiæ, de reditibus meis præteritis quos jam percepit. Item pro remedio animæ meæ, donatione inter vivos dono irrevocabiliter Domui Cartusiæ

ducenta sextaria, centum videlicet frumenti et centum avenæ. Eodemque modo dono eis decem syphos argenteos, quos habet procurator meus Prior S. Martini, et mitram meam novam; et similiter do eis LX sextarios avenæ quos mihi debet Capellanus Cartusiæ hoc anno. In eumdem etiam modum dono eidem Domui palafredum et somarium meum. Item Jocerando nepoti meo dono et trado irrevocabiliter duos syphos argenteos pro servitio quod mihi impendit, et LXX solidos quos procurator claustri voluntate mea se ei daturum promisit de meo.... Notum etiam facio quod medietatem molendini, quam emi a Chaberto Equa, concedente Capitulo Gratianopolitano, eo pacto donavi eidem Capitulo ut singulis annis die obitus mei faciat generalem procurationem omnibus clericis.... Præcipio etiam ut ea die qua ex hoc seculo migrare contigerit, semel fiat refectio de bonis meis toti Ecclesiæ Gratianopolitanæ et Calesii et S. Roberti et de les Ayes monasteriis, et S. Martini de Misereno. De XL vero libris quas Comes de Savoia reddere debet pro damnis nobis et Domui Cartusiæ illatis in blado quod cepit, quando recuperabuntur habeat inde Domus Cartusiæ XXXVI libras, et Domus Altæcombæ XL solidos, et Domus de Ramis alios XL. Istud quod dixi de XL libris istis, actum coram Decano S. Andreæ et Monachis Cartusiæ Jordano et Gauterio, et Conversis Willelmo coquinario et Willelmo nepote Jacelini. Cæteris omnibus suprascriptis interfuerunt testes Domnus Jacelinus Prior, Amedeus Procurator, P. Fulcodii et Jordanus. Et mandavit suum sigillum apponi et sigillum Cartusiæ. Merlinus canonicus S. Martini de Misereno, mandato Domini Episcopi sigillavit. »

ANNUS 1221

III. Guillelmo in episcopatu successit Petrus de Sessinis, quem Sammarthani inter Genevenses episcopos annumerant, nec temere, cum eum (nisi sit ejusdem nominis alter) viderimus anno 1214 in tabulis cujusdam concordiæ dici electum dictæ Ecclesiæ episcopum; quod etiam ulterius probatur ex alio Cartusiæ Angionis Instrumento, cujus meminimus anno 1195, ubi et diximus alium post eum jam sedisse anno

PETRUS DE SESSINIS SUCCEDIT.

ANNUS 1221

1215. Unde verisimile est electioni de se tunc factæ renunciasse, et privatum vixisse usque ad præsentem annum, quo post mortem Guillelmi præfectus est Ecclesiæ Gratianopolitanæ, cujus etiam clavum cum vita statim dimisit, ut ex sequenti patet Instrumento.

Et moritur.

Ex codice Cl. V. Chorer.

« In nomine Domini, anno MCCXXI. Noverint præsentes et futuri quod dominus Delphinus comes Albonis et Viennæ, Palatinus, mortuo Domino P. de Saxino bonæ memoriæ Gratianopolitano episcopo, ingressus ejusdem ecclesiæ Capitulum, præsentibus venerab. D*. Diensi episcopo et S. abbate S. Theofredi, consensu et sano consilio nobilium virorum suorum et hominum Ademari de Cassenatico, Odonis Alamanni, Radulphi de Vado et quorumdam aliorum, dimisit et reliquit in manu Dom. Petri decani Gratianopolitani.... quicquid juris credebat se habere in domo episcopali, seu juribus suis in civitate aut extra civitatem vacante episcopatu; et etiam si aliquid injuriose in hoc posset facere seu præsumere, penitus dereliquit.... Dictus præterea Decanus et totum Capitulum dimiserunt domino Delphino injuriam quam dicebant fecisse in occupatione memoratæ domus Episcopalis, etc. Nihilominus vacavit Sedes usque ad annum sequentem. »

* Desiderio.

PONT. DE THORIA EPISC. MATISCON. ETIAM MORITUR.

IV. Hoc etiam anno, die 30 Aprilis, ex hac vita decessit Pontius de Thoria Cartusiæ Sellionis, ut fertur, professus et Ecclesiæ Matisconensis præsul, numeris omnibus absolutus. Hic antiqua ac nobili toparcharum de Thoire stirpe progenitus, parentibus scilicet Humberto II domino de Thoria et Aleide de Coligniaco magna cartusiæ Majorevi benefactrice, fratres habuit Stephanum qui, ducta Agnete Stephani domini de Villariis filia et hærede, utriusque familiæ de Thoria et de Villariis fuit propagator, et Bonifacium episcopum Bellicensem. Pontius pietati ab infantia addictus, Lugdunensis Ecclesiæ Canonicus et Cantor primum fuit; deinde Humberti de Balgiaco quondam ejusdem Ecclesiæ archiepiscopi, tunc vero Sellionis Cartusiæ Prioris sanctimonia excitatus, habitum nostrum ibidem induisse dicitur; mortuoque Bosone qui Humberto successerat, eamdem Domum regendam sus-

Guichen. Histor. Bress. et Bug.

Sammarth. in Episc. Matiscon.

V. supra ad an. 1208.

Dicitur quondam fuisse Sellion. Prior.

ANNUS 1221

cepisse. Ad eum (si tamen non est ejusdem nominis alius Sellionis Prior) extat Hugonis Cluniacensis abbatis epistola, ex qua intelligimus Pontium ab eodem sancto viro et Raynaldo Matisconensi episcopo visitatum fuisse. Hanc ex ms. excerptam evulgavit Swertius, ut sequitur :

Swertius in Episc. Matiscon.

« Amantissimo et venerabili Patri nostro et amico, Dom. Pontio servorum Dei qui sunt in cartusia Sellionis Priori, quidquid in Dom. f. Hugo humilis Cluniacensis abbas et servus. Quibus de causis præsentiam meam sacro vestro Conventui, cui me more solito die indicta S. Joannis Baptistæ interesse rogaveratis, subtraxerim, credite intimo amico, credite vera dicenti, quia vere volui, sed non valui; et quia non adhuc non valeo, etsi volo, doleo. Utinam sicut præsentem chartam, ita et vobis mentem meam mittere possem. Legeretis certissime quid in corde meo et amore vestro digitus Dei scripsit, quid meis impressit medullis, ex quo una cum Raynaudo nostro Matisconensi episcopo vos vidi et mores placidos hausi, etc. »

Quando in Episcop. electus.

Porro cum ejus virtutis fama percrebuisset, defuncto præfato Raynaldo, in antistitem deligitur a Capitulo anno 1199, Lugduni consecratus pridie Idus Januarias, seditque per annos viginti; abdicato deinde episcopatu moritur in monasterio Firmitatis ad Gronam, sepultus ubi prostat cenotaphium ex lapide ad dexterum altaris majoris latus, circa quod legitur : « Annus ab Incarnatione Domini MCCXXI, erat II Maii quando obiit Dominus Pontius Matisconensis episcopus, cujus anima requiescat in pace. Godefridus fecit hanc tumbam. » Swertius hoc epitaphium ad Pontium hujus nominis primum refert, sed sine fundamento ut recte probat Guicheno. Eumdem obitus illius diem Matisconense necrologium his verbis signat : « II Cal. Maii obiit Dominus Pontius episcopus, qui regalitatem a Rege acquisivit; et volturam ecclesiæ juxta domum suam fieri fecit, et cameram suam juxta, domumque lapideam apud Viziretum. » Quidam recentiores dicunt eum in Montismerulæ nostri Ordinis Domo sepultum; sed nihil tale reperitur in hujus cartusiæ monu-

Guichen. in familia de Thoire.

ANNUS 1221

mentis, nisi quod Ordini nostro possessionem illius adjudicaverit, licet tunc sine effectu, ut anno 1215 diximus. Unde mihi videtur esse penitus standum Guichenonis sententiæ, qui sepulchrum ejus apud Gronam vidit cum epitaphio superius exscripto. Eum fuisse virum eximium ac præsulem absolutum, certissime cum iis teneo qui laudes ejus celebrarunt. Sed suspectum habeo Majorævi obituarium, quod nusquam modo apparet, in quo hæc legi de Pontio dicunt : « Pontius de Villariis ex Cartusiano episcopus Matisconensis, gemma Pontificum, rara præfulgens pietate obiit. » Hæc certe antiquitatem non redolent, nec autoritatem alibi potui certam invenire qua ejus astruerem in Sellionis Domo professionem. Imo si monachus hujus Domus extitisset, justam Benedictini de Jugo Dei monachi causam habuissent ejus recusandi judicium in causa qua cum Sellionensibus et Montemerulanis Cartusiensibus certabant. Nec obstat epistola Hugonis Cluniacensis abbatis ad Pontium Sellionis Priorem, de qua supra, cum potius ex ea et Pontii nominis identitate videntur decepti qui nostrum Priorem eumdem cum Pontio episcopo fuisse crediderunt. Non inficiar tamen ipsum post dimissas infulas vitam Cartusiensem fuisse aliquando sectatum. Si enim anno tantum 1221 mortuus est, constare debet eum abdicasse; cum ejus successorem jam sedisse anno 1219 Sammarthani ex Alberici Chronico probent. Hæc solum ex conjectura dicta sint, et ad lucem qualitercumque afferendam veritati quam Polycarpus Riverius a Swertio citatus, præ ardentiori desiderio Cartusienses e solitudinis latibulis super Ecclesiæ candelabrum evehendi, sæpius obscuram fecit.

An abdicarit, et factus sit aliquando Cartusiensis.

DESIDERIUS EPISCOP. DIENS. MORITUR.

Ex mss.dom. Durbon.

V. Eodem tempore Præsul alius Cartusiensis fato fungitur. Hic fuit Desiderius e Forcalquerii Comitibus, qui ante septem aut octo annos ex monacho (non ex Priore ut quidam incaute scripserunt) Durbonensis eremi factus Diensis episcopus, septennio post, mitram cum vita deseruit. Beatus inscribitur a Joanne Columbo, licet tantum laudetur quod suæ jura Ecclesiæ apud Imperatorem propugnarit. Ex eadem fuisse familia videtur Raymundus de Forcalqueriis qui, anno 1204

Raymundus de Forcalqueriis monachus Vernæ.

legato Vernensi cartusiæ dominio suo, ibidem Monachus effectus est.

ANNUS 1221

INFIRMI ORDINI ADSCRIPTI.

VI. His temporibus consuetudo apud Religiosos invaluerat, ut secularis homo morbo correptus periculoso, vestem monasticam petens, a superioribus Ordinis, cui adscribi cupiebat, in domum infirmi advocatis, in ipsa etiam vitæ extremitate indueretur et ut membrum illius Instituti haberetur. Idem apud nos aliquando factum fuisse probabile est, sed cum illud minus nostro Proposito decens Patribus videretur, ab aliquot annis sancitum reperio ut nullus ita facile in Fratrum nostrorum numerum admitteretur, nisi saltem ad cartusiam propinquiorem pedibus aut equo posset accedere. Sic enim lego in compilatione Statutorum (de qua anno sequenti dicemus) a Jancelino Cartusiæ Priore facta. « Infirmos qui nec pedibus suis possunt ad Domos usque nostras nec equitando venire, nullo recipimus modo. » Quamobrem hoc anno cum quidam Nobilis, Domui Vallisbonæ vicinus, gravi teneretur morbo velletque in Fratrem nostri Ordinis recipi, postulata obtinuit a Priore, quem advocaverat, ea tamen conditione si pedes vel eques cartusiam venire posset. Deinde condito testamento quædam bona legavit de quibus biennio post videtur lis intentata, ut ex subjecto Instrumento colligere est:

Codex ms. Maj. Cartus.

Qua conditione.

« Anno MCCXXIII, Kalendis Julii, Gaufridus courezier* et monachus Vallisbonæ, a Nicholao Priore et a Fratribus Petro Chalveto et Stephano et Guillelmo de Leuzieira ejusdem Domus Procurator seu sindicus constitutus, coram Pontio de Ponte Priore ecclesiæ de Bagnolis, a Domino R. Uticensi episcopo ad audiendam publicationem testamenti Bregaldi specialiter delegato, hos testes produxit in hunc modum: Nicolaus Prior testis juratus dixit, quod Bregaldus fecit eumdem Priorem venire ad Rocham rogans ipsum Priorem quod reciperet eum in Fratrem ; et recepit eum in hunc modum, « si pedibus vel equitando posset intrare Domum Vallisbonæ. » Postea Bregaldus dedit Domui Vallisbonæ tres terras, scilicet Faissas quas habebat juxta Arnavam, et albergum tribus militibus cum uno servienti.... Item quod filia

Ex Cartul. dom. Val. Bonæ.

*Courier *sive* Correrius.

ANNUS 1221

prædicti Bregaldi super quatuor Dei Evangelia jurando, hæc omnia rata habere promisit. Et hæc omnia vidit et audivit prædictus Nicholaus Prior. Requisitus de tempore, dixit quod XIIII Kal. Octobris proxime venientibus erant transacti duo anni. F. Gaufridus dixit quod Bregaldus infirmabatur, et fecit venire ad se Priorem Vallisbonæ. Et ipse testis venit cum eo et vidit et audivit quod Bregaldus dedit se in Fratrem Domus Vallisbonæ . . . . de ætate filiæ requisitus dixit quod habebat XV vel XVI annos.... Stephanus Morsanus dixit quod vidit et audivit quod Pontius de la Fara et uxor sua erant juxta portale villæ S. Michaelis, et in illo loco *le Correziers* Domus Vallisbonæ, Gaufridus nomine, significavit utrique testamentum Bregaldi, et uxor Pontii de la Fara juravit quod ratum haberet testamentum patris sui, etc. Acta fuit hæc publicatio præsentibus Guillelmo de Balnolis, Gancelino de Bariaco, etc. ; præsente Pontio de Azerivo notario Domini R. Uticensis episcopi, etc. »

DONATÆ MULIERES.

VII. Eodem etiam tempore videtur mos, ex Benedictinis inter nos sensim inductus, mulieres ad statum Donatarum recipiendi. Quod quidem conjicio ex eodem Vallisbonæ cartulario in quo extant literæ quibus bona mobilia cujusdam mulieris Prioratus Gordanici Donatæ, ad petitionem præfati Prioris Nicholai eidem Domui adjudicantur eo quod ea prius Cartusiensibus concessa fuerant. Sententia adjudicantis talis

Ex eodem Cartul.

est : « Præsentibus et futuris nosse fieri volo, quod controversia erat in manu Petri de Malencio canonici Uticensis delegati a domino R. Uticensis Ecclesiæ episcopo, inter Raimundum Priorem de Gordanicis ex una parte et inter Nicolaum Priorem Vallisbonæ ex altera, de rebus mobilibus quæ fuerunt Mariæ de Gortz. Dicebat Prior de Gordanicis quod Maria de Gortz universa mobilia et seipsam donaverat domui de Gordanicis. E contra, Nicolaus Prior Vallisbonæ dicebat quod dicta Maria mobilia sua universa donaverat Domui Vallisbonæ.... Placuit itaque partibus ut Petrum de Malencio eligerent, qui finem imponeret. Ipse vero Petrus sic arbitratus est, quod Nicholaus Prior Vallisbonæ daret de bonis mobi-

libus Mariæ de Gortz CCC solidos Raimund. novorum et quatuor oves Raimundo Priori de Gordanicis. De quibus ipse Prior de Gordanicis pro pagato se tenuit, etc. Acta fuit hæc compositio in villa sancti Michaelis, juxta ecclesiam in istorum præsentia Guillelmi Augerii Procuratoris Vallisbonæ, fratris Guiraldi, f. Petri ; Stephani Marsani rectoris ecclesiæ S. Michaelis, Montaguti notarii Argentariæ.... Et ego Pontius de Azervio, notarius Domini R. Uticensis episcopi, præsens interfui. » Etsi hæc Maria sua bona mobilia Cartusiensibus largita fuisset, non dicitur tamen Donata Vallisbonæ sed Prioratus de Gordanicis, quod forsan Donatio mulierum nondum esset in usu apud nos in Domibus Monachorum, ut postea fuit sicut constat ex his quæ diximus alibi.

ANNUS 1221

Vide supra ad an. 1173.

JESU CHRISTI

ANNUS 1222.

Honorii PP. III Ann. 6.	Ord. Cartus. Ann. 139.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 43.

JANCELINUS NOVAS CONSTITUTIONES COLLIGIT.

I. ANNUS Christi vigesimus secundus supra millesimum ducentesimum, Indictione septima, variam satis nobis offert materiam. Et primum noster Jancelinus juxta mandatum Diffinitorum novas collegit Constitutiones, ex ordinationibus et decretis ab institutione Capituli generalis edictis compactas ac quinquaginta quatuor capitula continentes, sub nomine Compilationis, ut apparet ex epilogo qui ad earum calcem sic legitur : « Hæc Compilatio, mandato Capituli generalis, contrarietatibus, superfluitatibus nec non obscuritatibus, et quæ diversa erant et confusa, in unam (quantum possibile fuit) consonantiam collectis atque per titulos (sive per capitula) dispositis, facta fuit anno a nativitate Domini MCCXXII, Domni vero Honorii Papæ III anno VI, Sede tunc episcopali in Ecclesia Gratianopolitana vacante. » Et in alio codice additur. « Anno vero Domini millesimo ducentesimo vigesimo tertio fuit in generali Capitulo Cartusiæ recitata et promulgata. » Uterque codex antiquus est ac eodem tempore vel paulo post conscriptus. In his novis Consuetudinibus (sic enim etiam aliquando nominatas esse reperimus) cuncta fere quæ sub finem regiminis Basilii collecta fuerant continentur, sed in multis correcta et aliquot aucta capitulis. Ex augmentis jam plura passim retulimus, quædam vero alia notatu digniora libet hic subjicere.

ANNUS 1222

NOMEN VICARII QUANDO CŒPIT ESSE IN USU.

II. 1. « Prior ex veteribus institutionibus omnes injungit obedientias, scilicet procurationem, sacristiam, vicariam et cæteras, tam in superiori quam in inferiori Domo. » Veteres institutiones videntur hic appellari, tum Consuetudines Guigonis, tum maxime Constitutiones quas diximus collectas extremo Basilii regimine aut saltem ante annum 1180. In eisdem tamen non fit mentio nominis Vicarii, sed tantum officii ejus. Extat enim capitulum peculiare « de eo qui vices agit Prioris ». Et is plerumque erat Sacrista, ut ibidem legitur : « in aliis, quicumque est Sacrista apud nos vices agit Prioris. » Unde retento nomine Sacristæ, Vicarii appellatio non erat in usu. Sed sub Jancelino, separato utroque officio, qui vices agebat Prioris cœpit appellari Vicarius, de quo inter cætera novæ istæ Consuetudines sic loquuntur : « Vicarius agit vices Prioris in visitandis Monachis, de cujus potestate Prior semper disponit secundum propriæ arbitrium voluntatis. » Et alibi passim nomen Vicarii occurrit cum eadem potestate qua nunc gaudet; nisi quod tunc temporis non habebat locum post Priorem, sed suæ professionis ordinem tenebat etiam in actis conventualibus.

ELEVATIO SACRÆ HOSTIÆ QUANDO CŒPTA

III. 2. « Quando elevatur Hostia, si stantes oramus, accipimus *veniam* sicut quando dicitur *et Homo factus est,* nec surgimus donec calix deponatur. Idem facimus quando super formas oramus, sed calice deposito redimus super formas. » Duo sunt in hac constitutione notanda. Primum, Hostiam elevari statim post consecrationem, quod non legimus factum in nostro Ordine temporibus Guigonis et Basilii. Nihil enim occurrit in eorum constitutionibus de Hostiæ elevatione, cujus usus per totam Ecclesiam generaliter videtur tantum receptus circa initium hujus seculi decimi tertii ; quem etiam Cistersienses eodem admiserunt tempore, statuentes in Capitulo suo generali anni 1215 ut, consecratione peracta, Hostia elevetur.

Joan. Bapt. Thiers de expos. S. Sacramenti.

Alterum in præfata constitutione dignum observatione, versatur circa illud verbum *veniam,* quod hic nostram denotare prostrationem colligimus ex Statutis Rifferii, ubi totus hic articulus inseritur et loco horum verborum, « accipi-

Mabil. in commentario in Ord. Rom. pag. 49.

ANNUS 1222

mus veniam, » legitur « prosternimur. » Præterea cum hæc forma tum elevationis Hostiæ tum prostrationis post illius consecrationem non satis clare præfatæ constitutionis verbis exprimeretur, aliquot post annis distinctius in alia compilatione exposita fuit his verbis : « In consecratione Hostiæ pronunciando *accepit panem*, accipiatur Hostia ; et dicto *hoc est Corpus meum,* elevetur, et tunc fiat prostratio. »

V. infra ad an. 1233.

Deinde anno 1276 per Chartam Capituli generalis institutum fuit, « ut portæ Chori aperiantur ad elevationem Hostiæ et cereus accendatur. » Attamen jamdiu ante (ut alibi vidimus), in privatis Missis quæ mane celebrabantur, mos erat inductus accendendi cereum in elevatione Hostiæ, eo tamen fine ut Corpus Christi posset videri. Hic usus postea in aliis Missis privatis præscriptus fuit cum elevatione extremæ partis casulæ, per Chartam anni 1243 his verbis : « Ordinatur quod in Missis privatis in elevatione Corporis Christi cereus accendatur et casula elevetur. »

STABANT DUM ALII COMMUNICABANT.

IV. 3. Dicto *Agnus Dei,* in Missa majori, « prostrati in terram oramus, Diaconoque festis vel dominicis diebus communicato statim surgimus, licet unus vel plures communicaturi sint ; primo, surgente cantore qui incœpturus est *Agnus Dei,* quod tamen non incipit donec ultimus communicatus sit. » Hic mos confirmatus fuit per Chartam anni 1386 quæ sic habet : « Quando communicant Conversi ex ordine, Conventus stat in choro nudatis capitibus versa facie ad altare. » At tempore Francisci Puteani sancitum est ut deinceps « flexis genibus usque ad finem communionis perseveremus. »

DE SECUNDA PROFESSIONE APUD NOS OLIM USITATA.

3ª Compilat. c. 1. n. 56.

V. 4. « Si Prior cedens prioratui ad aliam Domum ire voluerit, post annum professionem faciat locusque detur ei. » De secunda professione facienda in altera Domo ad quam post primam professionem Nostri transferebantur, multa passim habentur in Antiquis et Novis Statutis ac Tertia Compilatione, ad quæ recurrere potest lector curiosus. Id autem fiebat quia monachi sic translati habebantur tantum ut hospites in Domibus suæ translationis, donec aliam emitterent professionem quæ maxime consistebat in promissione obe-

dientiæ. Hunc usum apud antiquos Benedictinos fuisse observatum, colligimus ex epistola Joannis abbatis Fiscamnensis ad Willelmum Anglorum regem ducemque Normannorum, *Conquestorem* vulgo appellatum. Hic translato Vitale Bernacensi abbate in Westmonasterium, in ejus locum volebat sufficere quemdam Osbernum monachum Troarnensem. Verum quia Bernacum juris erat Fiscamnensis abbatiæ, ut suam electionem legitimam redderet, petiit Rex eam confirmari autoritate Fiscamnensium monachorum. Interpellatus igitur a Rege Joannes eorum abbas, consensum electioni præbuit sed ea conditione : « Annuo, inquit, libenter ad vestram fidelitatem, ita tamen ut fiat secundum autoritatem : videlicet ut accepta licentia a suo Abbate, noster fiat monachus et obediens, secundum Regulam sancti Benedicti et Ordinem. » Idem probari potest sequenti exemplo :

Tom. I. Veter. Anal. Mabilon.

Idem Joannes abbas Fiscamnensis quemdam monachum sui monasterii professum, nomine Benedictum, a multis annis in abbatia S. Arnulphi Metensis, ad quam Willelmus ejus quondam abbas eum transtulerat, residentem repetens, tale responsum a Warino ejusdem loci abbate accepit : Domnum Benedictum non suum sed sanctæ memoriæ Domni abbatis Willelmi conversum, nutritum et professum fuisse, cujus jussione ad monasterium sancti Arnulphi, cui tunc idem Willelmus præerat, directus et destinatus fuerat ; « ubi, inquit, hactenus deguit et degit et Deo volente, (nisi omnia antiqua statuta irrita fiant) deget. Qui obitum Patris nostri sæpedicendi Domni abbatis Willelmi præstolatus est ; et successoris ejus, id est Domni abbatis Oddonis, electioni et ordinationi interfuit, laudavit et absque alicujus interdictione primum ipsi, post decessum autem ejus mihi licet indignissimo, nullo monente, nullo cogente, sua sponte, voluntarie ut dixi, obedientiam ut monachus Abbati promisit, et scripto ut videri perfacile est firmavit. » Hæc ibi ; forsan et plura de hujusmodi professionibus quæ ter quaterque in variis Domibus aliquando iterabantur, data occasione dicemus in his Annalibus ex Chartis Capituli generalis.

ANNUS 1222

ARMA NOSTRIS MERCENARIIS ET FAMULIS PROHIBENTUR.

Stat. Ant. p. 2. c. 19. nu. 21.

VI. 5. « Cum mercenarii conducuntur, prædicatur et præcipiatur eis ut sint continentes, ad usuram non accommodent. Cultellos barbarinos non portent. In quorum obitu dicatur una Missa ab hebdomadario et a cæteris *Placebo* in cellis. » Eadem postea inserta fuerunt in Statutis Antiquis. Per cultellos barbarinos intelligi enses sive acinaces quos gallice dicimus *coutelas,* satis perspicuum est. Cur vero appellentur barbarini, non videmus; nisi quod forsan horum temporum homines uterentur acinacibus e Barbaria seu Affrica allatis, vel ad formam eorum fabrefactis, quorum usus erat apud Barbaros. Verissimile est hoc statuto prohiberi quælibet arma impugnantia sive offensiva, non solum mercenariis sed et Priorum famulis, juxta inhibitionem postea factam per Chartam anni 1337. « Prohibemus districte ne famuli Priorum et personarum Ordinis venientes ad Domum Cartusiæ super annum et ad Capitulum generale, deferant infra terminos Cartusiæ enses vel magnos gladios ; sed in ingressu terminorum commendent et dimittant videlicet Converso custodi pontis et custodi grangiæ de Rucheria. Et Priores et aliæ personæ Ordinis quorum famuli reperti fuerint enses seu alios magnos gladios aut cultellos apportasse et secum habere, sciant se pro ipsis famulis graviter puniendos. » Hæc ibi, quæ postea transfusa sunt in Nova Statuta a Guillelmi Rainaldi edita.

Part. 2. c. 7. num. 10.

Etsi hoc statutum famulos in comitatu Priorum extra terminos Cartusiæ arma deferre non omnino prohibeat, haud tamen videtur esse mens Ordinis ut Priores sinant famulos suos eis uti, nisi in suiipsius justam ac legitimam defensionem. Justam appellamus defensionem, qua quis vim vi potest quidem repellere, sed « cum moderamine inculpatæ tutelæ », prout loquuntur jura ; ita ut malum minanti eo tantum se opponat animo, non ut ei noceat, quod esset charitati contrarium, sed ut malum sibi intentum impediat, et id quidem jubet eadem charitas.

Denique hæc Compilatio hoc præsenti anno a Jancelino digesta, in Comitiis anni sequentis recepta fuit ; ubi et decretum

ANNUS 1222

est « ut Domus quæ recipere noluerit Consuetudines noviter scriptas, quas ab omnibus recipi jubemus, a Capitulo puniatur. » Jam ad res hujus anni redeamus.

SOFFREDUS ELIGITUR EPISC. GRATIANOP.

VII. Paulo post absoluta nostra Comitia, ubi preces pro novi Episcopi Gratianopolitani electione fusæ fuerant, concordantibus tandem canonicorum votis, Sedem jam per aliquot menses vacantem juste occupavit Soffredus. Hic antecessorum suorum erga Cartusienses studium imitatus, hoc ipso anno Guigonem de Cassenatico incitavit ad benefaciendum nostris Excubiensibus, quorum nomine ipse Episcopus ab eodem Guigone partem decimarum de Rancurello accepit. Hanc donationem iterum Guigo confirmavit et auxit anno 1231, « in manu ejusdem Soffredi episcopi (ut loquuntur literæ) Sacrosancta tenentis Evangelia, apud Planam, in domo dicti domini Episcopi. »

Erga Cartusien. bene affectus.

Ex codice V. Cl. Chor.

THEOBALDUS COM. CAMPANIÆ ET REX NAVARRÆ BENEFACT. CAP. GEN.

VIII. Theobaldus, Campaniæ comes, hoc anno Capitulo generali annuos reditus concessit ad victum Priorum ibidem congregatorum, quam donationem factus Rex Navarræ confirmavit post annos septemdecim, scripto sequenti diplomate :

« Nos Theobaldus, Dei gratia rex Navarræ, Campaniæ et Briæ comes Palatinus, notum facimus omnibus præsentes litteras inspecturis, quod nos olim Fratribus Ordinis Cartusiensis concessimus triginta libras proventus annui reditus ad expensas faciendas generalis Capituli eorumdem, et litteras nostras eis dedimus in hac forma : Ego Th. comes Campaniæ et Briæ Palatinus notum facio tam præsentibus quam futuris, quod pro remedio animæ meæ et prædecessorum meorum donavi Fratribus Ordinis Cartusiensis triginta libras annui et perpetui reditus, deputatas ad faciendam singulis annis in perpetuum procurationem et refectionem omnium Fratrum ejusdem Ordinis, quando ad celebrandum commune et generale Capitulum in anno semel convenient in unum ; assignavique easdem triginta libras percipiendas eisdem Fratribus singulis annis in nundinis Trecensibus S. Joannis in portagio vinorum. Quod ut ratum permaneat et firmum teneatur, litteris annotatum sigilli mei munimine roboravi.

ANNUS 1222

Actum anno gratiæ 1222, mense Augusti. Cum igitur dicti Fratres nuper a nobis postulaverint, ut jam dictas litteras ne vetustate perirent sub sigillo nostro novo regali auctenticaremus eamdem donationem confirmantes ; nos justis eorum petitionibus annuentes prædictam donationem dictarum triginta librarum, quas jam multis annis solvimus, innovamus et confirmamus. In cujus rei testimonium præsentem paginam sigillo nostro regali fecimus roborari. Actum anno gratiæ MCCXXXIX, mense Julii. »

GUILLELMUS SABAUDUS ELIGITUR EPISCOP. MUTINENSIS, NOSTER POSTEA FUTURUS.

IX. Mortuo anno præcedente Martino Mutinensi episcopo, Guillelmus e Sabaudia ab Honorio Pontifice Maximo eidem Ecclesiæ præfectus, sub initium præsentis anni ab eodem consecratur. Institutum nostrum aliquando professus est Guillelmus, sed non ante assumptum episcopatum (siquidem ab Ughello asseritur fuisse tunc Honorii Vicecancellarius), sed tantum post abdicatas infulas, ut post duodecim annos videbimus ; qualem vero post suam electionem se gesserit, videbimus anno 1224.

GUILLEL. GIBELINI EPISCOP. VAPINCEN. EX PRIORE DURBONIS.

X. Hoc anno vel obiit vel Præsulatum abdicavit Guillelmus Gibelini, qui ex Priore Durbonensi evectus fuerat ad episcopatum Vapincensem, incerto anno. Theophilus Raynaudus ponit annum 1205 ; alii dicunt circa annum 1218 et quidem melius, nam Prior erat hujus Domus an. 1217, ut patet ex duabus donationibus in quibus nomen ejus et cognomen reperiuntur. Annis vero 1218 et 1219, Prior hujus Domus in variis Chartis Guillelmus vocatur ; sed quia cognomen non ponitur, dubitari potest utrum ad Gibellinum, an ad alium debeat referri. Sammarthani scribunt Guillelmum Gibellinum ex Priore cartusiæ Durbonis reperiri episcopum Vapincensem anno 1318 in libro Provisionum Vaticani, sed certum habemus ex catalogo Priorum quod nullus hujus nominis huic cartusiæ præfuerit illo tempore ; unde videtur error typographi irrepsisse apud Sammarthanos, ibique editum fuisse 1318 pro 1218. Præterea reperitur in archivis hujus Domus Guillelmum Priorem Durbonis extitisse episcopum Vapincensem anno 1222. Quod si ita est, non potuit ultra

Trinit. Patriarch. Stylita Myst. punct. 10. §. 6. p. 260.

Gall. Christian. tom. 3.

4 aut 5 annos Sedem hanc tenuisse. Nam eodem anno 1222, 15 Kal. Novemb., Guillelmus de Sclapono hujus erat Ecclesiæ episcopus. In quodam ms. dicitur sæpe visitasse professionis suæ Domum, ubi inter Fratres veluti unus ex eis conversabatur, ac tandem obiisse anno 1225. Unde colligitur pastoriam dignitatem abdicasse.

ANNUS 1222

Ante eum, alter Episcopus Instituti professus jam obierat, Guillelmus præsul Gratianopolitanus de quo diximus anno 1220; quem vel sub finem anni 1221, vel sub initium præsentis, decessisse colligimus ex epilogo Compilationis superius exscripto ubi Sedes episcopalis in Ecclesia Gratianopolitana tunc, id est tempore Capituli generalis, vacasse dicitur. Guillelmo suffectus est Soffredus, constat enim eum sedisse anno 1223 ut mox dicemus.

SUMMUS PONTIFEX JUBET INQUIRI DE VITA S. STEPHANI DIENSIS.

XI. Hoc etiam anno, rogatus Romanus Pontifex ab Episcopo Diensi ut Sanctorum catalogo adscriberet Stephanum ejus decessorem, qui innumeris coruscaret miraculis et ad cujus tumulum maximi hominum concursus ex variis Christiani orbis regionibus fieret, Episcopum Portuensem Legatum jubet diligentissime inquirere de Servi Dei vita, obitu, rebus admirandis ante et post mortem editis et circumstantiis aliis, seque certiorem facere. Extant Apostolicæ litteræ ex Vaticano datæ hoc anno, Nono Calend. Novembris, ut asserit Raynaldus in suis Annalibus. De eadem inquisitione iterum agemus anni 1231 et 1233. « Inde, paucis interjectis diebus, pergit idem Raynaldus, corpus sancti Hugonis ab Innocentio secundo inter Sanctos relati in honorificentiorem locum transferendi potestatem fecit. » Videtur Raynaldus hic loqui de sancto Hugone Gratianopolitano, cum constet eum fuisse ab Innocentio secundo in Sanctorum ordinem assertum. Sed quæ apud eumdem autorem sequuntur, satis innuunt Hugonem Lincolniensem episcopum cum Gratianopolitano incaute hic confundi.

Raym. ad hunc an. n.49.

Corpus S. Hugonis Gratianop. transfertur.

GUILLELMUS COM. SARISBURIÆ SECUNDAM CARTUSIAM IN ANGLIA MOLITUR.

XII. Hoc pariter anno Ordo Cartusiensis qui sterilis apud Anglos unicam hactenus habuerat stationem, conclusus videlicet inter eremi Withamiensis angustos limites, cœpit pullu-

ANNUS
1222

lare tantisper ; quod tali occasione evenit. Guillelmus comes Sarisburiæ, dictus Longaspata, filius nothus Henrici Regis (qui primus in Angliam Cartusienses advexerat), Nostros apud Withamiam a Sarisberiensi agro non longe dissitam sæpius invisebat. Hic tandem vitæ illorum captus innocentia, ac crebra quæ Deus per merita sancti Hugonis (cujus exequiis ipse etiam interfuerat) quotidie operabatur miracula expertus ; tanto amore sanctum Institutum complexus est, ut biennio post illius inter Sanctos relationem, hoc videlicet anno, in festo sanctæ Mariæ Magdalenæ, Deo et Ordini Cartusiensi dederit monasterium quod fundavit apud Heithorp. Sed quia locus vitæ solitariæ minus aptus repertus est, fundatorem Nostri rogaverunt ut eos alio transferre dignaretur ; quod morte præventus perficere non potuit. Obiit enim anno 1226, Nonis Martii, sepultusque jacet apud Sarum cum tali epitaphio :

Monast. Anglic. in prioratu de Lacock.

Moritur.

Flos Comitum Guillelmus obiit, stirps regia, longus
Ensis vaginam cœpit habere brevem.

« Contigit autem, inquit Matthæus Westmonasteriensis, quod cum de castello ad novam ecclesiam per unum circiter milliare corpus ejus ad tumulandum portaretur, cerei qui cum cruce de more portabantur accensi, inter pluviarum effusiones et ventorum turbines non extinguebantur ; ut, sicut de beato Hugone episcopo Lincolniensi et Confessore contigit, aperte ostenderent Comitem de peccatis suis tam amare pœnitentem, ad lucis filios pertinere. »

Westmon. ad an. 1226.

Eo mortuo Ela uxor ejus, mulier multæ pietatis, Patres nostros ad manerium de Hentona, locum longe commodiorem transtulit, ut post quinque annos dicemus.

JESU CHRISTI

ANNUS 1223.

Honorii PP. III Ann. 7.	Ord. Cartus. Ann. 141.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 44.

I. ANNUS Redemptoris agitur millesimus ducentesimus vigesimus tertius, Indictione undecima, quo Guillelmus primariæ Ecclesiæ Lugdunensis decanus, Majoris Cartusiæ benefactor, quamdam pecuniæ summam apud Canonicos de Miseriaco constituit, ea conditione, ut ex possessionum inde comparatarum redditibus, quamdam olei mensuram quam idem Decanus (ut loquuntur literæ super his confectæ) dictæ Domui Cartusiæ perpetuo annuatim dari voverat, Canonici singulis annis Cartusiæ Monachis persolverent. Ad quod præstandum Eustachius Miseriaci Prior, tam suo quam sui Conventus nominibus, prædicto domino Decano et omnibus qui in decanatus Lugdunensis honore successerint, se suamque Domum obligavit, datis etiam consponsoribus Joanne Viennensi archiepiscopo, Soffredo Gratianopolitano præsule, et domino Dalphino Albonis et Viennæ comite. Qui omnes se suosque successores fidejussores constituerunt, promittentes se curaturos, ut supradicta omnia inviolata ab ecclesia Miseriacensi perpetuo servarentur ac integre complerentur. Fuit iste Guillelmus singularis Portarum et Majorævi Cartusiarum amicus.

GUILLELMUS DECAN. LUGDUN. BENEF. CARTUSIÆ.

Ex Archiv. Maj. Cartus.

Item Portarum et Majorævi.

Ex Archiv. Portar. et Majorævi.

II. Hoc anno, Stephanus Tolonensis episcopus sentiens se gravari ab infirmitate sua (ut loquitur in suo testamento), elegit sepulturam suam in cœmeterio B. Mariæ Montis Rivi Ord. Cartusien.; et ob remedium animæ suæ et remissionem

STEPHANUS EPISC. TOLON. MORITUR.

Ex Archivis Montisrivi.

ANNUS 1223

peccatorum, jure et titulo perfectæ donationis inter vivos et ultimæ voluntatis, donavit Deo et B. Mariæ et D. Petro de Planis Priori, Monachis et Fratribus ejusdem Domus præsentibus et futuris duos libros, scilicet Bibliam quam emerat Boloniæ, et Summam illam quæ vocatur *Abcedarium,* vel *Discursus sermocinandi,* et duos mulos suos ; et insuper duo millia solidorum a Guidone de Soleriis canonico Tolonensi sibi debita. Dedit etiam cuppam suam argenteam, et sex scyphos argenteos et duodecim cochlearia argentea. Acta sunt hæc hoc præsenti anno, III Idus Martii, in Hospitio Claustri dictæ Domus, in præsentia Domni Petri de Planis Prioris, magistri Bertrandi, Geraldi, Pontii, Michaelis, Aldeberti, Willelmi de Monte Vario, Bertrandi de Correns monachorum.

In Domo Montis Rivi sepultus.

Sammarth. in Episc. Tolon.

An fuerit Cartusiensis.

Denique 15 Calendas Aprilis ejusdem anni in eadem Domo mortuus, ibidem in Monachorum cæmeterio sepultus est. Hunc nostri Vernenses non solum inter suos benefactores annumerant, sed certa constare traditione asseverant, ipsum ex eorum claustro ad infulas evectum. Ut ut sit, certissimum est illum saltem in morte et post mortem nostrum extitisse.

PETRUS MASSILIÆ PRÆPOSITUS FIT CARTUSIENSIS.

Ex Charta visitationis Montis Rivi.

Patrum firmitas in observantiis.

III. Eodem anno, Petrus Bremundus ex Massiliensis Ecclesiæ Præposito factus est pauper monachus Cartusiensis in eadem Montis Rivi Domo. Hic paucis post indutum Novitii habitum mensibus, a Priore Petro de Planis imprudenter Massiliam mittitur, ut rebus suis, de quibus nihil ante ingressum disposuerat, condito testamento consuleret. Quo a Diffinitoribus in sequentibus Ordinis Comitiis audito, speciales apud Montem Rivum Commissarii deputantur, qui veritate comperta Priorem dure correptum tenere Ordinem (ut apud nos dicimus) per unam hebdomadam in licentiæ temere concessæ pœnam jubent. Adfuerat iisdem Comitiis præfatus Montis Rivi Prior, et a Patribus licentiam obtinuerat tradendi quamdam Domum apud Massiliam sitam Sanctimonialibus Pratibajonensibus nostri tunc Ordinis, ad levandam earum paupertatem. Datæ sunt hujus concessionis literæ decimo Calendas Junii et sigillo Domini Jo. Prioris

Mon-Rivenses Monial. Pratibaj. benefactores.

Ex Archiv. Mont. Rivi.

Cartusiæ signatæ; quibus et idem Capitulum generale iisdem Monrivensibus Monachis dat licentiam recipiendi eleemosinas quas eis statuerunt reddi singulis annis Raymundus Gauffredus Barallus vicecomes Massiliæ, Guillelmus Grossus et Guillelmus Calvetus; secundum quod continetur in chartis quæ factæ sunt a Bernardo et Guillelmo Reinardo notariis publicis.

ANNUS 1223

Raymundus Barall. vicecom. Massiliæ.

IV. Circa hæc tempora, Leobaudus Portarum monachus et secundus Bellilarici Prior, vir piissimus et solitudinis maxime amans, a Capitulo generali absolutionem impetravit, reversusque in suam Portarum Domum ibidem devixit solitarius. De quo hæc in Bellilarici Chronico legimus. « Secundus post virum sanctum Stephanum fuit Prior Leobaudus, sicut et ipse Portarum monachus, qui Domum rexit quinque annis. Hic magnus et honoratus in seculo fuit, magnis divitiis affluens, qui paupertatem, et humilitatem Christi eligens, magnum exemplum virtutis nobis dedit; qui profecto nihil melius quam suus Conventus accipere voluit. Nam quadam die foras ituro coquinarius ei pitantiam attulit; ipse vero percipiens quod Conventus pitantiam non haberet, præcepit ei in virtute obedientiæ ut eam comederet et nunquam ei de cætero pitantiam sine Conventu afferret. Coquinarius vero dictam pitantiam coactus et invitus cum lacrymis comedit. Magnam Bibliothecam scribi fecit, et textum quatuor Evangelistarum quod in claustro legitur, et multa alia bona fecit. Qui postea petitam a se misericordiam a Capitulo generali recepit, et ad Domum propriam reversus, quievit in Domino in senectute bona. »

LEOBAUDUS PORTARUM MONACH. FLORET.

Chron. ms. Bellilarici.

JESU CHRISTI

ANNUS 1224.

Honorii PP. III Ann. 8.	Ord. Cartus. Ann. 141.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 45.

GUIGO BERENGARII OMNIUM ORDINIS DOMORUM BENEFACTOR.

I. ANNO Domini vigesimo quarto supra millesimum ducentesimum, Indictione duodecima, cum Mater Cartusia in eo esset paupertatis statu, ut ei necessaria non suppeterent ad alendos quotquot per Statuta concedebantur Monachos; animum Deus suscitavit Guigonis Berengarii qui reditus unius Monachi victui sufficientes pie erogavit; multaque alia cunctis Ordinis nostris Domibus aliisque ecclesiis largitus est suo testamento hoc anno condito, cujus codicilli in Majori reperti Cartusia sequentis sunt tenoris :

Ex Archiv. Maj. Cart.

« Nos Guigo Berengarii modernis et posteris meam volens transmittere voluntatem, et cupiens evitare callidi hostis insidias, rebus meis mente et corpore incolumis disponere curavi, et pro redemptione animæ meæ subscriptas eleemosynas erogare : Domui de Domena dono vineas de Domena, in quibus habeo XXXXII sextarios frumenti censuales et quatuor libras et dimidiam de Plait, et nemus Spineti, et totum vinum censuale quod habeo in tenemento Agnetis Mazella, et vineam quæ est super domum Morardi. Hæc eis dono sub tali conditione, ut annuatim in die anniversarii mei ipsa Domus totum Conventum suum cum tredecim sacerdotibus alienis reficiat ; et Domui Cartusiæ de prædicto frumento et vino annuatim persolvat triginta sextarios frumenti et viginti sextarios puri vini, de quibus victus et vestitus

uni Monacho in perpetuum ministretur. Si autem Domus Domenæ hæc facere contemnat, prædicta omnia ad manum Gratianopolitani Episcopi devenirent, et ipse prætaxatum frumentum et vinum Domui Cartusiæ annuatim persolveret. Domui Cartusiæ dono quingentos solidos, Domui Durbonis mille solidos, singulis Domibus Ordinis Cartusiensis dono quinquaginta solidos, Domui Pratibajonis dono medietatem vaccarum mearum, Domui de Bertaut dono aliam medietatem, Domui de Combentz dono par boum meorum meliorum, Domui Excubiarum dono omnes alios meos boves. Domui Valliscrescentis dono quingentos solidos, sub tali conditione ut eos mittant *en achaptes* et singulis annis in die obitus mei ipsa Domus conventum suum plenarie procuret; Domui Templi de Mentz dono condaminam quæ adjacet grangiæ et ipsam grangiam ; Domui Hospitalis S. Joannis dono unum meliorem de tribus campis qui sunt inter Prabois et Poigros. Sanctimonialibus S. Pauli ubi jacet soror mea Malberios, dono trecentos solidos ; Domui Boniloci ubi est soror mea Clementia dono quingentos solidos. In ecclesia sancti Sebastiani instituo duos sacerdotes : unum qui celebret pro anima mea et pro animabus parentum meorum, pro quo dono eidem ecclesiæ campum de l'Abbespin, et pratum Putei, et tres sextarios frumenti censuales super tenementum *de las Veiciras ;* alterum instituo qui celebret pro anima Alberti Galterii et parentum ipsius, pro quo dono eidem ecclesiæ quicquid ad manum meam teneo de rebus W. Brutmel ; ipsa autem domus ministret præfatis sacerdotibus victum et vestitum. Domui S. Crucis *de la Pinea* dono campum *de la Chastra* et pratum *de las Moillas ;* sacerdoti de Ronz, quicumque sit sacerdos, dono quatuor sextariatas terræ in campo *de la Chalm* ubi solent esse *li diu perer ;* ecclesiæ S. Genesii dono unum de nemoribus quæ habeo *en Chastel veill ;* ecclesiæ S. Mariæ de Menz ad opus luminariæ dono quinque solidos annuales super vineas de Merduzana ; ecclesiæ S. Petri de Tresminis tantumdem ibidem ; ecclesiæ S. Sebastiani tantumdem ibidem ; ecclesiæ S. Luciæ tantumdem ibidem. De

ANNUS 1224

ANNUS 1224

eleemosynis pauperum præcipio, quod unicuique dentur quatuor denarii vel panis et carnis tantumdem valens. Præcipio etiam ut in die obitus mei centum sacerdotes plenarie reficiantur et singulis offerantur triginta denarii, singulis diaconibus dentur duodecim denarii, cæteris clericis singulis sex denarii. Cum omnia hæc supradicta et querelæ meæ et debita mea fuerint persoluta per manus Prioris Cartusiæ et manus Prioris Durbonis, si aliquid eisdem Prioribus de pecunia quæ in alia charta continetur superfuerit, iidem Priores ad arbitrium suum distribuant. Testes rogati hujus testamenti sunt : Garnerius Prior Durbonis, Ramerius Joannes Fabri, Petrus de Castronovo, Thomas de Montemauro, Stephanus Tempers, Petrus del Barzan, Joannes de Corp, Petrus Rex. Hoc testamentum ego Guigo Berengarii disposui et sigilli mei impressione munivi, anno ab Incarnatione Domini MCCXXIIII, mense Septemb, feria quinta ante Nativitatem Beatæ Mariæ. Prior quoque Durbonis Garnerius, me rogante, sigillum suum apposuit. »

EJUS BENEFICIA ERGA DOMUM DURBONIS.

Chorier in Histor. Domus Cassenatic.

II. Hic Guigo Berengarii dominus Morgiarum, Raymundi Berengarii filius, hujus nominis primus, principis de Royans filius minor natu, jam ante aliquot annos bona quædam cartusiæ Durbonensi contulerat; ut ex donationis litteris in tabulario ejusdem Domus asservatis, quæ locum hic merentur, apparet.

« Notum sit præsentibus et futuris, quod ego Guigo Berengarii tempore quo visitavi limina Apostolorum Petri et Pauli, consistens in castro de Morgas, donavi Domui Durbonis pascua in territorio, etc.; ut ibi in perpetuum runcini eorum possint hyemare. Et feci hoc in manu Desiderii Diensis episcopi, laudantibus fratre meo Raymundo Berengarii et cognato meo Odone Alamant qui tunc temporis præfatum castrum habebat in vadimonium. Testes sunt Petrus Lautardi Prior S. Medardi. Ut autem hæc donatio in perpetuum rata et inconcussa permaneat, chartam præsentem sigilli mei impressione confirmo, anno MCCXIIII. »

Ex ejus posteris unum reperio singularem Ordinis nostri

ANNUS
1224

amicum et fautorem, cujus obitus in Chartis legitur his verbis : « Obierunt nobilis et potens vir dominus Petrus Berengarius miles, dominus castri Morgiarum, et genitor ejus, et Raymundus filius ejus. » Pater ejus, juxta Chorerium, vocabatur Joannes, quem verissimile est diu ante obiisse, sed cujus obitus cum filio denunciatus fuit eodem anno ad petitionem nepotum, ut preces pro anima ejus per totum Ordinem funderentur. Præter Raymundum, alterum filium dictum Humbertum Petrus genuit, cujus posteri hodie sunt domini de Pivoiron. Ex eodem Guigone Berengarii originem trahunt Domini du Gua et de Pipet, quorum primus Rodulphus appellatus, ejusdem Guigonis abnepos, ex multis liberis tres habuit filias, Margaritam, Catharinam et Beatricem, quæ induto Cartusiensium habitu apud Moniales Pratimollenses circa an. 1340, per plures annos religiosissime conversatæ sunt.

Ex charta Cap. gen. an. 1425.

QUANTA FUERIT MAJORIS CARTUSIÆ PAUPERTAS.

III. Cum his fere temporibus, Statuto de possessionibus extra terminos non acquirendis renovato, decretum fuisset ut hujusmodi reditus vel dimitterentur vel venderentur eorumque pretium in alios intra limites sitos converterentur ; ab hac lege Major Cartusia propter suam paupertatem vindicatur, tali facta a Capitulo generali declaratione : « In eleemosynis autem annuis extra terminos habendis, excipitur Domus Cartusiæ quæ non posset aliter sustentari : quippe quæ de omni agricultura sua deductis expensis sagmarios suos procurare non posset, et quæ præ indigentia et angustia pascuorum non amplius quam viginti quinque tricenarios ovium et sex caprarum lactentium vel circa tenere potest ; pro eadem etiam pascuorum indigentia compellitur agnos suos tenellos vendere, ita quod non potest nisi decem tricenarios vel circa nutriendos retinere. Præterea illi reditus, quos extra terminos suos possidet, eleemosynæ sunt, quæ si forte subtraherentur, pro eis rehabendis non litigaret coram judice cum datore. » Nota pacis et charitatis amorem in Matre Cartusiæ, quæ sic animo affecta est ut secundum Christi consilium repetere nolit ab eo qui aufert quæ illius sunt.

Ex compil. Ordinat. sub Jancelin. post an. 1222.

MONACHI MONTISRIVI ET VERNÆ INEUNT SOCIETATEM.

IV. Hoc anno, Pontius de Podio cartusiæ Montis Rivi

ANNUS
1224

Prior, et Aymo Prior Vernæ, totusque unanimiter utriusque Domus Conventus, accepto prius Capituli generalis consensu, spiritualem contraxerunt societatem, qua convenerunt ut quidquid in spiritualibus fit in Domo Montis Rivi pro singulis Monachis et Conversis, sic in omnibus et per omnia fiat in Domo Vernæ; et vicissim Conventuales Montis Rivi similia reddant beneficia pro Vernensibus Religiosis. Et hæc est prima, quam novimus inter Nostros factam, spiritualium bonorum consociatio; licet hic usus longe antea vulgaris esset inter Nos, ut colligimus ex Compilatione sub regiminis Jancelini initium facta, ubi « societates sine consensu Capituli generalis fieri de cætero prohibentur. » Ibidem præterea legitur vetitum « ne ullus Clericus vel Laicus inducat aliquem ad Tricenarium seu fraternitatem petendam, quia Conventus inde gravatur. » Item : « Nihil pacto aliquo fundatoribus Domorum nostrarum, seu nostras ædificantes ecclesias promittatur. Eos tamèn, sed non eorum hæredes consuevimus in nostris cœmeteriis sepelire. Episcopos vero, sive nostros sive alios et Cardinales, si elegerint in Domibus sepulturam fierique sine incommodo nostro quiverit, poterimus sepelire. »

Ex mss. Montis Rivi.

Hujusmodi societates prohibentur sine licentia Cap. generalis.

CONTROVERSIA COMPOSITA INTER BONIMONT. ET ANGION.

V. Hoc ipso anno gravis inter abbatiam Bonimontis Ordinis Cisterciensis et cartusiam Angionis intercessit controversia, quæ tamen æqua utrimque gratia composita est, electis arbitris R. de Altacumba et G. de Tela abbatibus, cum Prioribus nostri Ordinis W. Repausatorii et W. Allionis : præsentibus Abbatibus de Alpibus et de Altocresto, Michaele cellerario, Hugone de Mornay et Jacobo monachis Bonimontis; Priore cartusiæ Pomerii, Terumberto Procuratore Algionis, Petro Sutore, Aymone nepote ejus, Aymone de Genoley et Joanne Fabro Conversis ejusdem Domus ; Chetberto Majoris Cartusiæ, Petro Pomerii et Guarino Repausatorii Conversis ; Radulpho cantore Lausanensi, Aymone de Govellis canonico Gebennensi ; Ebolo domino de Monte et Guidone fratre ejus. Datæ sunt litteræ compositionis in vigilia B. M. Magdalenæ, juxta villam de Quinsinc, cum appensione sigillorum quatuor præfatorum arbitrorum.

Ex mss. dom. Angionis.

ANNUS
1224

GUILLELMUS MUTINENSIS EPISCOPUS LEGATUS IN LIVONIAM.

VI. Hoc anno exeunte, inquit Raynaldus, Honorius Guillelmum Mutinensem episcopum, summæ probitatis virum, in boreales plagas legati dignitate auctum misit ut Livoniæ Prussiæque regiones Evangelii jacto semine excoleret. « Ecce ad evangelizandum in partibus illis (sunt verba Honorii) eligimus venerabilem fratrem nostrum Guillelmum Mutinensem episcopum; vel potius nobis dicentibus quem mittemus et quis ibit nobis, idem cum Isaia obtulit se mittendum; qui honestate vitæ, conversatione religionis et eruditione scientiæ præditus, nec ignorans quod nullum Deo sacrificium sit acceptius quam lucrum quærere animarum, totum ad id se totaliter impendit, exemplum bonorum operum ponendo se ipsum prout non tam argumentis probabilibus, quam experimentis evidentibus clarius luce patet, etc. » Quam egregiam Guillelmus pro re Catholica apud Livones augenda impenderit operam, narrat idem Raynaldus anno sequenti. Redux vero suis etiam rebus volens prospicere ac maxime uni necessario vacare, abdicatis infulis in Majori Cartusia Monachum induit ut dicemus anno 1234.

Raynald. ad hunc ann. n. 38.

Idem, an. 1225 num. 18.

DUO CAPIT. GEN. DECRETA.

VII. Circa hunc annum duæ Ordinationes, ut vulgo vocamus, sive Statuta horum temporum severitatem redolentia, a Capitulo generali edita sunt. 1. « Carnes mortuæ nunquam vendantur in Ordine. Imo nec custodiantur, inquit quidam Statutorum interpres, infra clausuras Domorum superius et infra, quia illicitum est, ut fuit declaratum anno Domini MCCCCXII ad partem » : recte dicit « ad partem » nam in Charta dicti anni nihil simile legitur. 2. Sancitum est « ut Monachi quicumque extra terminos exierint absque licentia Prioris Cartusiæ, de Ordine expellantur » ; hodie leviori quidem pœna in comparationem tantæ severitatis, sed satis gravi ad nostrorum temporum rationem plecterentur.

Addition. mss. ad Constitution. Jancelini.

JESU CHRISTI

ANNUS 1225.

Honorii PP. III Ann. 9.	Ord. Cartus. Ann. 142.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 46.

COMITIS SAB. ET ILLIUS UXORIS ERGA NOSTROS BENEVOLENTIA.

I. ADEST Salvatoris nostri annus vigesimus quintus post millesimum ducentesimum, Indictione tertia decima, quo Thomas Sabaudiæ comes et illius uxor Majorem Cartusiam totumque nostrum Ordinem in suam clientelam adsciscunt, scriptis præclaris ea de re tabulis tutelaribus quibus sui in Nos studii ac venerationis singularia præbent indicia, ut ex eorum tenore patebit :

« Thomas, comes Sabaudiæ, marchio in Italia, universis has litteras inspecturis tam præsentibus quam futuris salutem et memoriam rei gestæ. Cum omnibus teneamur patrocinium nostrum et auxilium impartiri, eis potissimum providere debemus, qui charitatis fervent operibus, et seculi vanitatibus spretis, divinis inveniuntur penitus obsequiis mancipati. Eapropter universitati vestræ mandando et rogando præcipimus, quatenus charissimos in Christo Patres nostros Fratres Cartusiæ et eorum Ordinis diligere et manutenere curetis ; eorum Domos et familias et omnia jura contra omnem servetis injuriam, malitiam et calumniam, illibata penitus et secura; malefactores eorum conterere et punire, et benefactoribus favorem velitis et gratiam et præsidium impartiri; ut nullam sentiat præfata Domus sub nostra et vestra protectione molestiam vel gravamen, sed autore Domino, de die in diem pacis percipiat incrementum. Ad hæc sub pœna omnium bonorum suorum, districtissime prohibemus sub dominio et

jurisdictione nostra omnibus constitutis, ne quis infra eorum terminos hominem capere, furtum seu rapinam sive maleficium committere, vel homicidium facere aut præsumere audeat, sive cum præda transire, aut homines ad ipsorum Domos venientes vel ab eis redeuntes quomodolibet perturbare; ut ob reverentiam Dei et amoris nostri et ipsorum Religionem, infra illorum terminos non solum ipsi et Fratres sui sed etiam alii plenam pacem habeant et quietem. Quia vero ii qui donaverunt eis possessiones, piscationem et venationem et avium captionem, ovium et caprarum atque omnium domesticorum animalium pascua et transitum infra eorum terminos prohibuerunt, sicut in ipsorum Privilegiis a Sede Romana sæpius impetratis super iis omnibus plenius continetur, Nos eamdem prohibitionem autoritate nostra perpetuo confirmamus; et ut singula supra posita pleniorem habeant firmitatem sigilli nostri munimine paginam præsentem fecimus roborari. Actum est istud anno ab Incarnatione Domini MCCXXV, mense Julio. »

ANNUS 1225

Eædem literæ asservantur in Domo Portarum cum subscripto Archiepiscopi Viennensis testimonio : « Nos autem Johannes, Viennensis archiepiscopus, quod privilegium istud Fratribus Cartusiensis Ordinis Comes concesserit, testimonium perhibemus. »

Similes ac ejusdem prorsus tenoris literas Thomæ uxor proximo mense Augusto concessit, quarum hæc est inscriptio : « N. comitissa Sabaudiæ et marchesa in Italia, etc. » Idem etiam fecit Amedeus eorum filius anno 1236.

OLIVARIUS EPISC. FOROJULIENSIS.

II. Hoc anno vivebat Olivarius ex Vernensis cartusiæ monacho episcopus Forojuliensis. De quo nihil præterea habemus, nisi quod Buatius noster in suis schedis scribat id constare ex verissimis monumentis. Hujus Præsulis non meminerunt Sammarthani; quorum silentium nihil obesse potest, cum plures alios non noverint. In libro anniversariorum Ecclesiæ Forojuliensis ad decimum Kalend. Augusti legitur obitus domini Oliverii episcopi, sed an fuerit nostri Instituti, nusquam legimus; sit itaque fides apud Buatium.

ANNUS 1225

AYMO PRIOR VERNÆ VICARIUS GENERALIS TOLONENSIS EPISCOPI.

III. Eodem etiam tempore florebat apud nos Aymo ejusdem Vernensis Domus Prior, quem ob doctrinæ meritum et morum integritatem, Joannes episcopus Tolonensis raro sane nec imitando exemplo suum Vicarium generalem instituit, de quo extant sequentes litteræ :

« Joannes, Dei gratia Tolonensis episcopus, dilectis in Christo filiis Prioribus et Capellanis et omnibus aliis per Tolonensem diœcesim constitutis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem in Domino Jesu Christo. Quia Scriptura testante, melior est obedientia quam victima, et tunc officium nostrum diligenter exequimur cum onera nostra inter fratres nostros maxime fide dignos ac religiosos partimur; Vos obedientes esse volumus, et hoc totis viribus affectamus, mandantes vobis omnibus et singulis, quatenus venerabili fratri nostro Aymo Priori de Verna obediatis in omnibus tanquam nobis, et hoc tam in spiritualibus quam temporalibus; et si aliquis forte, quod absit, eidem obediens non fuerit in omnibus et singulis sicut nobis, sciat se a nobis tam spiritualiter quam temporaliter graviter puniendum. Et insuper sententiam quam ipse tulerit in eumdem, ratam habebimus atque firmam. Dedimus siquidem eidem potestatem excommunicandi et interdicendi, et alios puniendi omnes quos sibi invenerit inobedientes. Datum apud Vernam, sexto Calend. Augusti. »

Tres fuerunt Priores hujus Domus, Aymonis nomine; primus præfuit ab anno 1202 usque ad an. 1208, quo tempore Ecclesiam Tolonensem regebat Guillelmus de Soleriis. Secundus Aymo Domum gubernavit ab anno 1215 usque ad annum 1240, et per illud temporis spatium Tolonensis episcopatus tres habuit Præsules : Stephanum qui obiit circa annum 1224, Joannem Baussanum Stephani successorem qui anno 1232 ad Sedem Arelatensem translatus est, et Raymundum de S. Jal defunctum anno 1255. Tertius Aymo reperitur præfuisse tantum anno 1294. Quis vero eodem anno fuerit Episcopus Tolonensis, incertum est: nam ab anno 1283 usque ad annum circiter 1303, duo reperiuntur apud Sammarthanos; unus (Joannes II dictus) qui præerat anno 1283, sed quando

obierit non habetur nec quando ejus successor præesse cœperit. Nostri Vernenses putant Joannem II adhuc sedisse anno 1294 et eum esse qui Aymonem tertium suum instituerit vicarium. Sed hæc arbitror esse potius referenda ad Joannem Baussanum episcopum et Aymonem II, quem ex longo regimine licet conjicere fuisse virum celebriorem Aymone tertio, qui uno tantem anno præfuit.

ANNUS 1225

JESU CHRISTI

ANNUS 1226.

Honorii PP. III Ann. 10.	Ord. Cartus. Ann. 143.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 47.

CAPITULUM GENERALE CONCEDIT PARTICIPATIONEM MONACHIS S. LAURENTII.

I. JESU Christi Salvatoris nostri surgit annus millesimus ducentesimus vigesimus sextus, Indictione quarta decima, quo Capitulum generale conventuales monasterii sancti Laurentii de Abbatia participes bonorum Ordinis nostri spiritualium effecit, scriptis literis quæ quidem perierunt, sed ad eas ab eisdem monachis facta responsio extat in antiquo codice sub sequenti forma :

« Reverendis in Christo Patribus Prioribus, et universæ sanctæ congregationi in nomine Domini Jesu Christi in generali Capitulo Cartusiæ constitutæ, Gervasius B. Laurentii de Abbatia qualiscumque minister et universi Fratres congregationis ejusdem, æternam in Domino salutem. Cum juxta traditionis Apostolicæ documentum, bonum operari debemus ad omnes maxime autem ad domesticos fidei ; quadam ordinaria charitate propensius credimus obligari his quibus nos debitores constituit liberalitatis proventus et majus meritum sanctitatis. Beatitudini vestræ, dilectissimi, regratiari condigne non sufficimus quod in benedictionibus dulcedinis parvitatem nostram dignata est abundantius prævenire. Majus omni munere omnique acceptius æstimatione beneficium ; non tam præventa quam spontanea, non tam excitata quam liberali oblatione concedens omnium bonorum totius Ordinis Cartusiensis nos ac successores nostros, tam de capite quam de membris, sub vestrarum testimonio litterarum autore Domino

dignata recipere in participes et consortes; et spiritualiter associans illi divino servitio quod omni anno semel per totum Ordinem pro Cluniacensibus fieri consuevit. Unde et eatenus erga vos et Ordinem vestrum nostra excitata est devotio, ut eos quos concepimus vix capere possimus affectus. Licet ergo nequeamus condigna, ea tamen qua possumus relatione gratitudinis respondentes, universos Ordinis vestri ac singulos præsentes pariter ac futuros, omnium bonorum quæ fiunt fientve in omni Congregatione nostra, tam in capite quam in membris, participium faciente Domino concedimus: id specialiter statuentes ut singulis annis de cætero, omnium Fratrum Ordinis Cartusiensis tam vivorum quam mortuorum quarto idus Octobris memoriam faciamus, cum Missa et Agenda mortuorum plenaria (secundum quod consuetudinem habemus in ecclesia nostra), in Conventu publice ac solemniter celebranda; oratione quæ fit pro vivis et defunctis, videlicet *Omnipotens sempiterne Deus qui vivorum,* et cum ejusdem Officii locis suis partes singulas concludente. Id ipsum quoque singuli Congregationis nostræ Priores forinseci in locis suis eodem die plenarie facere tenebuntur. Obsecramus ergo dilectissimam sanctitatem vestram, quatenus sicut vos præcordialius atque medullitus nobis inviseeratos habemus, ita nos quoque vestris habeatis visceribus et orationibus commendatos; quatenus tanto pro nobis et vobis universisque Christi fidelibus ad aures ejus, Christo præstante, preces nostræ mundiores ascendant, quando vestrarum fuerimus suffragiis orationum adjuti. Valeat sanctitas vestra. Datum anno Domini MCCXXVI. »

ANNUS 1226

RANDULPHUS PRIOR SCALÆ DEI MORITUR.

II. Eodem anno pie decessit, die 13 aprilis, Randulphus sive Radulphus, Prior Domus Scalæ Dei sextus, cujus moderamen tenuerat ab annis sexdecim; et in ejus documentis Magistri nomine plerumque insignitur. Erat Gallus natione, Matris Cartusiæ professus, pietate et doctrina perillustris; quem ob vitæ meritum et eximias animi dotes Sparagus Bauca archiepiscopus Tarraconensis, Præsul omni laude major, titulo Prædicatoris Apostolici cohonestavit: cui etiam officium In-

ANNUS 1226

quisitoris commisit contra perversam hæresim, quæ per id temporis ex Albigensium hæreticorum vicinia per Hispanias grassabatur. Quod quidem malum sicut Sarracenorum errores eadem tempestate increverunt. Quantum autem Randulphus desudaverit et laboraverit pro evellendis et eradicandis zizaniis, quæ inimicus homo in agro Domini seminaverat, patet ex Instrumento quod confici curavit Archiepiscopus Tarraconensis in suæ argumentum benevolentiæ erga Randulphum. Hujus diplomatis talis est tenor : « Liqueat universis quod nos S., miseratione divina Tarraconensis archiepiscopus, attendentes quod dilectus filius R., Prior venerabilis Scalæ Dei Ord. Cart., ad honorem Dei pro nostris utilitatibus infatigabiliter laboravit a nostra diœcesi pravitatem hæreticam cum multa industria expellendo, et clerum et populum ab illicitis multiformiter corrigendo. Propter hoc autem licet remuneratione amplissima dignus esset, tamen ut ostendamus ei bonam affectionem quam gerimus erga ipsum, damus et assignamus præfato Priori et successoribus suis et Fratribus dictæ Domus Scalæ Dei, omnes illos Sarracenos nostros de Benifallet, etc. Datum ann. MCCXX. »

Fuit Radulphus Regi Aragonum et aliis Principibus ob vitæ integritatem acceptissimus; feruntque Jacobum regem et præfatum Archiepiscopum primam contra hæreticos per totam Aragoniam Inquisitionem instituisse, ad nostri Radulphi et sancti Raymundi Penniafortii Ordinis Prædicatorum suasionem. Utrum vero jam præsenti anno in Aragonia fuisset Inquisitio inchoata dubitari posset, cum ejus institutio a Bzovio rejiciatur ad annum Pontificatus Gregorii IX nonum, qui fuit annus Christi 1235.

Bzovius ad an. 1235 nu. 8.

CONCESSIO EMENDI PRATA EXTRA TERMINOS.

III. Hoc anno, cum quidam Priores Domorum in montanis sitarum Capitulo generali exposuissent defectu pascuorum oves suas quotidie perire, decreverunt Patres ut hujusmodi Domibus liceret ovilia et prata emere extra terminos suos ad eas pascendas necessaria. Extant hujus licentiæ litteræ in tabulario Domus Portarum, quæ adeo necessaria fuit ut cum postea, circa annum 1240 aut saltem ante annum 1249,

sancitum fuisset, ut qui extra terminos suos possessiones haberent, studerent eas infra duos annos vendere, ab hac generalitate excipiuntur agnellaria, si forte aliqua Domus eorum dilatatione indigeret.

ANNUS 1226

JESU CHRISTI

ANNUS 1227.

Gregorii PP. IX. Ann. 1.	Ord. Cartus. Ann. 144.	Jancelini Pr. Cart. Ann. 48.

GREGORIUS PP. IX ELIGITUR.

I. OCCUBUIT anno redempti humani generis millesimo ducentesimo vigesimo septimo, 15 Calend. Aprilis, Indictione decima quinta, Honorius III Summus Pontifex, relicto apud cunctos viros probos sui desiderio. Altero ab ejus obitu die, in Pontificatu quamvis invitus successit Gregorius IX, cujus gratias annis sequentibus experiemur.

N. Comitissa Maurianens. Cartusiæ benefactrix.

Hoc anno N. comitissa Maurianensis, consentientibus Thoma comite Maurianensi et marchione Italiæ ejus marito, et Amedeo ac Aymone utriusque filiis, triginta solidos Majori Cartusiæ concessit ut inde « procurentur Fratres Cartusiæ quoad viveret in festo S. Nicolai, et post decessum illius in die anniversarii ejus. » Quam donationem Soffredus episcopus Gratianopolitanus eodem anno approbavit, mense Decembri. Per illud verbum « procurentur », intelligimus prandium designatis diebus ministrandum. Hujus donationis literarum partem exscripsit Guicheno inter Probationes Historiæ Sabaudiæ, quas integras vidimus in Cartulario Cartusiæ.

FUNDATUR DOMUS IN ANGLIA.
Monast.Angl. tom. 1. in prioratu de Lacock.
V. supra ad an. 1222.

II. Eodem anno Ela comitissa Sarisberiensis Cartusienses, quos Guillelmus maritus illius in Heithorpium advocaverat, ad manerium sive villam de Hentona transtulit; et in parte ejusdem manerii fundavit ecclesiam, octavo Idus Novembris hujus anni, prout legitur in *Monastico Anglicano*. Sita erat

haec cartusia in agro Wiltoniensi et diœcesi Bathoniensi, nomenque habuit « Locus Dei in Henton ». Ejus fundationis meminit his verbis Matthæus Westmonasteriensis : « Æla comitissa Sarum, relicta Guillelmi de Longaspatha, monachos Cartusienses fundatos per maritum suum apud Heitorp, transtulit usque Hentonam, Bathoniensis diœcesis. » Hæc ille; quæ etiam ab Harpsfeldio eodem sensu referuntur. Litteræ fundationis datæ sunt tantum anno 1232, 16 Kalend. Maii, suntque sequentis tenoris :

ANNUS 1227

Matth. Westmonaster. ad hunc an.

Harpsfeld. Sec. 13. cap. 20.

Literæ fundationis.

« Universis Sanctæ Matris Ecclesiæ filiis ad quos præsens scriptum pervenerit, Ela comitissa Sarr. æternam in Domino salutem. Noverit universitas vestra quod dominus meus et quondam maritus Willielmus Longuespée, comes Sarr., volens construere Domum Ordinis Cartusiæ, per assensum meum et bonam voluntatem, donavit Ordini Cartusiæ manerium de Athercop ..... ut ibi manerent tam Monachi quam Fratres ad serviendum Deo in perpetuum secundum consuetudinem et Ordinem Cartus. Sed quia Monachi et Fratres ad locum ipsum destinati, licet stetissent ibi per plures annos, non potuerunt invenire in prædictis tenementis locum Ordini competentem ; ego volens intuitu Dei perficere quod prædictus maritus meus bene incœperat, in ligia potestate et viduitate mea post mortem ipsius, et pro anima ipsius et pro anima comitis Willielmi patris mei et pro salute mea et puerorum meorum et pro animabus omnium antecessorum et hæredum meorum, donavi et concessi et hac carta mea confirmavi Ordini Cartusiæ, in escambium prædictorum tenementorum, totum manerium meum de Henton cum advocatione ecclesiæ et parco, et omnibus aliis pertinentiis suis sine ullo retinemento inde mihi et hæredibus meis. Et similiter totum manerium meum de Norton, etc., ad fundandam, construendam et in perpetuum sustentandam quamdam Domum Ordinis Cartusiæ in honore Dei et Beatæ Mariæ et sancti Joannis Baptistæ et Omnium Sanctorum, in parco de Henton, in loco qui vocatur *Locus Dei;* habendum et tenendum in puram et perpetuam eleemosynam Monachis et Fra-

ANNUS 1227

tribus ibidem Deo servientibus secundum consuetudinem et Ordinem Cartusiæ. Et ego et hæredes mei warantizamus prædictis Monachis et Fratribus prædicta tenementa cum pertinentiis contra omnes gentes, et defendemus eos de omnibus servitiis et consuetudinibus et secularibus demandis... »; et cætera quæ videri possunt apud Monasticum Anglicanum.

Anno vero 1240 Henricus tertius rex Angliæ fundationem hanc approbavit, eademque privilegia concessit quæ olim Henricus secundus avus ejus concesserat cartusiæ Withamiensi. Cujus concessionis litteræ habentur etiam in præfato Monastico.

QUÆ FUERIT ELA ILLIUS FUNDATRIX.

Monast.Angl. ubi supra.

III. Æla fundatrix, eodem tempore, aliud construxit monasterium apud Lacok, ubi habitum monasticum anno 1238 induit, ætatis suæ anno 51, VIII Calendas Januarii; « in suis et actibus (ut legebatur in codice ms. ejusdem monasterii) et propositis omnibus, perpetratis secundum consilium et auxilium sancti Edmundi Cantuariensis archiepiscopi et aliorum discretorum virorum, semper seipsam gerens. Anno 1240 electa est in Abbatissam; multisque annis monasterium suum gregemque sibi commissum gubernavit, et Deo devotissime servivit arctam vitam ducens in jejuniis, in vigiliis sanctis, meditationibus et disciplinis assidue rigidis, ac aliis operibus bonis charitativis. » Tandemque abdicato abbatiali honore ut soli Deo vacaret, per quinque annos vixit solitaria usque ad annum 1261 quo pie obiit, ætatis suæ anno 74, nono Kalendas Septembris, in choro ejusdem monasterii sepulta. Alius dies obitus ejus signatur in alio ms. his verbis : « Anno 1261, decimo quarto Calendas Maii, obiit domina Ela comitissa Sarum, fundatrix cœnobiorum Lacok et Hentona. »

Matth. Paris. ad an. 1247 et seq.

Ex liberis quos a marito suscepit eminet Willelmus primogenitus, dictus etiam de Longaspata, comes Sarrisburiensis, qui anno 1247 exemplo Regis Francorum cruce accepta in Terram Sanctam contra Sarracenos pugnaturus abiit, ubi post multa præclare gesta, in prælio occisus occubuit circa an. 1250. Huic successit filius ejusdem nominis et dignitatis

Nepos illius benefactor hujus domus.

qui in sua florente ætate, ut loquitur Parisius, obiit anno 1257, condito testamento quo multa contulit huic cartusiæ, ut ex sequenti fragmento videre est.

ANNUS 1227

Mon. Angl. in additam. in tomum 1.

« Item, ego assignavi ad ædificationem Domus Loci Dei, Ordinis Cartusiensis, omnes proventus custodiæ terræ hæredis Sicardi de Campuill, unde modo sum saisitus, usque ad plenam ætatem hæredis mei. Item, ego assignavi eidem Domui unum calicem de auro cum pulchris esmeraldis et rubetis, et pyxidem unam de auro, et duas fialas de argento quarum una est deaurata, et altera plana ; et magnam capellam suam, scilicet unam cassibulam de rubeo samito, et unam cappam chori de rubeo samito, unam tuniculam, unam dalmaticam de croceo cendallo bene efforciato, unam albam cum paruris, unam amicam et unam stolam, unam favonem cum tuallo et omnes Reliquias suas. Item ego assignavi eidem Domui mille bidentes matrices, et trecentos multones, 49 boves et 20 tauros, etc., »

Unicam hæredem reliquit Willelmus Margaritam filiam suam, quæ nupsit Henrico de Lucy comiti Lincolniensi.

ALII BENEFACTORES.

IV. Quidam alii benefactores occurrunt in nostris Chartis, quorum hæc sunt nomina. Robertus[a] Widow* subdecanus Wellensis, magnus benefactor appellatur, et ideo pro eo « dicatur in qualibet Domo Ordinis in Conventu, Missa *de Spiritu Sancto*. » Ejus obitus signatur in Chartis his verbis : « Obiit mag. Robertus[b] Widaltz, subdecanus ac Canonicus residentiarius in Ecclesia Cathedrali Wellensi, habens Missam *de Requiem* per omnes Domos Ordinis.

« Obierunt[c] honestus vir Willelmus Champron mercator et Joanna uxor ejus, magni benefactores Domorum de Witham et de Henton; qui ambo habent unum solum monachatum cum psalteriis, etc. ; sub die 25 Januarii. »

Richardus, dux Eboracensis, et Cecilia uxor ejus dicuntur etiam benefactores hujus Domus : obiit ille circa annum 1461, hæc vero circa 1496; sed de utroque plura alibi dicemus. Hactenus ex Chartis. Nec dubium quin plurium aliorum munificentiam Nostri experti sint; quandoquidem aliquando

[a] Ex ch. 1504.
* *Al.* Widaltz.
[b] Ex ch. 1506.
[c] Ex ch. 1508.

ANNUS
1227
[a] Ex ch. 1369.

« conceditur[a] Domui de Henton quod possit unum tricenarium perpetuum pro suis benefactoribus facere, dum tamen adsit ibidem copia sacerdotum. » Nunquam ultra novem Monachos aluit hæc Domus, de cujus fatali extinctione suo dicemus loco.

JESU CHRISTI

ANNUS 1228.

Gregorii PP. IX	Ordin. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 2.	Ann. 145.	Ann. 49.

I. SEQUITUR Christi annus millesimus ducentesimus vigesimus octavus, Indictione prima, quo Patres animadvertentes inveteratam quorumdam malevolorum hominum nequitiam bona Domorum nostrarum undequaque diripientium, cum nollent sæculare tribunal frequentare, ad Summi Pontificis opem et sancti Petri protectionem confugerunt, obtenta a Gregorio Nono sequenti bulla :

SUMMUS PONTIFEX PRÆLATOS HORTATUR AD NOSTRORUM DEFENSIONEM.

« Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus Fratribus Lugdun. et Vienn. archiepiscopis et eorum suffraganeis ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Præpositis et aliis Ecclesiarum Prælatis per Lugdun. et Vienn. provincias constitutis ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et Apostolicam benedictionem. Non absque dolore cordis et plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et canonicæ sententiæ severitas enervatur, ut viri religiosi et hi maxime qui per Sedis Apostolicæ privilegia majori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis injurias sustineant et rapinas ; dum non invenitur qui congrua illis protectione subveniat, et pro fovenda pauperum innocentia se murum defensionis opponat. Specialiter autem dilecti filii Priores et Fratres Domorum Cartus. Ord. in Lugdun. et Vienn. provinciis contitutarum, tam de frequentibus injuriis quam de ipso quotidiano defectu justitiæ conquerentes, universitatem vestram litteris

Ex ms. Domus Divionis.

ANNUS 1228

petierunt Apostolicis excitari : ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum proposita debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis quas sustinent et pressuris vestro possint præsidio respirare. Ideoque universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus illos qui possessiones vel res seu Domos prædictorum Fratrum vel hominum suorum irreverenter invaserint aut ea injuste detinuerint quæ prædictis Fratribus ex testamento decedentium relinquentur, seu in ipsos Fratres contra Apostolicæ Sedis indulta sententiam excommunicationis aut interdicti præsumpserint promulgare, vel decimas laborum de possessionibus habitis *ante Concilium Generale* quas propriis manibus aut sumptibus excolunt seu nutrimentis ipsorum, spretis Apostolicæ Sedis privilegiis extorquere; monitione præmissa, si laici fuerint, publice candelis accensis excommunicationis sententia percellatis; si vero Clerici vel Canonici regulares vel Monachi fuerint, eos appellatione remota ab officio et beneficio suspendatis donec prædictis Fratribus plenarie satisfaciant; et tam laici quam clerici sæculares qui pro violenta manuum injectione anathematis vinculo fuerint innodati, cum Diocesani Episcopi litteris ad Sedem Apostolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur absolvi. Villas autem in quibus bona prædictorum Fratrum vel hominum suorum per violentiam detenta fuerint, quamdiu ibi sunt, interdicti sententiæ supponatis. Datum Perusii, VII Calendas Novemb. Pontificat. nostri an. II. »

DECIMÆ SOLVENDÆ DE BONIS RECENS ACQUISITIS.

II. De decimis possessionum acquisitarum ante Concilium generale, de quibus in præfata bulla, sciendum est Concilium generale Lateranense, anno 1215 sub Innocentio tertio celebratum, sanxisse ut decimæ solverentur de terris postea comparandis. Huic decreto cum debita summissione Nostri obedientes, circa annum 1224 statuerunt, et per totum Ordinem denunciaverunt, ut « de terris acquisitis post Concilium Generale dentur decimæ, nisi compositio intervenerit. » Hinc est quod in supplicibus codicillis Summo Pontifici oblatis, fecerunt tantum mentionem de possessionibus ante præfatum

Ex Ordinationib. post an. 1222 editis.

ANNUS 1228

Concilium comparatis ; sed postea videbimus Summos Pontifices Ordinem nostrum ab hujus Concilii lege absolvisse, concedendo ut nec decimas de hujusmodi bonis solveremus sicut jam fecerat Honorius III.

V. sup. ad an. 1217.

Recens professos ab omni excommunicatione absolvimus.

Eodem anno, idem Pontifex aliis litteris concessit ut sicut concessum est Abbatibus, ita et nos possimus absolvere intrantes Ordinem a sententia excommunicationis in sæculo illata, nisi esset casus Papalis. Bullam integram habes ad calcem Statutorum Antiquorum inter Privilegia Ordinis.

DELPHINUS VIENNEN. DUOS MONACHOS FUNDAT IN DOMO CARTUSIÆ.

III. Hoc anno Delphinus, comes Albonis et Viennæ, attendens sanctitatem et religionem venerabilium Patrum et Dominorum et Fratrum Domus Cartusiæ (sunt verba chartæ illius donationis), et in eorum specialiter confidens orationibus; dat eis, concedit et assignat quosdam reditus annuatim habendos et perpetuo reddendos, unde duobus Monachis possit in duabus cellis in cunctis necessariis sufficienter in perpetuum provideri. Districte præterea injungit et in virtute fidelitatis præcipit suis bajulis seu mistralibus et eorum successoribus, quatenus præfatam donationem in perpetuum reddant pacifice et quiete. « Si vero aliquis aut aliqui (inquit) hanc mea eleemosynam diminuere, mutare, aut aliter turbare præsumpserint, iram Dei omnipotentis et indignationem meam et successorum meorum, et maledictionem animæ matris meæ et omnium parentum meorum sustineant et incurrant. Et ad majorem firmitatem hujus rei præsentem chartam sigilli mei munimine roborari feci, affectu plenario et devoto. Huic facto interfuerunt : Otbertus Marescalus, Hugo præpositus S. Andreæ, Antelmus capellanus meus, Thomas scriba meus, Jacelinus medicus meus, Johannes Gauterii, Johannes Leyderii Carmalencus, Vincentius camerarius et plures alii. Anno Incarnationis MCCXXVIII, Sanctissimo Patre Gregorio nono in Romana Ecclesia præsidente, et illustri Frederico Romanum imperium regente. »

DOMINUS INTERMONTIUM MONACHIS CARTUSIÆ RECONCILIATUR.

IV. Eodem tempore Guillelmus dominus Intermontium, Soffredi Gratianopolitani episcopi monitis commotus, amicorumque precibus sed maxime nostri Jancelini modestia

ANNUS 1228

devictus, monachis Cartusiæ quibus hactenus infensus fuerat reconciliatur. Adfuit propterea in ipsa Domo Cartusiæ, adstante toto Fratrum Conventu, quorum hæc sunt nomina : Aynardus de Bardoneche, Arbertus Blenna, Bourno de Chenins, Petrus Bonninus, Joannes de la Faure vicarius, Jordanus, Raynerius, Hugo procurator, Nantelmus, Raymundus, Willelmus sacrista, Petrus, et Bernardus Monachi cum tribus Novitiis et multis Conversis. Aderant quoque cum episcopo, Willelmus Prior Ecclesiæ Bellicensis, Ar. Prior de Voreii, Raymundus monachus S. Theofredi, Hugo præpositus S. Andreæ Gratianopolis et Guillelmus Ruina clericus. Et de amicis et benefactoribus Cartusiæ, Berlio de Castronovo, Guigo Berengarii, et plures alii. Hæc omnia constant ex literis super hoc datis anno præsenti, die SS. Philippi et Jacobi.

MONACHI PORTUS B. MARIÆ ET GLANDERII SPIRITUALITER ASSOCIANTUR.

V. Hoc pariter anno Conventuales cartusiæ Portus B. Mariæ, obtenta prius a Priore Cartusiæ licentia, bonorum spiritualium societatem cum Conventu Glanderii contraxerunt scriptis ea de re sequentibus litteris :

« In nomine Domini. Notum sit omnibus præsentibus et futuris quod P. Prior Portus Sanctæ Mariæ Domus Cartusien. Ordinis, et G. Prior Loci Sanctæ Mariæ de Glanderio Domus ejusdem Ordinis, accepta licentia ab J. Priore Cartusiæ, universis Prioribus Cartus. Ordinis in generali Capitulo constitutis, talem societatem inierunt inter se et Domos suas, consentientibus et postulantibus Conventibus utriusque Domus.

« In primis siquidem, constituerunt ut omnis qui fuerit Monachus professus sive Conversus vel Novitius bene se habens Portus Sanctæ Mariæ habeat beneficium spirituale in Domo Loci Sanctæ Mariæ de Glanderio ; et e converso, omnes illi qui fuerint Monachi vel Conversi professi vel Novitii bene se habentes in Loco Sanctæ Mariæ de Glanderio habeant similiter spirituale beneficium plenum in Domo Portus B. Mariæ. Priores similiter utriusque Domus simile beneficium spirituale plenarium habeant in utraque Domo, sive

eos obire contigerit in prioratibus dictarum Domorum, vel in aliis Domibus Ordinis etiam relictis prioratibus. Quando igitur obire contigerit Monachum vel Conversum sive Novitium bene se habentem, vel Priorem etiam si prioratum reliquerit et in alia Domo obire contigerit, persolventur a singulis Monachis duo psalteria, et a Conversis trecentis vicibus *Pater noster,* et fiet tricenarium, et scribetur dies obitus sui in martyrologiis utriusque Domus ; et fiet pro eo per omnia in utraque Domo sicut fieri solet pro professo Domus. Hanc autem societatem laudaverunt et concesserunt Monachi et Conversi singuli et universi utriusque Domus, et omnia supradicta per se et successores suos in perpetuum servare sanxerunt, et præceperunt inde fieri duas cartas divisas per Alphabetum et sigillari sigillis utriusque Domus; quarum una servetur in Domo Portus Sanctæ Mariæ, reliqua vero in Domo Loci Sanctæ Mariæ de Glanderio semper. Acta sunt hæc anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo octavo. »

DUO PRIORES GLANDERII LAUDANTUR.

VI. Prior Portus B. Mariæ in hac charta per litteram P. designatus, vocabatur Petrus de Planis olim Prior Montis Rivi ab anno 1217. Nomen Prioris Glanderii est Guillelmus. Huic vero Domui præfuerunt duo Guillelmi ab anno 1222 ad annum 1236. Primus cognomen habebat de Sayshac*, cujus obitus reperitur in antiquo calendario ad tertium Idus Maii; et in recentiori dicitur « æterna memoria dignus, cujus ope et industria Dominus promovit atque dilatavit hunc locum in personis et rebus necessariis, maxime in odore sanctæ et præclaræ opinionis. » Alter Guillelmus Prior cognominabatur de Insula, antea abbas Sancti Pontii in Provincia, Ordinis S. Benedicti, qui post aliquot annos in regimine Glanderii transactos, præ amore solitudinis absolutionem petiit et obtinuit, ac paulo post in cella privatus vitæ cursum feliciter perfecit, mortuus Idibus Martii ex antiquo calendario.

Guillelmus de Sayshac.

* *Al.* Saylatsac.

Item alter Guillelmus olim Abbas S. Pontii.

JESU CHRISTI

ANNUS 1229.

Gregorii PP. IX	Ordin. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 3.	Ann. 145.	Ann. 50.

PARTHENIUM VALLIS SPEI FUNDATUR.

I. ANNUS Salvatoris millesimus ducentesimus undetrigesimus ordine sequitur, Indictione secunda, quo fundatur parthenium Cartusiense sub vocabulo *Vallis Spei;* cujus solus meminit noster Molinus in sua *Historia* ms. his paucis verbis : « Cartusia Vallis Spei non procul ab amne Ligeri in finibus Burgundiorum in Provincia Franciæ, ut creditur constructa fuit anno 1229. » Hæc ille apud quem sit fides; de hac enim Domo nullam potui ulterius notitiam habere.

ITEM BONI LOCI.

II. Circa idem tempus, aliud simile monasterium pro Monialibus construitur, dictum « Bonus Locus Monialium », quod stetit per annos septuaginta et amplius. Primam illius mentionem reperimus in alia compilatione Ordinationum Capituli generalis facta ante annum 1249, in qua extat capitulum inscriptum *de Reformatione ;* continetque multas additiones, mutationes et correctiones faciendas in novis institutionibus de quibus diximus an. 1222. Porro inter addenda hæc leguntur : « Capitulo LI ubi dicitur de Abbate : primus sit in ordine, intelligitur quantum ad locum non quantum ad officium antiquioris. In eodem capitulo ubi dicitur, Conversos Pratibajonis et de Berthaut, addendum est et de Bonoloco. » In hoc vero capitulo LI novarum Institutionum sic habetur : « Conversos Monialium Pratibajonis et de Berthaut sine licentia Domus suæ recipere non debe-

mus. » Cum igitur juxta præfatum capitulum *De Reformatione* addendum sit Boniloci, non dubium est quin Domus hujusmodi fuerit parthenium, non vero cartusia Boniloci pro Monachis jamdiu ante fundata. Et revera in Charta Capituli generalis anni 1301 ubi Domus Ordinis per Provincias distinguntur, cartusia virorum Boniloci subjicitur provinciæ Burgundiæ, parthenium vero ejusdem nominis recensetur sub provincia Lombardiæ sic : « Lombardia habet Allionem, Vallem sancti Hugonis, etc. Bonumlocum Monialium, etc. » Constat igitur hanc cartusiam per plures annos stetisse, sed ubi et a quo fundata et quomodo a Nostris derelicta, adhuc nos latet.

ANNUS 1229

HERMANNUS MONACHUS BELLILARICI MORITUR.

Vid. ad an. 1218.

Ejus vita.

III. Hoc anno piissime decessit venerabilis admodum Pater Hermandus, sive Hermannus, Monachus professus cartusiæ Bellilarici, vir singularis et inimitabilis jejunii ; cujus mentionem sæpius fieri vidimus in Vita Stephani ejusdem Domus Protoprioris, quam alibi dedimus ex historia ms. ubi et fusum hujus Monachi eulogium his verbis describitur :

« Fuit in diebus Stephani, Leobaudi, Guerini, et Geraudi Priorum Bellilarici, homo quidam, nomine Hermannus, singularis et incomparabilis abstinentiæ, coram Domino magnus. Hic cum in primævo suæ juventutis flore, vestimentorum et calceamentorum lasciviis indutus secundum præsentis sæculi fastum floruisset, quadam die cum esset scolaris Parisius*, uno de Doctoribus verbum Dei ad populum sermocinante, ita repente in virum alterum mutatus est ut ex ipso die, mirantibus sociis, ex mutatione dexteræ Excelsi non fuerint sicut prius vultus ejus in diversa mutati ; sed mox mirum in modum totus in Dei opere conversus, suscepta primitus ad erudiendum Dei populum sacerdotali dignitate, domum sibi solitariam seorsum inter parentes elegit, ubi tanta severitate carnem suam vigiliis, jejuniis, orationibus et asperitate vestium domare studuit, ut etiam subtus ad carnem loricam indueret, quæ profecto ex assiduitate vestiendi super humeros putrefacta, aperto jam foramine interrupta apparebat ; per quod videlicet foramen, cutis cum carne superducta

* *Al.* Parisiis.

Quomodo ad Deum conversus.

Ejus pænitentia et austeritas.

ANNUS 1229

et circumquaque desuper extensa excreverat. Quod cernens vir mirificus vocavit patrem suum secreto et ait illi : Pater, carnem istam succide ne amplius crescat, ut et ipsa quam cernitis lorica facilius valeat amoveri. Ex qua incisione super humerum ejus quamdiu vixit cicatrix apparuit, quam et ego propriis oculis ipse vidi. Postea vero parentes illius ac propinqui ad eum accedentes, rogaverunt ut ad Fratres sacri Cisterciensis Ordinis in monasterio Longipontis se transferret humiliter, ubi et ipse devotus cum devotis Fratribus summo Regi Christo Domino deserviret. In hoc vero monasterio quadam nocte, in illo scilicet intervallo (ut ipse mihi retulit) quod fit inter Matutinas et Laudes, in extasi facto, ostensus est ei a Domino totius vitæ suæ status. Itaque videbatur ei quod esset in quodam loco amœnissimo inter Varriacum et Charitatem constituto. In cujus contemplationis aspectu jucundissime lætabatur, excepto quod ibidem duos Fratres sibi adversantes invenit, qui usque ad vitæ præsentis terminum ei molestiam frequentius inferebant. Quos nimirum plane profiteor me vidisse; quorum quidem unus quamvis prudens esset et providus, ea tamen die qua Vir beatus obiit et sepulturæ traditus est, tanta pœnitudine, tanta lacrymarum effusione, ea quæ contra Virum Dei se commisisse meminerat, profiteri etiam coram me clara voce minime verebatur. Hinc est ergo retinendum memoriter quod dicitur : Electi ab electis, provida Dei dispensatione, a quibusdam suis excessibus expiantur. Verum præterea cum Vir sanctus hoc in præfato monasterio moraretur, videns multitudinem monachorum, et frequentiam ad se venientium proximorum; recordans etiam suavitates orationum, impinguantes quondam in oleo caput suum, quas quidem ob tumultuantem Fratrum turbam se amisisse dolebat ; tunc demum devotus non potuit amplius sustinere. Unde continuo propriis receptis vestibus recedere quantocyus festinabat. Cum autem monitis et precibus sanctorum Fratrum ejusdem monasterii nollet acquiescere, miserunt ad eum, causa exhortationis, virum valde spiritualem ac nobilissi-

Fit novitius Cisterciensis.

Monasterium et habitum deserit ob nimium ad se proximorum accessum.

ANNUS 1229

A Joanne de Montemirabili monacho Cisterciensi ad perseverandum frustra inducitur.

mum, Domnum scilicet Joannem Montismirabilis, qui terrenæ dignitatis gloriam despiciens, ut bonus miles et emeritus cœlesti Regi in vestitu regulari devotissime militabat. Qui ei dixit : Quo vultis abire ? hoc pro certo teneatis, carissime, quod in quamcumque partem et in quemcumque locum pergere volueritis, absque delectatione sive spirituali sive corporali nequaquam poteritis perdurare. Vir tamen Domini fervore spiritus suggerente, nec viri sancti sententiam indignans, iter arripuit et ad sanctum quemdam eremitam properans invenit eum extra cellulam ad solem ovinis pellibus coopertum, pilis scilicet exterius conversis, ut non homo sed bestia crederetur. Qui post multa vitæ æternæ colloquia, hoc ab eo salubre consilium humiliter accepit, videlicet ut sub austeritate et attritione Monachorum Cartusiensis Ordinis sese vellet committere; ubi cum ipsis in cellula inclusus et incarceratus jugiter permanens, parentum suorum instantiam et improbitatem nullatenus formidaret. Quo nimirum servi Dei oraculo certior et alacrior factus, cœpit tamquam ad supernæ vocationis bravium concito gradu percurrere, adeo ut quadam die advesperascente, ex itinere nimium fatigatus, apud quamdam viduam cogeretur hospitari.

A S. Eremita ut Cartus. fiat sibi persuadetur.

PERGENS AD DOMUM BELLILARICI GRAVITER ÆGROTAT.

IV. « In illo hospitio, Ipso dispensante qui palmites suos purgat ut fructum plus afferant, tanto ægritudinis pondere oppressus est, ut mortuus putaretur. Nam ejus hospita cæteræque vicinæ mulieres, jam aquam, qua corpus illius deberet ablui, super ignem posuerant; cum ecce subito Ejus misericordia qui percutit et medetur, cœpit æger respirare, aperire oculos et loqui. Accurrentes ergo stupefactæ mulieres, ad eum venerunt dicentes ac sæpius cum gaudio reclamantes : Certe, o Domine, vos mortuus extitisti. Cum autem aliquantulum esuriret, festinavit pia mulier, sicut ipse mihi multoties enarravit, coxit malardum suum cum lacte et obtulit ei ad edendum. De quo gustato, mirabile dictu, die tertia, baculo se sustentans et præ nimia corporis debilitate huc illucque vacillans et titubans, viam suæ peregrinationis aggressus est. Porro non refrigescente desiderio quod ex Do-

ANNUS 1229

mino est, sed potius crescente quotidie, Domum nostram de Bellaris persona ejus venerabili voluit Altissimus honorare.

Accedens a Nostris repulsam primum patitur.

« Adveniens ergo ad destinatum sibi a Domino locum pauper et modicus, cappa vestitus rotunda, rudi profecto penitus et grossa, pulsabat et non erat qui aperiret ; sed erat revera qui potius irrideret et pro stulto et idiota sapientissimum Dei hominem facillime reputaret. Unde cum viderent illius vilitatem et sui ipsius abjectionem, vespere jam facto, miserunt eum superius in grangiam ut ibidem jaceret et pernoctaret. Ipse vero gaudens et hilaris super gerbas ascendens, parum, ut suspicor, obdormivit. Sed mane facto, sicut mihi ipse retulit, ex ipsa sui lectuli duritia, latus et membra graviter doluit. Cum vidissent Prior et Procurator illius instantiam et perseverantiam, interrogaverunt eum si quis in hac patria esset qui nosset eum. Respondit se habere quemdam avunculum monachum de Charitate. Cui et dixerunt : Nos libenter propter Dominum vos recipiemus ad illius testimonium ; sed novit Dominus, vestimenta quibus indui debeatis, sufficienter non habemus. Profectus itaque ad Charitatem cum quodam puero, qui et ei interroganti de consuetudinibus Ordinis illudebat, dicens quod eum singulis mensibus libram unam sanguinis sibi minuere oporteret. Ubi sane cum pervenisset, quosdam invenit venerabiles Clericos ex eadem villa progenitos, qui eum quondam apud Parisius * in scholis viderant conversari. Cui nimirum tanto spiritali exultationis tripudio applaudebant, quanto et eum olim sibi socium fuisse amabilem sentiebant ; et eo etiam amplius et specialius, quo admirabilem ejus conversationis constantiam ex ipsa sui habitus vilitate et gestu apertius cognoscebant. Currentes illico unanimiter ad dominum Antissiodorensem episcopum fœlicis memoriæ Guillelmum, qui tunc forte advenerat, exposuerunt ei Viri sancti propositum et desiderium, supplicantes eidem quatenus ipsum Fratribus Bellilarici commendans cum vestibus sibi necessariis remitteret, ut et eum benigne et misericorditer recipere dignarentur.

Locus ei promittitur si vestes sibi procuret.

* *Al.* Parisios.

A Guillelmo episcopo Antissiodoren. necessaria obtinet.

INDUTUS INCREDIBILI FERVORE CARNEM CRUCIAT.

V. « Igitur divina procurante Providentia, assumpsit novus

ANNUS 1229

miles novum sibi Ordinis habitum, exuens veterem hominem, et illum novum qui secundum Deum creatus est induens, contra multiformia bella viriliter pugnaturus. Primo namque cœpit incredibili fervore vitia carnis et concupiscentias ejus crebris abstinentiis edomare, ac duris et asperis ac frequentibus disciplinis mirabiliter cruciare. Ad hoc enim opus exercendum ipse sibi flagellum fecerat, quod ego vidi et tenui, grossissimis corrigiis baculo colligatis. Secundo quidem mundum et ea quæ in mundo sunt vana et transitoria, toto mentis despectu studuit contemnere et tamquam putrida stercora reputare. Nunquam enim, ut arbitror, hominem me vidisse recolo, ita mortuum, ita crucifixum mundo et mundum sibi, quemadmodum istum; sicut per conversationis illius meritum didici et exemplum. Nolebat quempiam despicere, quin imo omnem prorsus sui ipsius vilitatem et abjectionem humiliter appetebat; et quod majoris virtutis est et rarioris, semetipsum despici despiciebat. Tertio autem contra antiqui hostis insidias innocentia et puritate cordis armatus fortiter pugnabat, sciens se non solum adversus carnem et sanguinem, sed adversus Principes et Potestates tenebrarum harum, certamen forte ut vinceret habiturum. Qui nimirum diabolus tantas contra eum exarsit in iras, ut non solum per nocturnas illusiones, verum etiam quasi visibiliter deterreret.

Mundum spernit.

Diabolum superat.

« Unde quadam nocte contigit, in illo scilicet spatio quod ex more inter Matutinas et Laudes facimus, statim ut de ecclesia exiit, terribiliter exclamavit; quod tamen non omnes audierunt. Ego vero in crastinum quæsivi ab eo quid hoc esset. Cum exiissem, inquit, de ecclesia malignum sensi adesse Spiritum qui elevatis manibus contra me illudebat mihi, et ob hoc exterritus exclamavi. Sed profecto, Fratres charissimi, tamquam bellator fortis munimine regio septus, nullatenus potuit ab adversario superari. Ideoque super his tribus vitiis, ab eo juvante Domino superatis, ad laudem ipsius mentionem faciens scripsi; quia mundus, caro et dæmonia diversa movent prælia. Quapropter vir venerabilis

Archembaldus Bituricensis Decanus ejus epitaphium composuit.

ANNUS 1229

Archembaldus, quondam Bituricensis Decanus, tale epitaphium de eo scribens nobis transmisit :

Hic jacet Hermandus, vir justus, vir venerandus ;
Per quem sunt victi mundus, caro, prædo nefandus.

CONTINUIS ABSTINENTIIS CORPUS ATTERIT.

VI. « Porro si quis de victu illius quæsierit pariter et vestitu, ego plane pronuntio, salva tamen illius gloria et honore, veluti sui ipsius interfectorem fuisse. Et cum dicatur nemo unquam carnem suam odio habuit, iste procul dubio suam omnino carnem odio usque ad mortem habuit et despectui. Ita ut supra cursum usumque naturæ a cibis corporalibus abstineret. Et cum posset licite et deberet debilitato et exeso corpori aliquoties indulgere, ipse tamen nec diebus festis nec ferialibus, nisi forte in refectorio, parum aut nihil lautioris cibi accipiebat, sed pauperi, si occurreret, hilariter erogabat, vel alicui Monacho quem maxime cerneret indigere, serena et ridente facie ipsemet deferebat. Si autem occasione aliqua ab amicis nostris aliquid pitantiæ mitteretur, cum utique Vicarius esset et sacrista, absente scilicet Priore, videres eum festinare et currere quousque dicta pitantia ab eo largiter apponeretur Fratribus. Recumbentibus itaque Monachis et pro posse suo splendide refectis, ipse ad cellulam suam jejunus ministrator accedens, pane tantummodo et aqua plerumque contentus, nescientibus sociis, abstinentiam faciebat. Ipse vero postmodum tamquam a nuptiis revertens, data Fratribus recreatione, cunctis hilarior atque jucundior apparebat.

Cibum suum pauperibus erogat.

Eo fit hilarior quo jejunior.

Cellula ejus angusta.

« Ejus cellula ecclesiæ, quæ tunc lignea erat, inhærebat ; quæ profecto ita brevissima erat et angusta, ut vix lectulum et scriptoriam contineret. In quo videlicet scriptoriæ loco, cum aliquantulum corpus reficere appeteret, sedebat ; habens super genua asserem latum et rotundum sine mapula, super quem et panem frangebat, atque etiam juxta se parvum vas terreum sine scypho positum : de quo, sicut ipse propriis perspexi oculis, potum secundum suum modulum hauriebat. Miror perinde unde tanta flegmatis abundantia ex ejus ore

Supellex tenuis et vilis.

effluereret, cum sicut existimo quantitas salivæ mensuram potus excederet. . . . . . Et quid de sancti Viri istius vestitu postea referam? Plane quidquid omnino ad lectum vestitumve pertinet, cujus grossitudinis colorisve fuerit non curabat. Cum enim ad omnes monachos pannis grossissimis et rusticis uti pertineat, multum amplius omnem humilitatem, attritionem, vilitatem, paupertatem et abjectionem pannorum mollium sibi congruere judicabat. Habebat namque valde grossioris telæ panniculum quemdam, quem et ego vidi, ita brevissimum ut nequaquam illius auriculare valeret plene contegere ; cum et ipsum cervicale non de pluma avium varia, sed de palea segetum minutissima plenum erat.

ANNUS 1229

« Habebat etiam unam pelliciam vetustissimam ex grossissimis ovium pellibus confectam, qua profecto tam longo tempore vestitus fuerat ut intuentium oculis nigra et rigida appareret. Quam utique veterem ac viliorem tanto carius custodiebat, quanto et aliam novam et meliorem pro ea ullatenus recipere non volebat. Propterquod nonnulli de Monachis indignantes, dicebant sordes et vilitates istiusmodi pelliciæ in Conventu nullo modo ulterius deportari. Ipse vero tamquam surdus non audiens transiens dissimulabat, et per medium illorum ipsa indutus pellicia ibat. .... Hanc ergo pelliciam cum quadam die pelliparius reficere conaretur, me præsente dicebat, quod illam nisi cum magna digitorum violentia, acu et filo poterat penetrare. His igitur vilibus et abjectis vestibus propterea utebatur, maxime quia noverat quod qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt, et audierat divitem purpura et bysso indutum apud inferos cruciari, et Joannem Baptistam a Domino de asperitate vestium commendari. Hoc igitur sancti Dei viri exemplo, videant et intelligant et sibi caveant tam Prælatus quam subditus qui sibi pulchras pelles et delicatas appetunt pellicias, maxime cum et ipse Prior, prout in Consuetudinibus nostris habetur, nulla vestium dignitate vel pretiositate differt a cæteris, nec quicquam gestat, unde quod sit Prior appareat. Quia profecto Ninivitarum populus pœnitens saccis indutus

Vestes veteres et detritæ.

ANNUS 1229

asperrimis, indulgentiam peccatorum a Domino præcipue meruit; et Herodem sedentem pro tribunali vestitum veste regia, Angelus Domini mortaliter percussit.

VIRTUTES ILLIUS ENUMERANTUR.

VII. « Nunc sane de istius Sancti virtutibus et donis gratuitis, pro modulo meæ parvitatis et insipientiæ aliquid inspirante Domino breviter est dicendum. Igitur secundum quod per multum temporis quo conversatus sum cum eo percipere potui, non dubito quin Deus, virtutum largitor et amator, licet non ex toto forsitan, sed ex parte, quantum scilicet ipse voluit qui ad mensuram dat spiritum, septiformi Sancti Spiritus gratia suum militem illustraverit. Verum quia super florem egredientem de virga radicis Jesse, id est super Christum hominem, spiritum Domini Propheta requieturum prædixit: a digniori dono, scilicet spiritu sapientiæ incœpit, descendendo usque ad virtutem timoris qui est principium sapientiæ et custos omnium bonorum. Nos vero qui puri homines sumus, ac per hoc peccatores, oportet ex converso a timore Domini incipere; videlicet de virtute in virtutem ascendendo, donec perveniamus ad spiritum sapientiæ, qui utique est finis et consummatio omnis perfectionis. Quod autem a spiritu timoris inchoaverit, probat, sicut superius expressum est, tam severa, tam ardua consuetudo pœnitentiæ ab ipso suæ conversionis exordio præ timore Domini mirabiliter inchoata.

De spiritu timoris.

« De quo spiritu timoris primo videamus. Licet autem perfecta charitas omnem timorem, id est timoris pœnam et anxietatem, a servo Dei foras mitteret, ipse tamen ex amoris plenitudine adeo timoratus erat, tantamque cautelam in omnibus non solum operibus sed verbis et cogitationibus adhibebat, ut nulla vel modica negligeret. Frequenter enim attendebat quod scriptum est : Qui modica spernit, paulatim decidet. Verebatur enim omnia opera sua providendo Dominum in conspectu suo semper, et in omnibus viis suis cogitans illum, ne forte in aliquo displiceret. Sciebat enim quod licet vitet quis grandia, potest tamen obrui arena. Multitudine enim capillorum suspensus Absalon interiit. Et multitudo venialium ex contemptu, dum placent vel negliguntur,

Eccli. 19. 1.

ad æternum perducit interitum. Erat ei igitur timor castus in corde tamquam fascia pectoralis quæ cogitationes constringeret; in ore tamquam frænum quod linguam reprimeret, in operibus stimulus ne pigritia torperet, in omnibus regula ne modum excederet. Timor iste, tamquam scopa, purgabat cor a duplicitate, os a falsitate, opera vero ab omni vanitate.

ANNUS 1229

DE SPIRITU PIETATIS.

VIII. « Non solum per spiritum timoris ab omni specie mala sibi cavebat, sed spiritu pietatis ad omne opus bonum primus erat. Exercitationem enim corporis pro modico habebat, respectu pietatis quæ secundum Apostolum ad omnia valet, habens promissionem vitæ quæ nunc est et futuræ. In lampade enim cordis sui charitatis oleum et misericordiæ semper accendebat, ne forte cum fatuis virginibus absque oleo repertus, a nuptiis æternæ jucunditatis repulsam pateretur. Satagebat igitur pro posse suo omnia misericordiæ opera ex abundanti cordis pietate exterius adimplere. Unde, ei quando licebat, omnia pauperibus erogabat.

DE SPIRITU SCIENTIÆ.

IX. « Quoniam in fugiendo mala per spiritum timoris, et faciendo bona per spiritum pietatis, necessaria est cautela et circumspectio discretionis; Pater luminum, cujus unctio docet nos de omnibus, spiritu scientiæ dilectum suum illuminavit, ut sciret quid et quemadmodum agendum esset vel vitandum, et omne sacrificium suum sale condiret. Mala enim sunt vicina bonis, et plerumque dum vitamus unum vitium labimur in contrarium : ut cum quis fugit superfluitatem, plerumque decidit in avaritiam; vel quando evitat indumenti sæcularis ornatum, gloriatur in sordibus vestium : vitia enim quandoque speciem virtutum præferunt, unde perniciosius sectatores suos decipiunt, quæ sub velamine virtutis tegunt. Unde et iste Dei famulus quodam tempore adeo sub specie boni tentatus et imprævisus extitit, ut etiam omnino disponeret ad Ordinem Prædicatorum pro lucrandis animabus se transferre. Sed a Domino qui non permittit hominem tentari supra id quod potest, per spiritum scientiæ illuminatus, consolante etiam illum bonæ memoriæ Galtero Senonensi archiepiscopo, se excæcatum fuisse humiliter reco-

ANNUS 1229

gnovit. Ex tunc namque spiritu scientiæ ita solidus extitit, ut neque a dextris neque a sinistris declinans, mediam et beatam viam miro moderamine pergebat. Nam et Deo quod suum erat reddebat, et proximorum pacem quantum in se erat conservabat ; non solum cum pacificis, sed cum iis qui oderant pacem pacificus erat. Prudenter inter homines conversando, omnibus omnia factus est, ut omnes Domino lucrifaceret. Unde duos Fratres sibi adversantes mira mansuetudine et lenitate, sicut supra dixi, per spiritum scientiæ tolerabat; et discordantes piis admonitionibus sapienter concordabat.

DE SPIRITU FORTITUDINIS.

X. « Sed quam parum nobis prodest per spiritum timoris mala vitare, per spiritum pietatis bona agere, per spiritum scientiæ in omnibus discretionem habere, nisi per fortitudinem malis imminentibus resistamus, bona nostra per patientiam conservemus, per constantiam usque in finem perseveremus, per longanimitatem vitæ æternæ præmium expectemus. Rex cœlestis apertis thesauris suis, quarto lapide pretioso, scilicet spiritu fortitudinis, filium suum exornavit, et contra omnia adversa præmunivit ut non adversitatis impulsu frangeretur, nec prosperitatis blandimento elevaretur; ut contumelias cum tranquillitate sustineret; ut nulli malum pro malo redderet, sed benedictionem maledictioni, benignitatem iniquitati opponeret. Bonum pro malo reddebat, calumniantibus non respondebat, orabat pro persequentibus. Per constantiam mentis in proposito perseverans, per firmitatem animi æquanimiter portans, per magnanimitatem difficilia sponte aggrediens, per securitatem imminentes incommoditates non formidans, per fiduciam certam spem habens bonum propositum ad finem bonum perducendi, per magnificentiam sancti et præclari propositi dans consummationem. Non solum autem in persecutionibus seu flagellis patientiam habebat, sed in tribulationibus gaudebat. Disciplinam Domini cum magno desiderio apprehendebat. Unde cum in ultima ejus infirmitate, jam anhelitu pectus urgente, cum et ipse duos annos et amplius disciplinam Domini fortiter sustinuisset, tamen in fine fortius Patrem sustinuit juste filium flagellantem.

ANNUS 1229

DE SPIRITU CONSILII.

XI. « Per spiritum consilii nihil præcipitanter, nihil inordinate agens, omnia diligenter, provide, et cum deliberatione faciens, in omnibus agendis vel omittendis expectabat eum qui salvam faceret animam ejus a pusillanimitate spiritus et tempestate : nihil per pusillanimitatem omittens, nihil tamen tempestuose, nihil inconsiderate vel impetuosa mente peragens. In omnibus viis ejus palpebræ præcedebant gressus ejus ; omnia cum consilio faciens, ne post factum vel in modico pœniteret. Quid enim sine gravitate, sine consilii maturitate facere posset, cujus animus inhabitabat in Eo qui ait de semetipso : Ego sapientia in consiliis habito et eruditis intersum cogitationibus. Licet autem familiari Spiritus Sancti consilio interius uteretur, licet divinis Scripturis sufficienter instrueretur, præ nimia tamen humilitatis abundantia nolebat dilatare philacteria sua ne ab hominibus videretur. Sed nimirum suggerente spiritu consilii et compassionis affectu, cum non esset inferioris scientiæ et ingenii, die quodam festo dum Primam in ecclesia cantaremus, cum me qui noviter Ordinem intraveram fuisset intuitus, sic mihi dixit hos versus ad consolationem quos de laude cellæ condidit et dictavit. Nam et sermones ejus ab eo in Capitulo prolatos venerabiliter et chare custodimus.

Prov. 4, 25.

Prov. 8, 12.

Sermones et carmina composuit.

Si quærat tua vis cœlos, est cella suavis;
   Quærere si tua vis, est tibi cella gravis ;
Si sistas pravis, hæc est tibi cœlica clavis.
   Hic levitas navis, hic superatur avis.
Cella tenor legis, cœlestis Regia Regis.
   Hic in mente legis qualiter acta regis.
Hic sine voce melos, hic dat via libera cœlos,
Hic dat dulce mel os, agnos facit ista camelos,
Hic instrumentis non fiunt gaudia mentis,
Hic Deus intentis dat nullis irrita ventis.
Plurimus hic fructus, hic fiunt gaudia luctus,
Hic nullos fluctus metues, Christo duce ductus.

DE SPIRITU INTELLECTUS.

XII. « His igitur Spiritus Sancti donis Regis filius adornatus, tamquam luminaribus illustratus, corde purificato per spiritum intellectus in cœlestibus conversabatur. Adeo enim suspen-

ANNUS 1229

dium elegerat anima ejus, quod per aliquantulum temporis cognosceret per spiritum intellectus sacramentum et mysterium individuæ Trinitatis : quomodo scilicet Pater consistit in Filio et Filius in Patre, qualiter in Patre totus Filius, et totus in Verbo Pater, et quemadmodum Spiritus Sanctus ab utroque procedit ; et tamen non tres Dii sed unus est Deus, et tamen eisdem tribus una divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas. In vita sanctæ virginis Aupes * de Cudoth, sicut iste Vir sanctus retulit mihi, legitur quod ipsa vidit ante se tres soles incomparabili lumine radiantes : quorum nullus vel minor vel clarior altero, sed omnes erant unius quantitatis, unius qualitatis, et æqualiter fulgebant in unius æqualitate Trinitatis ; et hi tres soles in conspectu suo convenerunt in unum et facti sunt unus sol. In unius lumine claritatis non erat major vel minor, nec plus minusve lucebat ille sol ex tribus factus unus, quam illi tres cum tres essent, sed in unius orbis lumine nec dissimili nec dispari fulgebat claritate.

* *Elpidis virgo pia vixit in diœcesi Senonensi circa annum 1180.*

DE SPIRITU SAPIENTIÆ.

XIII. « Ut autem opus suum prudens artifex, templum suum sacerdos magnus, filium suum rex excelsus ad perfectionis cumulum perduceret, septimo septiformis Spiritus dono, quasi ad condimentum aliorum, eum honeste decoravit et excellenter ornavit, scilicet spiritu sapientiæ, quod primum est dignitate, ultimum vero consummatione. Hujus sapientiæ sapore gustavit et vidit quam suavis est Dominus, cum sicut adipe et pinguedine repleretur anima ejus, cum ad mensam Domini cum Joseph inebriaretur, in meridie deliciis affluens, et in horto voluptatis manna absconditum manducaret. Hujus mellifluo dono sapientiæ cor ejus medullitus afficiebatur, verba dulcorabantur, omnia ejus opera suavitate unctionis spiritualis impinguabantur. Cum autem præ desiderio æternæ vitæ fruitionis, præ amore divinæ visionis, pro dilatatione optatæ beatitudinis in hoc exilio langueret, unicum tamen et summum remedium erat ei et singulare solatium manna panis cœlestis, donec pervenisset ad terram promissionis. In hoc cordis ejus anxietas temperabatur, in hoc omnes ejus dolores mulcebantur, spiritus ejus roborabatur ; in hoc sum-

Ejus pietas erga Sacramentum altaris.

mo et præcellenti sacramento omnes hujus peregrinationis ærumnas patienter sustinebat, omnes hujus deserti labores superabat; omnes hujus miseriæ defectus hoc cibo vegetatus parvipendebat. Panis sanctus cor illius confirmabat, Vinum sanctum mentem ejus lætificans inebriabat, Caro sancta saginabat, Sanguis vivificans abluendo purificabat. Hoc solo solatio carere diu non poterat. Idem erat ei vivere et Corpus Christi sumere. Hoc erat ei mori ab hoc sacramento diutius abstinendo separari. Unde cum occasione quorumdam verborum ab hoc Sacramento duobus aut tribus diebus abstinuisset, vehementer plangens, cum egrederemur a Vesperis mihi soli locutus est, ita dicens : O Deus æterne, ego totus deficio. Didicerat enim per certam experientiam Vir sanctus se efficacius spirituali cibo refici quam corporali, quia non in solo pane vivit homo, sed et justus ex fide vivit. In illa autem infirmitate qua per spatium duorum annorum et amplius ante mortem suam laboravit, non arbitror illum vel unum transisse diem præter tres istos dies prædictos quin post Matutinas Missam celebraret. Et hoc mirabile dictu, sicut dicemus in subditis, quomodo tam debili corpusculo, utpote modico pane avenaceo et aqua frigida sustentato, tanta virtus et tamdiu standi ad sacrificium Missæ inesse poterat, nisi quod Deus suorum prærogativam donorum potenter contulerit. Propter quod et ipse ego, qui ei quotidie in hoc officio assistebam serviens et plurimum admirans, quadam vice vultum ejus pallidum contemplatus sum; et ecce apparuit, ut mihi videbatur, in illa hora clarus, nitidus, rubicundus. Nec mirum quia Illum coram se in altari cernebat cujus facies sicut sol in monte resplenduit, et qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Jam enim in hoc sæculo expertus fuerat quod ait Dominus in Evangelio : Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem habet vitam æternam. Non erat ei durus sermo sicut Judæis, sed suavis; quippe qui omnem delectationem et omnem saporis suavi-

ANNUS 1229

Matth. IV, 4.
Rom. I, 17.

Quotidie Missam celebrat.

Joan. I, 9.

Idem. VI, 54 et 55.

ANNUS 1229

tatem in ejus perceptione non solum interius in animo, sed etiam in ore ejus mellifluo sentiebat.

« Habebat hic beatus Vir in consuetudine, ut cum ad perceptionem sacri et vivifici Corporis Domini nostri Jesu Christi veniret, statim profunde ruens et inclinans super genua, digitis manus dextræ super oculos appositis, illic tamdiu staret donec Dominicum sentiret adventum. Sed nimirum Austro flante præ nimietate devotionis et fonte lacrymarum inundante, subito surgens ad manutergium, fluminis impetum qui animam ejus lætificaverat quantum poterat deprimebat. Dixit enim mihi aliquando quod cum quadam die sensisset sibi gratiam non adesse, et præ tædio mentis hebetatum fuisse, non audebat ad Sacramentum accedere; unde tantos cogitationum tumultus in corde tolerabat, quod quid de duobus faceret nesciebat cessare : videlicet a tam salubri sacrificio, annon cessare. Tandem vero divinæ benignitati, misericordiæ, tamquam æger medico se committens, facta oratione gradum altaris cum timore ascendit, sacrificium obtulit. Sed cum ad perceptionem pervenit, et orationem suo* more solito fudit ad Dominum, tantam consolationis gratiam ac lacrymarum copiam a Deo ibidem percipere meruit, quod post factum, sic se fecisse minime pœnituit; imo post modum diu reliquiæ consolationis diem festum in animo agerent, et memoriam abundantiæ suavitatis illius dulciter eructarent. Hujus itaque sancti Viri saluberrimo exemplo, fratres charissimi, sufficienter instructi, si similis tentationis articulus nobis ingruerit, ad summum præsidium et singulare solatium, videlicet ad sacri altaris speciale sacrificium, recurramus; ut purificato prius per confessionem cordis thalamo, nostræ mentis tenebras dulcis et pius Dominus abjiciens per adventus sui præsentiam illustret.

* *Al.* suam.

DE REVELATIONIBUS ET VISIONIBUS ILLIUS.

XIV. « His igitur pretiosis charismatum donis decoratus, noster Hermannus cœpit multis et divinis revelationibus illustrari, nec non crebris consolationibus a Domino dulciter visitari. Quas nimirum visitationes et consolationes non cunctas sed paucas, ipso narrante cognovi. Quas etiam, ne

forte per spiritum elationis super se inaniter raperetur, per affectum devotæ humilitatis semper se sub se solide subsistere appetens, sagaciter occultabat. Cum ergo quadam die nos duo soli ad invicem familiariter loqueremur, accidit, sicut credo permittente Domino, hoc quod dicturus sum, quasi improvise de ore suo elapsum fuisse; quod utique post multum tempus, cum id ab eo quærerem qualiter hujusmodi mentis excessus sibi evenisset, cum magna obstupefactione respondit : Quis vobis hoc prodidit ? coactus tamen, mihi vehementius instanti, rei veritatem demum aperuit.... »

ANNUS 1229

Deinde describit quemdam excessum mentis quem Hermannus per aliquod tempus passus est, sed quia exscriptor plura verba videtur incaute omisisse, hujusmodi narratio ita impedita et obscura effecta est ut nullum ex ea sensum assequi potuerimus; unde et eam hic prætermittere cogimur. Hanc autem sic autor concludit. « Cœterum ne cui forsitan incredibile videatur quod dixi, ecce ad testimonium vitæ sacræ virginis Aupes de Cudoth simile miraculum invenitur.

PER DUOS ANNOS ET AMPLIUS ANTE OBITUM GRAVIBUS INFIRMITATIBUS QUATITUR.

XV. « Cum igitur Vir beatus his floreret virtutibus, voluit pius Judex et justus artifex amplius suum purificare famulum ut fructum plus afferat, et ut quanto plus seminaverit in lacrymis tanto amplius ad horreum æternæ tranquillitatis, cum lætitia et exultatione suos portans manipulos, purior et uberior transferatur. Ante duos quippe annos et dimidium, ut opinor, quam obiret, tantam incidit in ægritudinem et incurrit stomachi indigestionem, quod vix duos morsellos sedens juxta me in refectorio, abominante stomacho, posset recipere, quin tertium sub mensa ab ore suo rejicere cogeretur. Nihil enim lautioris aut validioris cibi sicuti pisces, panem album aut vinum et hujusmodi poterat deglutire. Cum ergo vidisset Dei famulus se in irrecuperabilem corporis infirmitatem, præ nimia ac violenta alimentorum abstinentia corruisse, cœpit ex diversis cibariis tentare quo posset potissimum edulio vegetari. Tandem vero sensit per quotidianum experimentum, panem avenaceum sibi melius proficere quam ullum aliud sibi condimentum. Qualis quæso panis

ANNUS
1229

iste singularis, cujusve coloris erat? revera niger et exustus, asper et hispidus, deforis pallidus, rimis creberrimis sulcatus, pro imperfecta coctione ponderosus, deintus autem palearum aculeis capillosus, non solum tactu sed intuitu horridus et exosus, ita ut per capillos paleares portari, sicut vulgariter dicitur, potuisset. Hoc itaque pane in quodam vasculo minutatim fracto, adjuncto etiam lacte seracio, semel post Vesperas in æstate, in hyeme vero post Completorium pulsatum, cum aqua frigida similiter vescebatur. O quoties nobis egredientibus de Vesperis, mihi quasi dolendo et pene lacrymando dicebat : Deus! Deus! ad tormentum invitus vado; hoc ipsum verbum pluries repetendo. Cum ergo comedere inchoasset, et prima jam panis buccella os illius tetigisset, eam statim mirum in modum abominante stomacho rejiciebat, et ex abundanti rheumate ita incessanter et sine numero excreabat ac si intestina evomere propemodum putaretur. Hoc in statu, imo et in hujusmodi tormento, quamdiu vixit, quotidie perseveravit. Ego quoque juxta eum in cella altera manducans et bibens hoc audiebam, me ipsum considerans gaudentem esse in deliciis, et illum dolentem persistere in miseriis. Heu miser! voluntarius currebam ad corporis fomentum delectabile, ille vero coactus pergebat ad tormentum oris intolerabile.

Vide autoris humilitatem in sui accusatione.

« Erat autem huic sancto Viro in hac infirmitate posito humilis et devota consuetudo, ut in præcipuis et solemnibus festis legeret in refectorio, ita placide, ita dulciter, ita gratiose, quod crederem nunquam posse sui similem inveniri. Deinde ad cellam rediens jejunus lector, more suo solito ibidem cœnabat; post modicum temporis (scilicet post mortem) loco panis avenacei pane vivo ad cœnam Agni providi cœnaturus. Quis unquam crederet tam elegantis staturæ hominem, tam formosum præ multis filiis hominum, tamque venustum aspectu quasi si imago decenter depicta rubicunda facie appareret, ad tantam venisse deformitatem, nisi is qui primum in tempore novitiatus sui, sicut et ego vidi, vidisset? Sed et quid postea? Vidisses illum utique longe dissimiliter,

Hermannus quondam aspectu pulcherrimus.

quasi in alterum virum fuisse permutatum, oculos videlicet in terram defixos habentem, vultum pallidum, labia attenuata, ossa faciei cute demissa desuper per grossitudinem apparentia, genas squallentes et furfureas, ita ut posses de eo non immerito dicere : fauces ejus squallidæ et ipse oppressus amaritudine. Et hæc omnia sibi per violentam nimiam et immoderatam alimentorum abstinentiam evenerunt. Unde beatus Augustinus ait : Ille de rapina sacrificium offert, qui aut nimia ciborum egestate aut somni penuria corpus immoderate affligit. Quapropter et ipse nos quoque admonebat dicens : Charissimi, cum possem fragili naturæ sufficienter succurrere, nolui ; nunc autem sicut cernitis, volo et desidero, sed profecto perficere invitus nequeo. Ecce occidi jumentum Domini ; peccavi. Quid faciam vobis ? posui me contrarium mihi et factus sum mihimetipsi gravis. Videte ergo, quomodo caute ambuletis neque a dextris neque a sinistris, sed per medium, scilicet securam et regiam discretionis viam, humiliter incedentes. Et hoc ipsum, precor vos dilectissimi, instanter quotidie a Domino postuletis. Exemplum enim per infirmitatem et insipientiam meam dedi vobis. Sed nolo, imo quantumcumque possum perhibeo, ut et vos non ita faciatis.

ANNUS 1229

Ex nimia austeritate fit insigniter deformis.

Jerem. Thren. I, 4.

Fatetur se nimium fuisse et temerarium in corporis afflictationibus.

Job I, 20.

Suos fratres hortatur ad discretionem servandam.

PIE MORITUR.

XVI. « His itaque prælibatis, ad tempus resolutionis ejus calamum applicemus. Sane die Dominica antequam obiret, post Matutinas venit ad ecclesiam baculo se sustentans et plangens. Ibi, me plurimum admirante, prout solebat diutissime stando Missam ultimam celebravit, et sequenti quarta feria obiit, septimo videlicet Idus Maii. In ipsa autem die jam pene oriente sole, (tunc forte abscesseram) sicut qui præsentes aderant testati sunt, jacens in lectulo ter manum ex adverso levavit. Primo videlicet paululum, secundo altius, tertio virtute qua poterat, multo sublimius quam ante fecerat, dexteram erigens signum salutiferæ crucis e contra depinxit. Per quod nimirum intelligimus Sanctum Dei mox moriturum, malignum ei assistentem spiritum corporeis etiam oculis aspexisse, sicut de beato Martino legitur veraciter accidisse. Ego vero de eo sollicitus cum mœstitia et mœrore ad eum re-

ANNUS 1229

diens, inveni dominum Britium, Antissiodorensem decanum, qui ei cum cæteris assistebat. Adhuc igitur illo loquente nobiscum, præparatoque a Fratribus pulvinari et desuper inclinato capite, domino Britio dixit : Ite et paululum requiescite et ego similiter requiescam. Et cum hoc dixisset requievit et obdormivit in Domino, cui honor et gloria, potestas et imperium in sæcula sæculorum, Amen.

APPARET CUIDAM ABBATI.

XVII. « Sepulto itaque ipsa die sancto Dei a viro venerabili Gatio abbate Sancti Laurentii de Abbatia, a quo etiam pridie quam moreretur extremæ Unctionis sacramenta acceperat, sedentes in claustro et colloquium de vita mirabili sancti istius Hermanni et abstinentia incomparabili habentes, protulit in medium dominus Abbas dicens : Ego hodie post Matutinas in lectulo jacens quiescebam, nec plene vigilans nec plurimum dormiens ; et ipse ut mihi videbatur, stetit coram me et totius corporis motu profundissime supplicavit. Deinde conversus, per murum exiens, inviolabiliter penetravit. Ego vero evigilans cœpi mecum tractare et cogitare qualis esset ista visio, phantastica an vera, cum ecce nunciatum est mihi istum Dei famulum viam universæ carnis ingressum fuisse, et ob hoc ad sepeliendum illum juxta mandatum vestrum festinantius properare : jam enim sol oriens in nostra camera radiabat. Quod audientes veraciter percepimus ipsam fuisse horam qua vir Domini inter manus nostras spiritum exhalavit.

« Petrus presbyter de Buluciaco, qui ad istum Dei servum causa sua confitendi peccata singulis annis venire consueverat, retulit nobis quod cum ipse audisset confessorem suum ex hoc sæculo emigrasse, dixit clerico suo ut campanas pro sancto Viro Dei pulsaret. Cui respondit : Et quis mihi mercedem retribuet ? Erant autem ibi cum dicto presbytero Nobiles fœminæ colloquentes ; quæ cum vidissent præfatum clericum mandato domini sui nolle acquiescere, dixerunt : Nos te procul dubio amore sancti Viri copiose remunerabimus. Quo audito cucurrit alacriter et diu pulsavit. Cum autem adhuc pulsaret, subito columba a summo usque

deorsum evolans, ante pedes pulsantis stetit immobilis. Qua visa, statim a pulsatione cessans arripuit eam, et foras cum risu et gaudio ostendit columbam mulieribus, et dixit : Vos certe pro isto labore nunquam mihi quantamlibet mercedem dabitis, quia ab homine isto Sancto Dei hoc speciale munus firmiter jam credo, et plane confiteor accepisse. Per omnia benedictus Deus in sæcula sæculorum. Amen. »

Discutitur annus obitus illius.

Cum hic Vir beatus dicatur obiisse sub regimine Giraudi, feria quarta, die nona Maii, necessario referendus est obitus illius ad præsentem annum vel ad 1235. Nam nona dies Maii ab anno 1225 quo Giraudus præesse cœpit, ad annum 1239 quo defunctus est, bis tantum occurrit feria quarta, annis videlicet præsenti et 1235.

QUIDAM NOSTRIS MOLESTANTES SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS REPRIMUNTUR.

XVIII. Hoc præsenti anno, Cartusienses Montis Dei a quibusdam vicinis variis affecti molestiis, nec opem forensis magistratus poscere volentes ne contra Cartusiensis Instituti spiritum agere viderentur, Henrici archiepiscopi Remensis tanquam Ordinarii autoritatem interpellarunt, a quo rectum diligensque judicium retulerunt, ut ex sequenti apparet diplomate :

« Henricus, Dei gratia archiepiscopus Remensis, dilectis filiis Priori de Landaviis, Adamo officiali Magistri Henrici Remensis Ecclesiæ Archidiaconi, et Miloni decano de Vendy salutem. Noveritis ex relatione quorumdam fide dignorum ad nostram notitiam devenisse quod homines de.... et quidam alii, dilectis filiis Priori et Fratribus Montis Dei Cartusiensis Ordinis multipliciter injuriantur, intrando cum bestiis suis in pascua eorum, scindendo et subripiendo nemus eorum, fossata eorum implendo et alias eis graves molestias inferendo. Cum ergo præmissa non velimus nec debeamus surdis auribus præterire, cum eis præclusa sit via litigandi, ita quod contra suos injuriatores non velint nec possint litigare, vobis ex officio nostro mandamus firmiter, injungentes quatenus evocatis qui fuerint evocandi et inquisita de dictis injuriis plenius veritate, injuriatores vel molestatores prædictos, si quos inveneritis, ad desistendum et ad restituendum

ANNUS 1229

eisdem Priori et Fratribus damna sibi per eos illata, per censuram ecclesiasticam compellatis; contradictores et rebelles simili censura compescendo. Propter inquisitionem autem supradictam, dictos Priorem et Fratres nullatenus evocetis, sed de plano in eodem negotio procedetis. Quod si vos omnes his exequendis non contigerit interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur, quid ibidem feceritis nobis recensentes. Datum Curvillæ anno 1229, die lunæ ante natalem sancti Joannes Baptistæ. »

Facta igitur inquisitione, delecti judices sententiam contra istos homines pronunciarunt, eosque præter impositam pecuniæ mulctam, ad reparationem fossati quod repleverant perpulerunt. Cui sententiæ et satisfactioni impositæ acquievere, ut constat ex litteris quæ in archivio Domus asservantur. Cur vero his temporibus ad proprii Episcopi tribunal Nostri confugerent, fusius diximus anno 1141.

MONENTUR PRIORES UT CONVERSOS DOCEANT SALUTATIONEM ANGELICAM.

XIX. Circa hæc tempora vel certe sub finem regiminis Jancelini, talis per Chartam Capituli generalis cohortatio ad Priores habita est : « Monemus in Domino et obsecramus pro Christo Priores, quod sint diligentes et solliciti circa confessiones Conversorum et in docendo eos instituta, et præcipue Novitios (Conversorum) instruant in prædictis et in oratione materna, docendo eos *Pater noster, Credo in unum Deum* et *Ave Maria.* » Hæc est prima mentio quam invenimus factam apud Nos de Salutatione Angelica inter preces recitanda. De precibus loquimur, nam constat eam jamdiu ante cantari solitam in Matutinis pro Invitatorio et Responsorio, et in Missis B. Virginis Mariæ pro Tractu et Offertorio. Sed ad hæc usque tempora non videtur apud Nos, sicut nec apud plerosque alios, adjuncta fuisse Orationi Dominicæ prout postea factum fuit. Imo ex præfata Cap. generalis admonitione conjicimus eam tunc temporis, quando cum aliis precibus dicebatur, locum habuisse post Symbolum Apostolicum; siquidem post illud tantum nominatur : « docendo eos *Pater noster, Credo in Deum* et *Ave Maria.* » Idem etiam colligi potest ex Institutionibus Cisterciensibus, hoc quod agimus sæculo collectis,

Ex addition. mss. ad Statuta Jancelini.

Hæc Oratio olim dicebatur post Symbolum Apostolicum.

Mabillon. in præf. in sæcul. 5 Ord. Bened.

in quibus præcipitur « ut nullus Conversus habeat librum, nec discat aliquid nisi tantum *Pater noster* et *Credo in Deum, Miserere mei Deus* et *Ave Maria.* » Odo Parisiensis episcopus, qui præsenti ineunte seculo sedebat, in suis Constitutionibus pariter statuit « ut exhortentur populum semper presbyteri ad dicendam Orationem Dominicam, et *Credo in Deum* et Salutationem B. Virginis. » Idem etiam anno 1246 præscribitur a Decanis Ecclesiæ Rothomagensis; et in Statutis nostri Rifferii an. 1259 editis : « Prior laicos instrui faciat in oratione materna, et *Pater noster* et *Credo* et Salutatione B. Mariæ. » Sed et sæculo decimo quarto utraque Oratio, nempe Dominica et Angelica, nondum simul sed separatim pronunciabatur. Id patet ex synodo Vaurensi anni 1368 indulgentias concedente iis qui, in honorem quinque Vulnerum Christi Domini, quinquies Orationem Dominicam et septies Angelicam Salutationem flexis genibus dicerent. Unde patet prius quinquies Orationem Dominicam simul et continenter recitatam fuisse, deinde septies Angelicam Salutationem separatim.

ANNUS 1229

Sammarth. in Ep. Paris.

Ant. Stat. p. 2. cap. 6.

QUANDO INTER NOS CŒPERIT SUBJUNGI ORATIONI DOMINICÆ.

XX. Noster Guigo in suis Consuetudinibus Orationem Dominicam præscribit Conversis pro Officio divino, nulla facta Angelicæ Salutationis mentione; et in supplementis ad easdem Consuetudines sub Basilio sola etiam Precatio Dominica eis præcipitur, quam pro Officio Cluniacensium trecentis triginta vicibus reddere jubentur; quæ constitutio repetitur in Collectione anni 1222. Nec statim post factam præfatam admonitionem (cujus occasione hanc ingressi sumus dissertationem), tenebantur nostri laici illam adjungere Dominicis Orationibus quas ex debito solvebant : nam anno 1249 per Chartam Capituli generalis, cum exigitur ut « pro periclitantibus in mari teneantur Conversi et Donati dicere quinquaginta *Pater noster*, » non ibi fit mentio Salutationis Angelicæ; sicut nec in Charta anni 1270 ubi præceptum legimus « quatenus Conversi, pro tricenario concesso illis qui non sunt de Domo sua, dicant centum et quinquaginta *Pater noster.* » Et ne quis objiciat Orationem Dominicam late sumptam complecti Salutationem Angelicam, plura habuimus Breviaria

ANNUS 1229

ad nostrum usum ante quadringentos annos scripta, in quibus Oratio Dominica et Symbolum Apostolicum continenter et integre sed sine interposita hujusmodi Salutatione describuntur. Ex quo liquet Nostros ad hanc precationem simul cum Oratione Dominica recitandam nondum fuisse adstrictos nisi forsan id eis nominatim præciperetur, ut revera sæpe præceptum reperimus in nostris Chartis : et primum quidem in Charta anni 1279, ubi pro quibusdam amicis Ordinis præscribitur ut « a quolibet Converso et Reddito dicantur L *Pater* et L *Ave Maria.* » Et anno 1285, « Ordinatur (sunt verba Chartæ) quod usque ad Capitulum tantum (nempe anni sequentis), dicatur in Conventu post Matutinas, super formas, singulis diebus psalmus *Lætatus sum, Kyrie*, *Christe, Kyrie, Pater noster, etc.* (non fit mentio Orationis *Ave Maria*), *Salvos fac servos*, *etc.*, *Domine exaudi*, *etc.* Conversi vero dicant ter *Pater noster* et ter *Ave Maria.* »

Nec etiam his temporibus nostri Monachi in Divino Officio utramque precationem conjungebant, ut ex antiquis Statutis et ex citatis Breviariis colligimus. At vero circa finem seculi quarti decimi, et sub initium quinti decimi eas conjunctim ad quasdam Horas dicere cœperunt. Id patet ex quibusdam aliis Breviariis circa eadem tempora scriptis, in quibus legimus quod ante Primam dicitur *Pater noster* et *Ave Maria.* Similiter ante Completorium *Pater noster, Ave Maria*. et *Confessio.* Et post antiphonam *Sancta Maria succurre miseris etc.* additur ter *Pater noster* et *Ave Maria.* Ab eo igitur tempore, communis mos Angelicam Salutationem Dominicæ Orationi in divino Officio subjiciendi sensim inter nos invaluit ; licet in legem generaliter non evaserit usque ad annum 1589 quo per Chartam sancitur : « ut in omnibus divinis Officiis ubi dicitur Oratio Dominicalis sub silentio, subjungatur etiam Salutatio Angelica. » Quod Statutum anno 1597 iterum promulgatum, distinctius his verbis exprimitur : « In omnibus divinis Officiis ex debito dicendis, quoties dicitur sub silentio Oratio Dominicalis toties subjungatur Salutatio Angelica, tam a Monachis quam a Conversis in suo

Officio divino, tam de tempore quam de B. Maria et pro Defunctis. »

ANNUS 1229

XXI. Notandum præterea, hanc oratiunculam olim ante preces horarias B. Virginis Mariæ non fuisse recitatam ut modo fit, nisi forsan ex devotione, non vero ex obligatione. Nam in omnibus Breviariis, quæ ante medium seculi decimi quinti scripta vidimus, Matutinæ B. Virginis inchoantur per versiculum *Domine labia mea*. Cæteræ horæ per *Deus in adjutorium*, nulla facta mentione Precationis Angelicæ. Sed in glossis ad Antiqua Statuta exeunte seculo quinto decimo adjectis, earum autor hanc notulam ad marginem capituli 36 apposuit : « In principio Matutinarum B. Mariæ omni tempore, flexis genibus et nudatis capitibus, dicimus ter *Ave Maria*. Ad cæteras Horas ejusdem unum *Ave Maria* tantum dicimus, sicut Statutum exprimit ter *Pater noster* ante Matutinas diei, et semel ante cæteras Horas. » Et in precibus horariis ejusdem B. Virginis Mariæ circa idem tempus scriptis, idem præmonetur ante Matutinas et singulas Horas.

QUANDO ANTE HORAS B. VIRG. RECITARI CŒPERIT.

Ant. Stat. p. 1. cap. 41. n. 9.

XXII. Denique hæc piissima oratio duabus constat partibus. Pars prior continet verba quibus beatissima Virgo ab angelo Gabriele et a cognata sua Elisabeth salutata fuit. Quibus verbis hodie subjungitur a cunctis fidelibus nomen suave *Jesus*, quod olim non fiebat, ut vidi in Breviariis nostri Ordinis anni 1300, in quibus hæc prior pars desinit per hæc verba *ventris tui*. In altero quod est characteris seculi sequentis additur *Jesus;* et in alio post annum 1500 scripto, eidem sacrato nomini hæc duo verba statim subjiciuntur nempe : *Virgo sacrata*.

QUIBUS PARTIBUS CONSTET.

Altera pars, quæ hodie his verbis componitur : *Sancta Maria*, *Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostræ, amen.*, juxta mentem cardinalis Bonæ, creditur addita priori parti in magna Synodo Ephesina; sed eam non statim tot verba complexam fuisse verisimile est. Nam in Breviariis Cartusiensibus seculi XIII hæc tantum habet : *Sancta Maria*, *ora pro nobis*. In aliis sæculi XIV *Sancta Maria, ora pro nobis peccatoribus, amen.* In qui-

Bona de divina Psalm. c. 26 § 2. n. 2.

ANNUS 1229

busdam ejusdem seculi interseruntur *Mater Dei* post *Sancta Maria;* in uno, quod ex calendario scriptum conjicio circa annum 1350, hæc appendix sic superadditur : *Sancta Maria, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis, amen.* Sed in recentioribus Breviariis quæ vidi, scriptis ann. 1420, 1500 et 1529, hæc ultima clausula *nunc et in hora mortis, amen*, non reperitur ; sicut nec in editis ut asserit doctissimus Mabilio, nisi in Breviario Franciscanorum Parisiis apud Thielmannum Kerver anno 1525 impresso. De trina hujus orationis recitatione horis Completorii et meridiei, et de indulgentiis in hunc finem concessis, dicemus anno 1342 quo primum inter nos hic usus incœpit.

JESU CHRISTI

ANNUS 1230.

Gregorii PP. IX	Ordin. Cartus.	Jancelini Pr. Cart.
Ann. 4.	Ann. 147.	Ann. 51.

I. ANNUS exurgit Redemptoris ducentesimus trigesimus supra millesimum, Indictione tertia, quo vel circa quem fundatur Domus Monialium Poletensis dicta *Cella B. Mariæ* in agro Sebusiano et diœcesi Lugdunensi, duabus leucis ab oppido Montis Lupelli*, super monticulum in parœcia de Mionnay juxta viam regiam Burgi Sebusianorum versus Lugdunum. Hanc a fundamentis erexit Margarita de Balgiaco domina Mirabelli in Sebusia, filia et hæres Guidonis benefactoris Domus Portarum, nupta Humberto domino de Bellojoco. Id vero factum circa annum præsentem scribit Guicheno, sed Severtius in *Historia Archiepiscoporum Lugdunensium* aliquanto secus de fundationis tempore et loci positu loquitur. Sic enim habet sub Archiepiscopo XCII :

DOMUS POLETENSIS FUNDATUR.

* Montluel.

« Margarita Balgiacensis marchissa, una cum ill. domino Humberto de Bellijoco marito suo, fundavit et dotavit Cellam B. Mariæ Virginis de Poletens, quæ alias vocitatur Domus Poletensis, pro Monialibus Ordinis Cartusiensis, anno præcise MCCXL. Quod equidem cœnobium fuit olim exemplar virginitatis et omnis castimoniæ, tametsi hodie belli calamitatibus dirutum. « Fundo et constituo, inquit ipsa, monasterium quod vocabitur Cella B. Mariæ, pro salute animæ meæ et nobilis viri Humberti mariti mei D. Bellijoci, et antecessorum meorum ac suorum, vivorum et defunctorum, etc. »

ANNUS 1230

Ad quam fundationis chartulam sequitur placitum præfati illustris Humberti : « Ego dominus Humbertus Bellijoci, prædictæ Margaritæ maritus, tam pium opus prædicti monasterii attendens, ob reverentiam Domini nostri Jesu Christi et gloriosæ Virginis matris ejus, omnia superius expressa approbo in Domino et collaudo, confirmo etiam ac in testimonium perpetuæ veritatis huic Chartæ sigillum meum appono. Insuper pro remedio animæ meæ, dictum monasterium et res ejus mobiles immobiles atque personas sub mea protectione, ducatu et securitate recipio, etc. » Quorum Principum filia, virgo nomine Jana, mundi hujus vana despiciens, uni Christo servire studuit, felici exitu in Domino quietura. Quam dotationem decreto suo bullato approbavit Paulus Papa II Romæ apud sanctum Marcum, anno Incarnationis 1465, taleque programma ex ms. cartusiæ fluxit, in quo diligenter adverte textum rite inducere prædictos Dynastas regiunculæ Bellijocensis possedisse pariter provinciolam, quæ deinceps nuncupata est Dumbarum Principatus æque late patens, in quo situm est Poletense cœnobium : patria tota diœcesis Lugdunensis, cum tamen pars Bellijocensium, fluvio Arari intermedio, ad Matisconensem diœcesim pertineat. Atque sic etiam fert seniorum hujus ævi traditio, quod Dominationis incrementum vel certe sonant istæ allatæ Humberti voces : « Res monasterii sub mea protectione et ducatu recipio ». Is enim nequivisset uti verbis ejusmodi in terra aliena, nisi adversus Dombarum incolas jus patrimonii forique civilis obtinuisset, una cum affini Bellijoco eidem familiæ adstricta. » Hactenus Severtius : in quibus verbis tria sunt castiganda. Primum quod ad annum 1240 referat fundationem quam citius inchoatam constat ex tabulario Domus, in quo reperitur quoddam instrumentum datum anno 1238 pro Monialibus Poletensibus. Quamobrem Guichenoni adhærentes annum assignavimus circiter 1230. Alterum, quod dicat Poletense cœnobium situm esse in principatu Dumbarum; quem errorem admisit Duchenius, contra quem constanter affirmat Guicheno hanc Domum contineri intra

Severtius corrigitur.

limites Bressiæ, in loco superius descripto (patebit infra in litteris fundationis quod sit in castellania Mirabelli quæ continetur in Bressiæ provincia). Nec valet inductio quam infert Severtius ex verbis Humberti, « Res monasterii sub sua potestate et ducatu recipientis. » Ipse enim Humbertus jus aliquod possidebat in hac parte Bressiæ, propter castrum Miribelli et alia dominia quæ Margarita uxor ejus dotis nomine ei attulerat : cujus castri jurisdictio his temporibus in plures etiam leucas extendebatur, ut refert Paradinus in suis *Genealogicis Affinitatibus**. Tertio et quidem gravius hallucinatur Severtius, cum dicit Paulum II decreto bullato donationem hujusmodi approbasse anno 1465, nono Kalend. Novembris (ut addidit in margine), sui Pontificatus anno primo. De hoc olim a nobis interrogatus Procurator Polensis negavit extare hujusmodi approbationem, sed asseruit aliquem ignarum hallucinationis causam Severtio creasse, qui forsan legerit sive potius acceperit Paulum II pro Paulo V, cujus extat bulla data Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ 1605, nono Kalend. Novembris, Pontificatus illius anno primo : qua bulla confirmat non antiquam donationem, sed commutationem Domus factam pro Monachis, ut fusius suo loco postea narrabimus. Præterea Paulus II electus fuit anno 1464 in Augusto. Si igitur bullam dedisset anno 1465, nono Kal. Novembris, non primus sed secundus Pontificatus illius annus tunc occurrisset.

ANNUS 1230

*Paradin. Alliances généalogiques.

II. Litteras fundationis quarum fragmentum citavit Severtius integras habemus, sed die non designato nec anno. In his autem sic inter cætera loquitur pia fundatrix : « Margarita, uxor nobilis viri Humberti domini de Bellojoco, etc. Cum pius et misericors Dominus gratia misericordiæ suæ cor meum illustrasset, ut de futura vita et gloria æternæ beatitudinis, quomodo eam possem adipisci, sollicita essem, quæ solis illis dabitur qui Deo serviunt non solum verbo sed opere et veritate; proposui firmiter in animo meo construere monasterium de propriis bonis et in propria hæreditate, etc. Ad laudem igitur et honorem Dei, etc., fundo et

LITERÆ FUNDATIONIS.

ANNUS 1230

constituo monasterium quod vocabitur *Cella Beatæ Mariæ*, etc.; et quia de monasterio Pratibajonis, quod Ordini Cartusiensi est subjectum adduxi Sanctimoniales, eas cum Dei adjutorio in dicto monasterio pono et induco.... dono et concedo pleno jure locum fundationis ejusdem monasterii, videlicet territorium et tenementum de Poletensi.... promitto etiam eis facere cum expensis meis ecclesiam et omnia alia ædificia eis necessaria, terras quoque ad agriculturam dabo eis.... Præterea ob reverentiam Cartusiensis Ordinis, ad plenam pacem prænominati monasterii,.... inhibeo statuendo ne aliquis nobilis vel ignobilis.... in Priorissam vel aliquam de Sororibus et Fratribus suis manum audeat mittere violentam.... vel aliam injuriam super his erogare præsumat. Quamdiu præfata Priorissa et consorores ejus coram competenti judice voluerit stare juri, quicumque scienter offenderit in aliquo, gravissime puniatur, etc. » Hactenus ex litteris fundationis.

Margarita fundatrix aliis domibus benefecit.

Fuit Margarita, ut diximus, filia Guidonis de Balgiaco domini de Mirabello, ex parte matris Alexandrinæ filiæ Gerardi comitis Viennensis et Matisconensis; quæ cum marito suo Ulrico domino de Balgiaco multa bona contulit Domibus Sellionis, Vallisclusæ et Montismerulæ. Harum Domorum benefactor etiam extitit Rainaldus præfati Ulrici pater, cujus Raynaldi patruus, Humbertus de Balgiaco, fuit archiepiscopus Lugdunensis ac tandem Monachus et Prior in cartusia Sellionis. Alter quoque Rainaldus nostræ Margaritæ patruus, beneficum se exhibuit Domui Montismerulæ. Habuit filium Guidonem qui unicam filiam reliquit hæredem, Sybillam videlicet, nuptam Amedeo postea comiti Sabaudiæ. Qui Sybilla et Amedeus, etiam antequam Sabaudiæ comitatum obtinerent, magni fuerunt Ordinis nostri fautores, ut ex Chartis capitularibus colligimus, in quibus totius Ordinis commendantur precibus. Porro Margarita circa annum 1250 moriens, sepulturam elegit et accepit in choro ecclesiæ hujus parthenii.

Item maritus ejus.

Humbertus, nostræ fundatricis conjux, obiit eodem anno,

12 Kalend. Junii, ut constat ex libro obituum Bellijoci, teste Severtio. Fuit ille filius Guichardi IV, cujus pater Guichardus III et avus Humbertus III cartusiæ Arveriæ velut fundatores agnoscuntur, et proavus Guichardus II extitit benefactor Portarum. Ipse etiam Humbertus, hujus nominis V, præter bona in dotem novæ Domus Poletensis ab uxore collata, contulit mansum unum. A quibusdam confunditur cum Humberto de Bellojoco domino Montispenserii, fratris sui Guichardi filio, fundatore cum Isabella de Melloto uxore ejus cartusiæ Vallisprofundæ; de quibus alibi. Ex Humberto et Margarita procreati sunt plures liberi, nempe : ANNUS 1230 Severtius, sub Guidone Archiep. Lugdun. 94.

III. Guichardus V, dominus de Bellojoco, mortuus sine liberis an. 1265. Asservatur in hoc parthenio ejus testamentum, an. 1263 die sabbathi post festum Omnium Sanctorum conditum, quo sororem suam Isabellam instituit hæredem ex asse, ei substituens Guidonem filium primogenitum, et huic Ludovicum minorem natu, quos Isabella genuerat ex Renaudo comite Forensi. Præterea legavit Guichardus Joannæ sorori suæ, tunc Priorissæ Poletensi, « quadraginta onera asini omnis generis frumenti », singulis annis ex redditibus Miribelli persolvenda; conventui vero dedit quidquid habebat in parœcia de Mionay. FUNDATORUM HÆREDES NOSTRIS SEMPER FAVENT.

Isabella et Renaudus maritus ejus, anno 1266 eleemosynam a fratre Nostris concessam confirmarunt. Renaudus, qui et Raynaldus, testamentum suum scripsit anno 1271.

Guido utriusque filius, hæres fuit comitatus Forensis. Ludovicus vero alter filius, fuit dominus Bellijoci et Miribelli, multaque bona fecit Monialibus Poletensibus, maxime anno 1295 quo ibidem fundavit anniversarium suum. Fuit etiam beneficus erga cartusiam Siligniaci.

Guichardus, dominus Bellijoci et Dumbarum, præfati Ludovici filius, multa jura cessit nostris Monialibus sub initia seculi quarti decimi; habuitque filiam nomine Eleonoram quæ fuit Priorissa earumdem, ad cujus instantiam « conceditur tricenarium per totum Ordinem Domino Bellijoci patri ejus. » Ex ch. 1334.

ANNUS 1230

Eduardus, præfati Guichardi filius, anno 1346, testamento condito die 27 Martii, reditus concessit Poletensibus pro suo anniversario; et anno superiori preces per totum Ordinem pro eo, tunc contra Infideles progrediente, indictæ fuerant.

Ex ch. 1345.

Guillelmus ejusdem Eduardi patruus, episcopus Bajocensis, post mortem inter Nos commendatus est his verbis : « Ad supplicationem Priorissæ de Poletens (nempe Eleonoræ fratris sui filiæ), bonæ memoriæ Guillelmo episcopo Bajocensi patruo suo, et dominæ Mariæ filiæ quondam domini de Villars consanguineæ suæ, conceditur unum tricenarium per totum Ordinem. » Hanc Mariam de Villars non novit Guicheno.

Ex ch. 1338.

Floria, altera fundatricis Poletensis filia, nupsit Aymaro Pictaviensi, comiti Valentinensi; uterque commendatur in Chartis capitularibus. Aymarus eorum filius inter benefactores Portarum annumeratur; cujus nepos Ludovicus, hujus nominis primus, comes Valentinensis, denuntiatur mortuus in Chartis his verbis : « Orabitur pro domino Ludovico de Pictavia, comite Valentinensi, nuper defuncto, cui conceditur unus *Brevis* de superfluis. »

Ex ch. 1258.

Ex ch. 1346.

Ludovicus II, ultimus comes Valentinensis, præfati Ludovici ex fratre nepos, fuit fautor Ordinis. Ejus obitus sic inter Nos denunciatus fuit: « Illustris princeps dominus Ludovicus de Pictavis, comes Valentinensis, pro quo fiat unum tricenarium defunctorum, etc. » Obierat anno præcedenti.

Ex ch. 1420.

Hactenus de fundatoribus Domus Poletensis quæ sequentes agnoscit benefactores :

BENEFACTORES POLETENSES.

IV. Stephanus II, dominus de Thoria et de Villariis, concessit quinque libras annui reditus in gratiam sororis suæ Joannæ, monialis et postea Priorissæ.

Humbertus III, præfati Stephani filius, cum Henrico fratre suo, archiepiscopo Lugdunensi, similem fecit eleemosynam in favorem ejusdem Joannæ amitæ suæ.

Humbertus V, eorumdem locorum dominus, dedit quoddam stagnum in gratiam Beatricis et Mariæ filiarum suarum in hac Domo Sanctimonialium.

Alii benefactores sunt : Humbertus, dominus de Glareins, anno 1380. Petrus de la Baume eques, 1296. Henricus de Villeta anno 1409 sepulturam elegit in hac Domo. Domini quoque d'Ars tumulum ibidem habuerunt.

ANNUS 1230

DOMUS VALLIS SPECIOSÆ.

V. Hoc etiam præsenti anno fundatur altera cartusia dicta Domus Vallis speciosæ ; cujus primus omnium meminit noster Molinus his verbis : « Cartusia Vallis speciosæ constructa fuit anno 1230 et dotata a nobili Lutoldo, in qua cum beati Brunonis habitum suscepisset, tantis apud omnes effloruit virtutum exemplis, ut anno 1238 Henrico de Thun Basileæ gratæ episcopo successerit, et in ipso dignitatis gradu persti-terit usque ad annum 1249. Tunc enim assumens alas aquilæ, ad cœlum perpetuæ quietis locum transvolavit. Quo pacto, quove tempore, hæc Domus alterius subdita fuerit dominio ignoramus ; solam causam varietati status et religionis assignamus ». Hæc ille, pro more suo nulla autoritate suam sententiam fulciens. Præerat Lutoldus Basileæ annis 1239 et 1241 ; obiisse vero anno 1249 attestatur Urstitius apud *Basileam sacram,* ubi et citantur Trithemius et Stumphius qui ejus quoque meminerunt. Sed de professione Cartusiensi sicut et de tali fundatione nihil prorsus reperitur, nisi apud præfatum Molinum et Theophylum Raynaudum ejus exscriptorem, qui perperam scripsit Lufoldum.

DE ALIIS DOMIBUS A MOLINO CONFICTIS.

VI. Ad eadem tempora refert idem Molinus fundationes aliarum Domorum quas sic recenset : « Cartusia Monialium de Tharnuto ædificata anno 1237, cartusia Monialium de Combens, cartusia Monialium Montismolæ, cartusia Monialium Montis B. Mariæ » quam ex verbis Chartæ Capituli generalis anni 1335 dicit eodem tempore adhuc stetisse, sed postea a nobis recessisse ; verum defectu aliorum documentorum erravit Molinus, nam hæc Domus Monialium Montis B. Mariæ ipsum est parthenium Gosnayense sic nominatum. Domus de Combens non est nostri Ordinis, sed alicujus alterius : de ea fit mentio in testamento Guigonis Berengarii quod extat in cartulario Majoris Cartusiæ. In quo testamento præfatus Guigo bona distribuit multis monasteriis inter quæ nomi-

ANNUS 1230

nantur plures cartusiæ et cum eis domus de Combens et Vallis crescentis quæ est Ordinis Cisterciensis, unde videtur hallucinatus Molinus. De domo Montis Molæ reperimus in quibusdam Statutis antiquis ms., inter Priores qui primo Capitulo generali sub Basilio Cartusiæ Priore interfuerunt, D. Pontium Priorem *Montis molæ*, et in aliquibus codicibus *Montis violæ*. Sed in multis aliis legimus « Vallis S. Mariæ », et revera eodem tempore præerat eidem Domui Pontius. Unde vero prodierit corruptio nominis Vallis Sanctæ Mariæ in nomen Montis molæ et violæ, non possumus augurari. Idem Molinus legens etiam in Antiquis Statutis Rifferii prohiberi « ne hospitantes in domo de Plantatis aliquid inde præter hospitium recipiant unde gravetur domus, » ex hac domo quæ vere erat hospitium, sive xenodochium, unam fecit cartusiam. De præfato xenodochio forsan alibi plura dicemus.

Stat. antiq. p. 2. c. 32. n. 15.

EXPLICIT VOLUMEN TERTIUM

INDEX

INDEX

ANNALES ORDINIS CARTUSIENSIS

SECULUM SECUNDUM

Jesu Christi annus 1184.

Annus 1185.

Annus 1186.

Annus 1187.

Annus 1188.

Annus 1189.

Annus 1192.

Annus 1193.

Annus 1194.

Annus 1195.

Annus 1196.

Annus 1197.

Annus 1198.

Annus 1199.

Annus 1200.

cuncta monachi instituta exequitur; Hugonis lingua eucharis et dextera liberalis ; Conversos etiam visitat; pauperibus se videndum exhibet; omnibus omnia factus ; per tres hebdomadas in Cartusia moratur ; discedens pretiosa et argentea pignora ecclesiæ largitur. — IX. Prioratum SS. Domnini et Maximi visitat; ad castellum fratrum suorum divertit; ab eis ad bonum animatur ; Villa Benedicta ; Prioratus S. Maximi ; reliquiæ S. Joannis Baptistæ apud Bellicium ; quas nullus nudas videre audebat, discoopertas Hugo fidenter osculatur ; quatuor Domos Ordinis visitat. — X. Triduo apud Cluniacum moratur ; disciplinæ regularis observantia ; Cistercium ; Gallia sub Interdicto ; Joannem quondam Lugdunensium archiepiscopum apud Claramvallem visitat ; per biduum in Abbatia S. Remigii hospitatur ; ibi sanctam Ampullam veneratur ; castrum S. Audomari. — XI. Primum ægrotat ; in valetudinario Clari Marisci decumbit ; penultimam celebrat Missam ; sanguis e medio panis prodigiose perfluit ; causa tanti prodigii, cupiditas lucri. — XII. Navim conscendit Hugo ; S. Annæ auxilium experitur ; statim post appulsum Sacrum facit ; in Ordine positus quoties licuit celebravit ; increpat eum qui minutus sanguine celebrarat ; amicorum turbam obviam habet ; allegoria ; oculorum ejus hebetudo fit mortis ejus prænuntia ; Londonias appulit. — XIII. Morbo ingravescente lecto decumbit ; futurum statum Ecclesiæ Anglicanæ prævidet ; Ludovicum regem Franciæ, sanctum nominat ; extremam petit Unctionem ; 4 sacerdotibus per biduum totius vitæ noxas confitetur ; nudis pedibus processit obviam Venerando Sacramento. — XIV. Morem testandi vituperat ; attamen testatur ne fiscus bona pauperum rapiat ; anathema pronunciat in violatores testamenti ; divinum officium horis statutis noctu diuque persolvit ; visitatur a Rege ; et ab Archiepiscopo Cantuariense ; mira animi illius constantia et innocentia. — XV. Necessaria præscribit ad dedicationem altaris a se constructi ; et ad sepulturam suam ; quomodo Cartusiensis monachus moriens tractatur ; cilicio, tunica et cuculla semper indutus Hugo ; pulchre dictum ; prævidet nullum Prælatum tempore mortis ejus affuturum ; jubet corpus suum post obitum lavari ; et eisdem vestiri indumentis, in quibus consecratus fuerat Episcopus. — XVI. Illud prænuntiat quandoque transferendum ; invicta animi illius fortitudo ; quam miro Deus ordine vitam illius direxerit. — XVII. Ei suggerunt medici esum carnium ; jubet Archiepiscopus ut edat ; hortantur Fratres ; propter obedientiam, et scandalum vitandum consentit Hugo ; sed eas primoribus tantum dentibus degustat. — XVIII. Quid censendum de hujusmodi S. Hugonis facto ; an Cartusiensis factus Episcopus teneatur abstinere a carnibus. — XIX. Sacræ Eucharistiæ viatico munitur Hugo ; cineres benedicit quibus impo-

Annus 1201.

Annus 1202.

Annus 1203.

Annus 1208.

Annus 1209.

Annus 1210.

Annus 1211.

Annus 1212.

Annus 1213.

Annus 1218.

Annus 1219.

Annus 1220.

Annus 1221.

Annus 1222.

Annus 1223.

Annus 1224.

Annus 1225.

Annus 1226.

Annus 1227.

Annus 1228.

Annus 1229.

Annus 1230.



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolij.
Ern. Duquat typographus.